13
24 E
9

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

13_22.h.31

28.2.29.
28
29
28
G
6


Digitized by Google

F. PETRI MARIÆ
PASSERINI
DE SEXTVLA
PROCVRATORIS AC VICARII GENERALIS ORDINIS PRAEDICATORVM.

TRACTATVS
DE
ELECTIONE
SVMMI PONTIFICIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

SOC. IESV BIBL. SEC. COLL. ROM. IHS



SVMPTIBVS IOANNIS CASONII.

ROMAE, Typis Nicolai Angeli Tinaſſij M. DC. LXX.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Imprimatur,
Si videbitur Reuerendiſs. Patri Magiſtri Sacri Palatij Apoſtolici.

I. de Angelis Archiepiſc. Vrbin. Viceſg.

Imprimatur,
Fr. Hyacinthus Libellus Sacri Palatij Apoſtolici Magiſter Ordinis Prædicatorum.

PRAEFATIO OPERIS.

CHRISTO in Cœlos aſcendente,& Eccleſiam militantem Sponſam ſuam corporali ſua præſentia relinquente, eam viduatam ſine Sponſo,Rectore,Capite, Paſtore, Antiſtite remaſiſſe,& adhuc remanere æquè repugnat ſacris Scripturis, ſacris Concilijs, Sanctorum cætui, Imperatorum confeſſioni,& vniuerſæ Reipublicæ Chriſtianæ ſenſui,atque conſenſui. Vt enim præuiderat Daniel *cap. 2.* poſtquam Chriſtus paruus lapis ſine manibus præciſus monarchiarum ſecularium teſtam, & ferrum, & æs, & argentum, & aurum comminuit, ſuſcitauit Regnum Cæli ſanctam ſcilicet Eccleſiam,quod in æternum non diſſiparetur,& alteri populo non traderetur, & quod comminueret, & conſumeret omnia Regna mundi,& ipſum ſtaret in æternum.In hoc igitur Cœli Regno vſq; ad finem mundi duraturo ſecundum Scripturas ſanctas oportet eſſe aliquem viſibilem lapidem angularem, cui fideles inædificentur, aliquod viſibile caput, cui fideles tanquam viſibilia membra incorporentur. Vnum viſibilem Pontificem, cuius arbitrio viſibilis Chriſti Eccleſia regatur, vnum regiũ Sacerdotem,qui hæres poteſtatis ligandi,atque ſoluendi Chriſti fideles,vel damnet ſi obſtinatè deficiant à fidei innocentia, vel pœnitentes abſoluat. Is eſt Pontifex Romanus,qui S.Bernardo teſte *lib. 2. de conſiderat. cap. 9.* eſt Sacerdos magnus,Summus Pontifex,hæres Apoſtolorum,Primatu Abel,Gubernatu Noe,Patriarchatu Abraham,ordine Melchiſedech,dignitate Aaron,auctoritate Moyſes, iudicatu Samuel,poteſtate Petrus, vnctione Chriſtus, poſt Chriſtum Protopaſtorẽ,vnctus ſpiritu,nomẽ differentius prę alijs adeptus, Paſtorũ,& Ouiũ Paſtor,Chriſti Vicarius in plenitudine poteſtatis vocatus.

Quia enim Apoſtolorum Princeps, & Chriſti Vicarius Petrus non Hieroſolymis,non Antiochiæ,non Alexandriæ, non Conſtantinopoli, ſed Romæ ſedem Eccleſiæ Catholicæ fixit, & ibidem vitam glorioſo martyrio conſummauit,nullus Orthodoxorum fuit vnquam, qui Eccleſiam Romanam tanquam Cathedram Petri, & Apoſtolicum Thronum non fuerit reueritus, & ab initio Chriſtianæ Religionis vſque nunc Sancta Eccleſia ſic ex Scripturis credidit,tenuit,docuit,& prędicauit Romanumq; Pontificem vt vniuerſalis Eccleſiæ Antiſtitem,Ieſu Chriſti in Terris Vicarium, & Petri Succeſſorem recognouit & adorauit. Huius autem ſucceſſionis cũ modus ſit, vt non per propagationem carnalem, ſed per electionem in locum demortui nouus Pontifex exaltetur; de qua electione, vt liberè, candidè, ſanctè, & pacificè fiat, Summi Pontifices, & Sacra Oecumenica Concilia non pauca ſtatuerunt, eiuſque habendi formam, & ritum præſcripſerunt, huius Tractatus intentio eſt ea ſimul in vnum collecta explicare,quæ circa vnamquamque illius partem occurrunt difficultatibus apertis, & declaratis. Propterea ſequentes examinantur quæſtiones.

I N-

INDEX QVAESTIONVM.

I.

AN Papa immediatè à ſolo Deo eligi conueniat. 1.

II.

An conueniens fuerit Pontificatum Romanum ſucceſſione carnali propagari. 2.

III.

An conueniens ſit Pontificem non eligi per ſortem. 3.

IV.

An Pontifex viuens poſſit ſibi eligere ſucceſſorem. 4.

V.

An electio Summi Pontificis pertineat ad Laicos. 18.

VI.

An de iure diuino electio Papæ pertineat ad Epiſcopos, ſeu ad Concilium Generale. 27.

VII.

Quæ ſint conditiones eligentium Papam. 34.

VIII.

Vbi habenda ſit electio Pontificis, ſi ipſe extra Romam moriatur. 41.

IX.

Qualis debeat eſſe ſtructura Conclauis. 45.

X.

Qualiter, & à quibus cuſtodiendum Conclaue. 48.

XI.

Qui poſſint, & debeant ſimul cum Cardinalibus ingredi Conclaue. 51.

XII.

Quæ culpa ſit violare clauſuram Conclauis per colloquia, Nuncios, & litteras. 54.

XIII.

Quodnam peccatum ſit violare clauſuram Conclauis per ingreſſum in illud. 64.

XIV.

Qualis pœna lata ſit contrà Prælatos deputatos ad cuſtodiam Conclauis, ſi ſint in eo cuſtodiendo negligentes. 64.

XV.

Qua pœna puniantur alij ſeculares non cuſtodientes Conclaue, vel non exequentes, quæ in Conſtitut. Gregor. X. & Pij IV. ſtatuta ſunt. 67.

XVI.

An ſit lata aliqua pœna contrà egredientes furtiuè de Conclaui, vel ſine licentia. 67.

XVII.

An viuente Papa poſſit tractari de electione ſucceſſoris. 72.

XVIII.

An viuente Papa, vel etiam eo mortuo haberi poſſint ſponſiones ſuper vita, morte, & electione futuri Pontificis. 81.

XIX.

Quando ſede iam vacante fieri debeat electio Papæ. 83.

XX.

An, & quo iure electio Papæ facta per metum ſit nulla. 87.

XXI.

Qualiter, & quo iure electio Papæ ſimoniaca ſit nulla. 89.

XXII.

Quæ pacta, conuentiones, & obligationes prohibita, & quis tractatus permiſſus in electione Pontificis. 98.

XXIII.

Quæ eſſet antiqua forma eligendi Papam. 102.

XXIV.

De forma canonica eligendi Papam in præſenti. 104.

XXV.

Quæ ſint præmittenda electioni Papæ ex lege canonica. 108.

XXVI.

Quæ ſint ſubſtantialia formæ electionis quaſi per inſpirationem. 109.

XXVII.

Quæ ſint ſubſtantialia electioni per compromiſſum. 116.

XXVIII.

Quæ ſint ſubſtantialia electionis per ſcrutinium, & ſcrutinium, & acceſſum. 122.

XXIX.

In quibus caſibus incurratur excommunicatio ob non ſeruatam formam electionis ſtatutam à Gregorio Decimoquinto in Conſtitutione Aeterni Patris. pag. 144.

XXX.

Quæ conditiones ſunt neceſſariæ ex parte eligendi ad Papæ electionem. 147.

XXXI.

De conſenſu electi.

XXXII.

Quæ exceptiones dari poſſint contra electionem Papæ.

XXXIII.

Quis ſit legitimus Iudex intruſi.

XXXIV.

Quæ ſint pœnæ latæ contrà intruſum in Pontificatum.

Digitized by Google

An Papa immediatè à ſolo Deo eligi conueniat.

QVÆSTIO I.

PRoponitur hæc Quæſtio, quoniam Ioannes Vuicleph, vt patet ex eius *ar.* 8. *&* 40. inter damnatos *in Concil. Conſtant. ſeſſ.* 8 ſentit, quod Papa non ex vi electionis humanæ obtineat poteſtatem, ſed eam habeat à Deo ſolo interius illã concedẽte, ſi Papa benè operetur, & ſit prædeſtinatus. Quem errorem ſequutus fuit Io: Huſ. vt conſtat ex *artic.* 20. 22. 26. ex damnatis *in Conc. Conſtant. ſeſſ.* 15. Sed hæc impia ſtultitià eſt.

2. Dicitur igitur primo Papam legitimè electum eſſe verum Papam, etiam ſi alias ſit homo malus, & peccator. Nam poteſtas iuriſdictionis, & ordinis non ſupponit neceſſario in ſubiecto gratiam, & innocentiam. Cum Petrus Apoſtolus in ſua 1. *Epiſt. cap* 2 præcipiat, vt detur obedientia Superioribus, non tantum bonis, & modeſtis, ſed etiam diſcolis, & Chriſtus Dominus *Matth.* 23. dixerit, *Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſei,* quęcunque ergo dixerint vobis ſeruate, & facite, ſecundum verò opera illorum nolite facere, quaſi dixerit, vt exponit Chriſ. *hom. vlt. in epiſt. ad Rom.* Habent auctoritatem, ſed vitæ ſunt immundæ. Et eadem verba expendens S. Aug. *l. 2. contr. Epiſ. Parmen. c.* 4 bene aduertit, quod *Poſſunt eſſe populi boni, vbi fuerint Epiſcopi mali, ſicut potuit eſſe populus malus, vbi fuit Moyſes princeps, & rector bonus.* Vndè ex eo dicto Chriſtus cui Pater omnem poteſtatem tribuit, & apertè demonſtrauit, etiam malos homines, ſi ſuper Cathedram ſuperioritatis ſedeant, & legitimè ſint inſtituti, eſſe veros Superiores, eiſque deberi obedientiam. Sed & Deus ipſe elegit in Regem Iſrael Saulem, qui fuit poſteà rex malus, & Chriſtus elegit ad Apoſtolatũ Iudam, qui fuit proditor, & Apoſtoli *actor.* 6 inter alios Diaconos elegerunt Nicolaum, qui poſtea receſſit à fide, & ſe fecit hæreſiarchã, vt per hoc daretur intelligi, quod ſi contingat eligi aliquem malum, nõ per hoc electio alias facta iuxta leges eſt nulla, ſed ſuperiori legitimè intranti reddenda eſt obedientia.

3. Nec obſtat ſi dicatur, quod mali Principes ſeu Epiſcopi, aut Superiores non regnant, aut dominantur per Deum, iuxta illud Oſeæ 8. *Ipſi regnauerunt, & non ex me, Principes extiterunt, & non cognoui.* Nam dicitur, quod per ea verba Deus ſignificare voluit imprudentiam Iſraelitarum, qui ſine Dei conſilio vel voluerunt habere regem diſſuadente Samuele, vt exponunt Orig. *hom. 2. in lib. Iud.* & D. Th. *2. d. 44. q. 1. art.* 2 *ad* 1. vel temere ab obedientia Regis Roboam, receſſerunt, & peſſimo conſilio Iſraeliticum regnum diuiſerunt, vt dixerunt Hier. Theod. & Theophilactus. Nam alias certiſſimum eſt, quod per Deum Reges quicumque regnant. Prou. 8. Et verum eſt hoc etiam de malis. Sic enim de Deo dicitur Iob. 34. *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.* & Oſeæ 13. Deus ipſe dixit, *Dabo tibi Regem in furore meo.* Quod conſiderans S. Aug *l. 5. de ciuit. Dei, cap.* 21. dixit; *Qui dedit Mario,* ipſe, *& Cæſari; qui Auguſto ipſe, & Neroni,* Qui *Veſpaſianis Patri, vel Filio ſuauiſſimis Imperatoribus,* ipſe, *& Domitiano crudeliſſimo.* Et ne per ſingulos ire neceſſe ſit, qui Conſtantino Chriſtiano, ipſe *Apoſtata Iuliano.* Sic referente Anaſtaſio Niceno *q.* 14. *in ſcript.* Cuidam ſeruo Dei à Deo poſtulãti cur imperium traditum fuiſſet Phocæ Tyranno, Reſpondit Angelus, *quia non inueni peiorem.* Et ibidem ſubdit alteri fuiſſe reuelatum, in pęnam plebis Deum voluiſſe, vt peſſimus homo ad Epiſcopatum promoueretur.

4. Et in ſummo Pontifice, quod ob crimen, non amittitur poteſtas Pontificia, adeò eſt verum, vt crimine hæreſis excepto ob nullum aliud crimen Papa, qui alias legitimè intrauit poſſit iudicari, vel puniri, vel deponi ab hominibus; ſed eius iudicium ſoli Deo reſeruatur, vt habetur ex *epiſt.* 2. *Synodica* Adriani Papæ ad Octauam Synodum, & ex *Canon.* 21. *eiuſdem Synodi*, & ex *cap. Licet de elect. & extrauag. Vnam ſanctam. de maior. & obed.* & ex *cap. Nunc autem diſt.* 21. *& cap. Si Papa d.* 40. *& cap. Mandaſtis* 2. *q.* 5. *cap. Cauſ.* 2. *q.* 7. *cap. Nemo, cap. Aliorum, cap. Cuncta q.* 3. Chriſtus enim *Matth.* 18. dixit quidem eruendum oculum ſi ſcandalizat, & præſcindendam manum, nunquam tamen dixit reſcindendum caput. Ideo etiam ſi peccatum Papæ eſſet notorium ob ſcandalum vitandum non eſſet caput Eccleſiæ amputandum, ſeù Papa deponendus, vt latius ex profeſſo probant Caiet. *tom.* 1. *opuſc. tract.* 1. *cap.* 26. *&* 27. Turrecremata *in ſumma de Eccleſia cap.* 93. *&* 94. & apud eum Petrus de Palude, Henricus, & Vlricus, D. Anton. 3. *par. tit.* 22. *cap.* 4. §. 3. Auguſt. de Ancona *qu.* 5. Iacobatius *lib. 9. de Concil. ar.* 12. Turrian. *lib. de Papa, & Concil.* Albertus Pighius *lib. 6. de Hierarch. Eccleſ. cap.* 14. *&* 15. Corduba *l. 4. q.* 6. Bellarm. *lib. 2. de Rom. Pontifice à c.* 27. Suarez *diſput.* 10 *de fide ſectio. 6. à num.* 14. & latè Bzou. *in Pontif. Rom. cap.* 15.

5. Dicitur ſecundo, Papam non à ſolo Deo eligi, nam certè ſi à ſolo Deo inuiſibiliter eligeretur, non prodeſſet Eccleſiæ, quæ electum ignorans non poſſet ab eo erudiri magiſtraliter, neque corrigi, neque teneretur dictis eius credere, & ſuis mandatis obedire. Deum verò neq: alio ſigno viſibili, & ſenſibili hanc ſuam electionem nobis manifeſtare experientia conſtat. Et licet Deus multorum Pontificum electionem viſibilibus ſignis præmonſtrauerit, & Pontificatu dignos oſtẽderit, vt de Fabiano, Gregorio Magno, Adriano II. Leone IX. Gregorio VII. Caliſto II. Innocentio III. & alijs refert Bzouius *in ſuo Pontifice Rom. cap.* 2. Nullum tamen Deus voluit habendum, vt Pontificem, niſi quem homines ſecundum ritum temporum legitimè eligiſſent. Et ſic Pontifex à Deo quidem eligitur, ſed canonica electione mediante ex hominibus diuinitus aſſumitur.

6. Et hoc cõfirmatur. Hoc .n. exigit Eccleſiæ bonũ, vt ad hoc, vt aliquis ſit Eccleſię Paſtor ſufficiat, quod ſit capax tãtæ dignitatis, & ab Eccleſia legitimè electus; nàm maius malum eſſet, ſi Deo ſolo interius eligente Papam non ſolum, qui bonus eſt Eccleſia ſæpiùs careret capite, & ſemper

Digitized by Google

incerta eſſet, & poſſet dubitare de illo, quam aliquando habere Pontificem infirmum; neque in hoc eſt eadem ratio de homine, & de Deo, ſeu de alijs Prælatis, & de Pontifice; nam aliorum Prælatorum electiones indigent viſibili confirmatione, quia certò conſtare poteſt, quando nam confirmentur, & non debent confirmatores confirmare, niſi quos inuenerint dignos, quia confirmatores ſunt diſpenſatores, nec poſſunt ſupplere inſufficientiam electi, Sed non conſtare poſſet Eccleſiæ, quem Deus eligeret, aut confirmaret, niſi ex Dei reuelatione, quã non oportet eſſe iugem in Eccleſia, ſicut non adeſſe eſt manifeſtum. Non enim conueniens fuit, quod Deus iugi ac perpetuo miraculo Eccleſiam regeret, & vt obſeruauit S.Greg. *hom.29. in Euang. Miracula neceſſaria in exordio Eccleſiæ fuerunt. Vt enim ad fidem creſceret multitudo credentium, miraculis fuerat nutrienda: quia & nos, cum arbuſta plãtamus, tamdiu eis aquam infundimus, quouſque ea in terra iam coaluiſſe videamus. Et ſi ſemel radicẽ fixerint, irrigatio ceſſabit*. Sic contra rationem diuinæ prouidentiæ eſſet ſecundum hunc ſtatum, imo, & contra naturam miraculi, quod Deus iugi, & perenni miraculo voluiſset, & non niſi ad Præſulatum prædeſtinatum hominem eligere, & electum miraculoſa reuelatione oſtendere Eccleſiæ. Nam & conuenit, vt aliquando mali in pœnam malorum populorum præſideant, & dominentur, vt ex ſupradictis patet, & docet D.Th. 2.*diſt.44. q.1.art.2. ad quintum*, & Deus alias poteſt inſufficientiam electi ſupplere cumque de malo etiam bonum facere. Et quod Chriſtus non elegerit Petrum, niſi prius eo interrogato an ſe diligeret non fuit factum tanquam neceſſariũ fundamentum poteſtatis ſit charitas, & vitæ Sãctitas, ſed gratia exempli, vt Paſtores intelligant quales eſſe, & Eccleſia quales ab ea eligi debeãt vt aduertunt S.Auguſt. *lib.de Agon. Chriſti c. 30.* S.Io.Chriſoſt. *l.2.de Sacerdotio, &* San. Leo Papa *ſerm.3. de aſſumptione vnica.*

An conueniens fuerit Pontificẽ Romanum ſucceſſione carnali propagari.

QVÆSTIO II.

1. QVæritur ſecundo, an conueniens fuerit Pontificem Romanum ſucceſſione carnali propagari. Non habet hæc quæſtio difficultatem. Tum primo, quia conueniẽtiſſimum fuit vt in Chriſti Eccleſia Sacerdotes, & Prælati cęlibes viuerent, vnde eſt, quod ex antiquiſſimo Eccleſiæ inſtituto Sacris Ordinibus eſt annexum votum caſtitatis D. Th. 2.2.*qu.88. artic.11.* Caiet. *tom. 1. q. 27.* Sotus *l. 7. de inſtit. q.6. ar.2.* Bellar. *l.1.de Cler.cap.18.* Chriſti enim Sacerdotes illi Eunuchi ſunt, de quibus dixit Chriſtus *Matth.19. Sunt Eunuchi, qui ſe ipſos caſtrauerunt propter Regnum Cælorum*. De quibus etiam idem Chriſtus loquutus fuit *Lucæ* 20. Et quos promiſerat Deus Iſaiæ *cap. 56.* Quod ſi *Gentilium Sacerdotes* magna ex parte continentiam, & veſtales virginitatem profitebantur, multo magis inquit Aug. *ſer.37. ad fratres*, conueniens fuit, vt corporis, & animi integritatem haberent, qui Sacramentum Corporis, & Sanguinis Chriſti conficiunt, ſuſcipiunt, & adminiſtrant. Non fuit igitur conueniens, vt Prælaturæ, & præcipuè ſuprema per carnalem filiorum propagationem conſeruarentur. Non decuit enim, vt Pontifex eſſet vxoratus, quoniam vt habet Turrecrem. *cap In nomine Domini diſ.23.a.1. ad* 2. ad ſummum Pontificem pertinet ſollicitũ eſse circa ea, quæ Dei ſunt, & non eſſe diuiſum. Qui autem cum vxore eſt, vt ait Apoſt in 1. *ad Corinth.7.* S. ſollicitus eſt, quæ ſunt mundi, & diuiſus eſt.

2. Tum ſecundo, quia hoc exigit conditio Chriſtianæ Eccleſiæ ad differentiam Synagogæ. Illa enim per carnalem propagationem ex Iacob manebat, ſed in Chriſti Eccleſia fideles ſpiritualiter in Chriſto naſcuntur per Baptiſmum. Lex enim illa vetus carnalis erat, quia carnalia præcipiebat, in carnalibus ſacrificijs offerendis fideles occupabat, & ſe obſeruantibus carnalia in figuram ſpiritualium, quæ lex gratiæ allatura erat, promittebat Propterea S.Paulus ad Heb. 7 legem illam dixit legem mandati carnalis? Vbi Chriſoſ. *Quid eſt*, inquit, *mandati carnalis - Circumcide carnem, vnge carnem, laua carnem, munda carnem, tonde carnem, alliga carnem, nutri carnem, otiare carne. Et bona rurſus quænam? lac, & mel carni, pax carni, alimentum carni*, Et in eodem ſenſu locum hunc explicant D.Th. *l.3. Auctor. Commentar. in Epiſ.ad Hebr.* ſub nomine Ambroſij, Theodoretus, & alij. Ideo merito tunc Deus inſtituit, vt Sacerdotes ſecundum carnalem propagationem ex Aaron ſuccederent. Nam & illud Sacerdotium carnale erat, quippè quod totum in mactandis bobus, & ouibus occupabatur. Sed in Eccleſia Sacerdotium ſpirituale eſt, & eius munus eſt offerre Deo hoſtiam ſpiritualem, & ſanctam. Merito igitur, & eiuſdem Sacerdotij propagatio ſpiritualis eſt, & fit ſpectatis meritis per electionem, Sacerdotium enim Chriſti ſequitur gratiam ſpiritualem, vt docet D.Th.3.*p. q.31 ar.8. ad* 4. & merito hoc ſacerdotium dicitur ſecundum ordinem Melchiſedech ſine Patre, & ſine matre, & ſine genealogia; quia non carnis ſucceſſione, ſed ſpiritualiori modo, per electionem eſt propagandũ, vt aduertit idem Turrecr. & elegantiſsimè expreſſit S.Leo Papa *ſer.2. de ſui aſſumptione*, dicens. *Ipſe eſt enim, de quo propheticè ſcriptum eſt: Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, hoc eſt non ſecundum ordinem Aaron, cuius ſacerdotium per propagationem ſui ſeminis currens, temporalis myſterij fuit, & cum veteris teſtamenti lege ceſſauit; ſed ſecundum ordinem Melchiſedech, in quo æterni Pontificis forma præceſſit, & dum quibus parentibus ſit editus non refertur, in eo ille intelligitur oſtendi, cuius generatio non poteſt enarrari: Denique cum huius diuini Sacerdotij Sacramentum, etiam ad humanas peruenit functiones, non per generationum tramitem curritur, nec quod caro, & ſanguis creauit eligitur, ſed ceſſante priuilegio Patrum, & familiarum ordine prætermiſſo, eos Rectores Eccleſia recipit, quos Spiritus Sanctus præparauit, vt in populo adoptionis Dei, cuius vniuerſitas Sacerdotalis, atque regalis eſt, non prærogatiua terrenæ originis obtineat vnctionem, ſed*

digna-

Digitized by Google

dignatio cæleſtis gratiæ gignat Antiſtitem. Et in eodem ſenſu loquuntur Hier. *in cap. 66. Iſaiæ*; Orig. *hom. 22. in Num.* D. Th. *in cap. 7. Epiſ. ad Rom.* Et ideo Petro non prius promiſsum fuit ſummum Sacerdotium à Chriſto, dicente *Matth. 16. Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam,* quam primo eidem Petro dictum fuiſset, *Beatus es Simon Bariona, quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui in Cælis eſt.* Quia claues regni Cælorum non carni, & ſanguini, ſed fidei conſignandæ erant: Et Petrus non niſi poſt experimentum, & confeſſionem dilectionis Chriſti inſtitutus fuit Papa, quia hæc dignitas non carnali conſanguinitati, ſed ſpirituali coniunctioni hominis cum Chriſto eſt proportionata.

3. Tum tertio, quia ſucceſſioni carnali accidit, quod digni ſint, qui naſcuntur & apti ad regimen; & præcipuè ad regimen ſpirituale animarum, quod exigit ſummam ſcientiam, prudentiam, & bonitatem, ideo ſucceſſio carnalis eſt inepta ad propagandum Sacerdotium Chriſti, & ad inſtituendum Caput, Paſtorem, & Supremum Rectorem animarum, Turrecr. *vbi ſup.* Bellarm. 1. *lib. de Cleric. cap. 6.* Bonac. *de elect. Pontificis q. 3. nu. 2.* Et ſanè cum Pontifex in Eccleſia Chriſti debeat eſſe forma viuendi Gregi, qui ſubditos nedum verbo, ſed exemplo doceat, dirigat, & ad vitam æternam ducat. Vndè iuxta Pauli doctrinam ad Tit. 3. *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe*, & ad Tit. 1. *Oportet Epiſcopum ſine crimine eſſe*, inepta omninò eſt propagatio carnalis ad Chriſti Sacerdotium promouendum, & conſeruandum. cum plerumque etiam Patrum Sanctiſſimorum filij ſuccedant iniquiſſimi, vt exempla habemus in Samuelis, Dauidis, Ezechię, & Ioſeæ filijs. Vndè Eccleſia magnum recipiſſet detrimentum, & in peius ruiſſet, & fides in diſcrimen maximum fuiſſet adducta, vt ex Regum Iſraelitarum, & Iudæ exemplis eſt manifeſtum, & ſæpiùs accidiſſet, vt ineptiſſimi iuuenes, & corrupti, & ſtolidi cathedram Chriſti aſcendiſſent, & Eccleſiæ bona, quæ Chriſti ſunt patrimonium in vſus prophanos conuerſa fuiſſent, & vndique mala Eccleſiam inundaſſent. Non ergo carni, & ſanguini, ſed fidei, et vitæ Sacerdotium Chriſti debetur, vt non caro ſit, ſed Spiritus Sanctus, qui Eccleſiæ ſuæ ſponſum Antiſtitem, Paſtórem, & Caput donet.

Adde etiam quarto, quod cum Eccleſia non ſit vnius gentis anguſtis finibus circumſcripta, ſed omnes nationes quantumuis barbaras ſuo ſinu amplectatur. ad Coloſſen. 3. Non eſt vnde eius Principatus, & Regale Sacerdotiũ ad vnius familiæ, vel gentis anguſtias reuocetur. Vndè eſt quod Eccleſia ex omni natione eos præficiendos curauit, qui ad Eccleſiaſticam adminiſtrationem maximè idonei viſi ſunt.

An conueniens ſit Pontificem non eligi per ſortes.

QVÆSTIO III.

1. QVæritur tertio. An conueniens ſit, vt Pontifex non eligatur per ſortes? Conuenientiſſimum nedum, ſed neceſſarium eſt, tum ex iure canonico, tum ex iure diuino, vt Summi Pontificis electio non fiat per ſortes. Nàm iure Eccleſiaſtico prohibitum eſſe vſum ſortium in electionibus manifeſtum eſt, ex *cap. Eccleſia de ſortileg.* & ex D. Th. *22. q. 95. ar. 8. cap. Et cæteris Doctoribus.* Quia electiones non caſu, ſed diuino conſilio haberi debent. Sors enim non eſt virtutis, ſed Chriſ. *homil. ad Epheſ.* Sed, & de electione Summi Pontificis loquendo, cum per Summos Pontifices ſit præſcripta forma in huiuſmodi electione, quam non licet præterire, ſequitur quod vſus ſortium in ea ſit illicitus. Sed nedum ex iure Eccleſiaſtico, ſed ex iure diuino nequit Papa eligi per puras ſortes. Nam ſi ſortes ſunt ſuperſtitioſæ, quia expectetur euentus vel à Cœlo, vel à Diabolo, earum vſus impius eſt, & ſacrilegus. Si verò euentus expectetur à caſu, ſacrilegum quoque eſt electionem Rectoris animarum, & Summi Pontificis, & Sacerdotis Chriſti committere incertitudini caſus, ex quo contingere poteſt, vt tam indignus eligatur, quam dignus. Sed ſi etiam euentus ſperetur, & expectetur à Deo, hoc eſt adhuc illicitum, quia eſt tentare Deum, cum nec Deus promiſerit, vt per ſortes ſit electus melior; nec adſit neceſſitas huius experimenti, cum aliundè non deſit conſilium, & facultas prouidendi Eccleſiæ deliberatè, & cum prudentia Turrecrem. *c. in nom. Domini ar. 1. ad primum argumentum fin.* Bellarm. *l. 1. de cler. cap. 5.* Azor. *p. 2. l. 4. cap. 5. q. 5.* Bonac. *de elect. Pontificis diſp. 1. q. 5. n. 2.* Nam & in magiſtratibus ſæcularibus creandis vſum ſortium non conuenire probat Philo *lib. de creat. Princip.* ſtatim à principio. Nam nec infirmi ſorte capiũt medicos, quibus curentur; nec ſorte decernitur, quis gubernaturus puppim aſcendat, & vt dixit Cicero *lib. 2. d Diuinat. Quis magiſtratus, aut quis vir illuſtrior vtitur ſortibus?* Et tandem vt habet Ambroſ. *lib. 4. exam. cap. 21. In ſortibus euentus eſt, non iudicium, & ſæpè irrationabilis caſu ſorte melioribus vltimus quiſque præfertur.*

2. Si tamen aliqua electio præcederet vſum ſortium, earum vſus non eſſet de iure diuino, aut naturali illicitus. Vt v. g. prout accidit in electione Apoſt Matth. prius eligerentur duo, vel tres optimi, ex hijs, qui poſſunt haberi, ſicuti Apoſtoli elegerunt Matthiam. Et neſcientes inter huiuſmodi electos diſcernere meliorem, Deum rogarent, & præmiſſis precibus electionem vnius ex illis Deo commendarent, & in facti contingentia adeſſet omnibus penſatis cauſa rationabilis ſic faciendi, huiuſmodi electio non eſſet iure naturæ, aut diuino mala, & irrita, Nam in hoc, vel ſimili caſu licere vti ſortibus habetur ex Sancto Aug. *l. 1. Doc. Chriſt. cap. 28. & epiſ. 180. ad Honoratum.* Orig. *hom. 23. in Ioſue*, & D. Thom. *vbi ſup.* Et apud Iudeos conſuetum fuiſſe, vt ex Sacerdotibus eligeretur vnus, qui certo tempore adoleret thus Domini in templo, colligitur ex illo Lucæ 1. *Sorte exijt, vt Zaccarias incenſum poneret.* Et ad hunc ritum vtendi ſortibus reſpexiſſe Apoſtolos in electione *S. Matthiæ ex S. Amb. in cap. 1.* Lucæ, & Beda *in cap. 1. Actor.* aduertit Bellarm. *l. 2. de Clericis cap. 5.* Cum enim non ſupereſt humanum conſilium recurrimus ad diui-

num. *cap. Quæritur* 22. *qu.* 2. *& cap. Si nulla* 23. *quæſt. fin.* licet non debeamus capere in exemplũ, quod aliquando factum eſt à Sanctis. Pro quo etiam facit text. *cap. Non exemplo* 26. *q.* 2. quod & voluit Gloſſ. *in cap. Cleros in princ.* 21. *diſt. & gloſſ. in ſumma* 26. *q.* 2. Pariter ſorte dirimi poſſe litem, quæ verſetur inter duos electos ad Pontificatum tradiderunt Cardin. *conſ.* 150. *ad fin. &* & Felin. *in c. Capitulum ad fin. de reſcript.* & Card. Albanus *q.* 58. & Azor. *p.* 2. *lib.* 4. *cap.* 5. *q.* 5. quando alia via commodiori lis non poſſit dirimi, quod, & tenuerunt Sanchez, & Laynian. apud Bonacinam *de elect. Pontif. q.* 9. *n.* 2.

3. Sed nihilominus ſpectato iure Eccleſiaſticõ, & forma electionis præſcripta, & omninò ſeruanda vix imaginari poteſt caſus, in quo plures ſint electi Papæ, & vtriuſque ità probabile ſit ius, vt Pontificatus litem ſorte dirimi, ſit neceſſe. Cum enim electus à duabus partibus Cardinalium exiſtentium in Conclaui exceptione nõ obſtante ſit Papa, ſi Cardinales extra Conclaue eligentes alium eligant; certum eſt, quod electio eſt nulla, & intra idem Conclaue non poteſt eſſe, quod duo ſint electi à duabus partibus Cardinalium, & electio ſit dubia, & ſortibus determinanda. Nam ſi duæ partes eligunt vnum, nõ eligunt alium, niſi vel omninò nulliter, vel ita, vt vnus pluribus ſuffragijs inuenetur, qui ex vi Conſtitutionis Greg. XV. *Aeterni Patris.* §. *At ſi contingat* erit Papam. Nam ex eadem Conſtitutione ſi vota ſint æqualia electio eſt nulla, ſed etiam ſi Cardinales ſe diuiderent, & duo Conclauia ingrederentur, & duæ electiones fierent, adhuc valdè difficilè eſſe poſſet, vt non eſſet vna ex illis electionibus adeò euidenter nulla, vt neceſſarius eſſet vſus ſortis ad litem finiendam. Et tandem ſi detur occaſio, quod duo ſint electi in ſummos Pontifices, & litigent de Papatu ad Concilium Generale eſt recurrendum, vt ad Iudicem. Nec licet ſorte diuidere litem, quæ ſit de titulo Papatus. Iacobat. *l.* 3. §. *An poſſit.* Bonac. *vbi ſup.* Et de hoc extat expreſſum decretum Concil. Conſtant. *in ſeſſ.* 39. per quod litem ſimilem, & ſchiſma cognoſcendum eſſe, et tollendum per Concilium decernitur.

4. Et quia in hoc decreto ſupponitur, quod locus Concilij ſit deputatus ex vi Conſtitutionis, ibidem latæ, vt de decennio in decennium celebretur Concilium Generale, & quod ante finem cuiuſcunque Concilij Pontifex conſentiente Concilio deputet locum pro futuro Concilio, quoniam hæc conſtitutio in vſu non eſt, contingere poſſet, vt orto ſchiſmate diſſentirent Pontifices electi de loco Concilij habendo, & ex conſequenti, quod interim infra annum à die orti ſchiſmatis non poſſet celebrari Concilium, ſed de hoc eſſet concertatio inter electos, & eorum obedientias. In hoc autem caſu, in quo eſſet contentio de loco, & tempore Concilij deputãdo, ſi aliter lis dirimi non poſſet, eam ſorte dirimi non eſſet malum; Iacobat. *l.* 3. *ar.* 1. §. *vtrumque ſit, pag.* 179. Nam & abſolutè, quod ſorte dirimi poſſit lis de loco electionis, docuit Panor. *cap.* 1. *nu.* 6. *Ne Sede vacante.* Vndè etiam eſt, quod ſi vnquam poſſet contingere caſus, vt eſſet lis, vel de loco, in quo celebranda eſſet electio Papæ, vel vbi fabricandum Conclaue, eadem ratione ſi aliter fieri non poſſet licitè per ſortes dirimeretur. In quo tamen ſemper conſiderandũ, quod vt aduertit Iacobat. *l.* 3. *ar.* 1. §. *Et ſi dicatur pag.* 191. *ex l. ſi cum ambo, & l. ſi duobus communi eſſ. deleg.* & ex Panorm. *cap. fin. de ſortileg.* & Carcin. *cap. Licet de elect.* ad iudicium ſortis nunquam deuenitur, niſi partibus conſentientibus, vel ad petitionem illius, de cuius præiudicio agitur.

Sed quid ſi in electione Papæ ſorte eligerentur compromiſſarij? Vel ſorte eligerentur quinque vel ſex, ex quibus vnus ad libitum eligeretur per ſcrutinium? Theſau. *in praxi p.* 2. *v. electio cap.* 2. ſentit in priori caſu non irritari electionem, ſecus vero in ſecundo. Sed *in tract. de elect. cap.* 18. *q.* 4. *num.* 12. probaui non eſſe differentiam inter vtrumque caſum, quantum ad hoc, quod eſt irritare electionem, vel non irritare. Modò addo quod Cardinales peccarent grauiſſime in vtroq; caſu. Quia tam Compromiſſarij, quam perſonæ eligendæ iudicio, & conſilio præeligi debent non caſu, & fortuna. Secundo dico, quod in vtroque caſu electio eſſet irrita; quia in vtroque caſu per ſe dependeret à ſorte in eo, quod ex prudentia debet diſcerni. Et quidem in electione compromiſſariorum ex Conſtitutione *Aeterni Patris, v. matura,* Omnes, & ſinguli Cardinales debent nullo diſſentiente committere electionem Compromiſſarijs, & hoc eſt de forma talis electionis; At verò ſi hoc fieret per ſortes, non ipſi Cardinales, ſed fortuna committeret electionem Compromiſſarijs. In electione vero per ſcrutinium, ſi ſorte præeligerentur, & determinarentur eligendi, nec electores poſſent iuxta Conſtitut. *Aeterni Patris,* iurare ſe eligere, quem ſecundum Deum iudicant eligendum, cum hic poſſet eſſe alius ab acceptis per ſortem; nec in tali electione liberum locum haberet prudentia. Et dum Pontifex tres formas eligendi determinat cum decreto irritante, proculdubio loquitur de illis, vt humano modo prudenter haberi poſſunt, & debent, & ita vt determinatio etiam ad genus perſonarum, aut numerum haberi poſſit, ex prudentia, & conſilio, non verò ex caſu, & cæca fortuna. Adde, quod compromiſſum, et ſcrutinium ſorte mixtũ, eſt forma eligendi eſſentialiter diſtincta à cõpromiſſo, & ſcrutinio puro.

An Pontifex viuens poſſit ſibi eligere Succeſſorem.

QVÆSTIO IV.

1. Quæritur quarto. An Summus Pontifex viuens poſſit ſibi ſucceſſorẽ eligere? Hic eſt alius modus ſucceſſionis per quẽ Põtificatus poſſit conſeruari in Eccleſia, & perpetuari, vt Pontifex viuens ſucceſſorem nominet, & eligat, qui poſt mortem ſine alia electione ſit verus Põtifex, & Chriſti Vicarius. Eſt autem in hac difficultate prima ſententia diſtinguens inter poſſe licitè, & poſſe validè, & dicens primo, quod Papa licitè non poteſt ſibi ſucceſſorem eligere ſine vrgentiſſima, & grauiſſima cauſa, & ſine conſen-

ſu

Digitized by Google

ſu omnium Cardinalium, & ſecundo addens quod Papa de plenitudine poteſtatis poteſt ſibi validè ſucceſſorem eligere. Sed antequam proponantur, quæ faciunt pro hoc ſecundo dicto, in quo ſtat punctum controuerſiæ, vtilius erit examinare primam partem, in qua parua lis eſſe poteſt.

2. Probatur autem illa pars, tum primo, quia Summus Pontifex, vti non debet plenitudine poteſtatis abſq; grauiſſima cauſa. Innocen. *cap. Innotuit de elect.* Panorm. *in cap. Ad hæc de reſcript. num.* 8. Iacobat. *l. 7. artic.* 8. *num.* 34. & 293. Electio autem ſucceſſoris pertinet ad plenitudinem poteſtatis. Tum ſecundo, quia hoc eſt contra conſuetum Eccleſiæ vſum. Tum tertio quia ex huiuſmodi electione ſcandalum oriri poſſet, & videretur Pontificatum hæreditario iure prouenire. Tum quarto, quia cum ſit incertum an Papa validè poſſit ſibi ſucceſſorem eligere cum oppoſitum teneant quamplures ex doctiſſimis Theologis, & Canoniſtis ex rationibus non debilem vim facientibus intellectui, ſi Pontifex ſequens eam opinionem, quæ affirmat ſibi licere eligere ſucceſſorem, illum eligere, exponeret Eccleſiam manifeſto periculo ſchiſmatis peſſimi. Quod periculum eo eſt manifeſtius, quod cum Eccleſia à mille ſexcentis, & amplius annis ſit in pacifica poſſeſſione eligendi ſibi Pōtificem, non tam de facili permitteret ſe priuari hoc iure, & ſummè timendum eſſet, ne aliud ſibi Pontificem eligeret, & vnitatem ſcinderet. Vndè dato, quod Pontifex poſſet ſibi validè eligere ſucceſſorem, nedum hoc facere non deberet abſque grauiſſima cauſa, ſed vix eſt imaginabilis tanta neceſsitas, quæ hanc ſucceſſoris electionem excuſare poſſet à peccato propter euidens periculum Schiſmatis coniunctum tali electioni.

3. Quod verò addit Bonacina *de elect. Pontificis contr.* 1. *q.* 5. *punct.* 4. *n.* 2. quia nimirum Pontifex licitè non poteſt ſucceſſorem eligere, conſenſu omnium Cardinalium, quia ſingulis Cardinalibus competit ius eligendi Papam, at verò non licet iuri alterius præiudicare illo non conſentiente *cap.* 1. *diſt.* 66. & regula. Quod omnes tangit, *de reg. iuris in* 6. non dicitur conſequenter, & cum fundamento. Nam ſi alias Papa poteſt ſibi eligere ſucceſſorem, non eſt conceſſum Cardinalibus ius eligendi Papam in præiudicium iuris eiuſdem Papæ, quia nec Papa ipſe hoc præiudicium poteſt ſuis ſucceſſoribus facere, cum non poſſit vnus Papa alterius poteſtatem, & ius reſtringere, nec in præiudicium poteſtatis Pontificiæ Papa concedit priuilegia, ideò facultas eligendi Papam conceſſa Cardinalibus non eſt, niſi ſub conditione, quod Eccleſia vacet, & niſi Papa aliter prouiderit, ſi Papa aliter prouidere poteſt. Et ita ſi Papa validè poſſet ſibi ſucceſſorem eligere, & illum eligeret, nullum præiudicium faceret Cardinalibus, quia nec Papatus vacaret, ſed in inſtanti mortis Papæ alius à Papa electus Papa eſſet, nec daretur vel minimum tempus, in quo Eccleſia eſſet viduata, & vacans, nec facultas data Cardinalibus eſt facultas abſoluta, ſed ſub conditione, quod Papa ipſe viuens Papam futurum non eligat, ſi Papa ſibi poteſt eligere ſucceſsorem. Verum eſt, quod hic conſenſus eſſet neceſſarius ad licitè eligendum Papam, ad hoc vt tolleretur periculum Schiſmatis, quod euidentius, & proximius immineret, ſi huiuſmodi electio fieret non conſentientibus Cardinalibus. Quamuis nec poſito illo conſenſu, etiam iurato ceſsaret hoc periculum. Quia voluntas hominis eſt mutabilis, & deambulatoria, & maximè in re tanti intereſſe, & cum ſit incertum, & controuerſum, an Papa electus à Papa anteceſsore ſit verus Papa; hæc incertitudo iuncta intereſſe Papatus ſufficiens eſset ad mouendum quamplures ex Cardinalibus ad frangendum cuiuſcunque iuramenti vinculum ſub prætextu, & quod conſenſus datus viuente Papa pro electione ſucceſsoris fuiſſet coactus, ſicut re vera poſset præſumi talis, & quod prouidendum eſset Eccleſiæ de indubitato Paſtore. Et ideò niſi Papa ex Cathedra determinaret ipſum poſse ſibi eligere ſucceſſorem vix eſset poſſibilis imaginari caſus, in quo hoc liceret facere abſque graui peccato, etiam ſi vera eſset opinio affirmans eum poſse validè ſibi ſucceſſorem eligere.

4. Punctum igitur eſt. An Papa validè hoc poſſit, vt ſibi ſucceſſorem eligat. Et prima opinio eſt, quæ hoc affirmat, & probat. Tum primo, quoniam Papa poteſt id omne, quod pertinet ad Eccleſiæ viſibilem adminiſtrationem, habet enim in Eccleſiam plenitudinem poteſtatis, vt docet D. Thom. 22. *quæſt.* 89. *art.* 9. *ad* 3. & 3. *par. q.* 72. *a.* 11. *ad primum* At verò ad plenitudinem poteſtatis Hierarchicæ ſpectat etiam ſucceſſorem eligere. Sic enim, & Dauid elegit ſibi ſucceſſorem Salomonem qui tamen non erat Primogenitus eius. Secundo quia tantam poteſtatis plenitudinem habet Pontifex Petri ſucceſſor ad Chriſti oues paſcendas, quantam habuit S. Petrus, qui tamen habuit poteſtatem ſibi eligendi ſucceſſorem. Nam de facto elegit S. Clementem, vt ſibi in Pontificatu ſuccederet, vt patet ex *epiſt.* 1. S. Clementis ad Iacobum fratrem Domini; & ex Ioanne 3. Papa epiſ. ad Epiſcopos Germaniæ vt habetur *cap.* 1. & 2. 8. *q.* 1. & *alijs apud Bellarm. l.* 1. *de Clericis cap.* 8. & Baron. *anno* 69. *n.* 11. & Suarez. contra Regem Angliæ *l.* 3. *cap.* 13. nec poteſt dici, quod Epiſtola illa ſit ſuſpecta, & non ſit certum illam fuiſſe S. Clementis, quoniam huius Epiſtolæ meminere liber Pontificalis in Clemente, & Photius in Biblioth. *cod.* 112. & eandem citauerunt Anacletus *epiſ.* 1. & *Alex. p. epiſ.* 1. Vaſionenſe Concilium *cap.* 6. anno Domini 442. congregatum. Nicolaus primus in *Epiſ.* 49. anno Domini 867. Io: 8. *epiſ.* 234. anno Domini 829. Concilium Metenſe ſub Arnulpho Rege celebratum *cap.* 8. Greg. 7. *lib.* 8. *regiſtri epiſt.* 21. anno Domini 1080. Et eiuſdem exemplar Grecum in Vaticana Bibliotheca ſe vidiſſe teſtatur Franciſcus Turrianus. Vnde eam epiſtolam eſſe S. Clementis fatentur Gratianus qui ex ea, quam plurima capita tranſtulit in ſuo decreto, & præcipue *cap.* 2. 8. *q.* 1. *vbi gloſſa* & Canoniſtæ communiter non dubitantes de auctore, & exiſtentia illius epiſtolæ admittunt factum in ea narratum, nimirum, quod Petrus viuens elegerit S. Clementem in ſuū

ſucceſ

ſucceſſorem. Alias verò, quod eadem Epiſtola ſit Sancti Clementis docent Lambertus Gruterus Vernadius in præfect. operum S. Clementis. Franciſcus Turrianus *lib.* 2. pro Epiſtolis *cap.* 13. Bonacina de electione Pontificis *contr. p.q.* 5. *punt.* 4. *num.* 5.

5. Tum tertio quia Epiſcopi inferiores poſſunt conſentiente Pontifice ſibi ſucceſſorem eligere, vt experientia demonſtrat, & concelſit Præſuli Moguntino Zacharias Papa, vt habetur *cap. petiſti* 7. q. 1. multo magis igitur hoc poteſt Papa ipſe, vt ſibi ſucceſſorem eligat.

6. Tum quarto quia facultatem eligendi Pontificem Chriſtus non contulit immediatè Eccleſiæ, ſed Petro, & ex conſequenti Pontifici, quia hæc eſt poteſtas ſpiritualis data ei, cui Chriſtus commiſit Eccleſiam ſuam, quam certè non commiſit Eccleſiæ eidem, quia non commendauit Eccleſiam Eccleſiæ, oues ouibus, & agnos agnis; ſed & oues, & agnos Paſtori, & Eccleſiam Petro, vt tradit Caiet. *l.* 1. *opuſ. tract.* 1. & ſuarez vbi ſupra *cap.* 10. Vnde hoc confirmatur quinto. Nam ad Pontificem ſpectat formam eligendi Papam, & modum præſcribere, vt patet ex Conſtitutionibus Nicolai II. Alexandri III. Clementis V. Clementis VI. Iulij II. Pauli IV. Pij IV. & Gregorij XV. igitur eadem ratione poteſt etiam immediate ſucceſſorem eligere. Nam & hoc ſpectat ad modum, & formam eligendi, quod Papa eligatur ab hoc, & non ab illo, nimirum à Clero, & non à Laicis, à Cardinalibus, & non à reliquo Clero, à Pontifice ipſo, & non à Cardinalibus.

7. Tum ſexto nam ex oppoſito ſequitur vel quod regimen Eccleſiæ non ſit monarchicum, vel quod ad regimen monarchicum non ſpectet, vt omnis poteſtas, quæ eſt in membris ſit plenius in monarcha, quod eſt contra doctrinam Ariſt. *lib.* 3. *Polit. cap.* 5. & *l.* 8. *Ethic. cap.* 10. vt probat Bellarm. *lib.* 1. *de Pontifice cap.* 1. vel quod ad perfectum monarcham non ſpectet ſibi ſucceſſorem eligere, quod eſt contra Ariſt. *lib.* 5. *Polit. cap.* 3. & *lib.* 8. *Ethic. cap.* 10. vel quod non omnis poteſtas, quæ fuit in Petro ſit in alijs Pontificibus, quæ omnia abſurda ſunt. Septimo quia Pontifex poteſt alteri etiam Laico facultatem concedere vt eligant Pontificem in vacãtia Pontificatus, ſicut de facto conceſſerunt Adrianus I. Carolo Magno, & Leo VIII. Ottoni I. vt habetur *cap. Hadrianus* 2. & *cap. In Synodo diſt.* 63. ergo multo magis ipſe poteſt immediatè per ſe ipſum futurum Pontificem deſignare. Octauò quia facultatem hanc competere Summo Pontifici habetur *cap. ſi tranſitus diſt.* 79. Et nono quia de facto Bonifacius II. elegit ſibi ſucceſſorem Vigilium.

8. Vnde hanc partem tenuerunt Victoria *Relect.* 2. *de poteſt. Eccleſ. q.* 2. *propoſ.* 10. *num* 23. *pag. mihi* 94. Martinus de Ledeſma 24. *quæſt.* 20. *à* 4. *concl* 10. *Vaſquez* 3. *par. diſp.* 244. *ca.* 3. *Brixien. in repertorio* 11. *Papa.* Bonacina *de electione Pontif. contr.* 1. q. 5. *punct.* 4. *num.* 3. Vbi pro hac ſententia refert Felinum *in cap.* 1. *de Conſtit. n.* 23. qui oppoſitum docet. Ibi enim reprobat quidem rationem gloſſæ deſumptam *ex cap. Apoſtolica* 8. q. 1. quia cum ſtatutum illius *cap.* ſit poſitiuum ei non ſubijcitur Papa, quod eſt id, quod Felinus ibi ex propoſito tractat, & ità ex vi illius *cap.* ſentit Papam non prohiberi eligere ſucceſſorem, ſed tamen ſubdit, *Poteſt tamen hoc*, ſcilicet, quod Papa non poſſit eligere ſucceſſorem, *alia ratione probari, quam ſubtiliter ponit Dominus Abbas in Rubr. infra de teſtam.* Vnde cum Abbate ſentiente quod Papa nequit ſibi ſucceſſorem eligere concordat in concluſione, & ratione.

9. Pro eadem ſententia Bonacina citat Iacabarium *l.* 9. *de Concil. art.* 3. *num.* 10. ſed licet ibi examinans ſeptimum modum terminandi ſchiſma, (qui modus conſiſtit in hoc, vt per contendentes fiat vna conſtitutio, quod vno mortuo, vel canonicè amoto, alius contendens ſuperſtes po ſſit ius verum, vel prætenſum defuncti, vel deiecti adminiſtrare vel ipſo facto acquirat ſine electione) & obijciens contra illum modum, quia quod Papa non poteſt ſibi ſucceſſorem eligere *cap.* 1. & 2. 8. *q.* 1. reſpondeat primo, quod hoc poteſt tollerari pro vna vice, vt tollatur ſchiſma, & quod nec Papa agens de plenitudine poteſtatis ligatur præfatis legibus. Vnde ſolum per accidens, & pro vna vice credit eſſe tollerabile vt Papa ad tollendum ſchiſma ſucceſſorem eligat. Tamen nec in ea ſola reſponſione ſe fundat, ſed addit aliam, & negat, quod in caſu præfato Papa eligat ſucceſſorem, ſed ſolum ſuam obedientiam in adminiſtrationem cõcedit, & iterum ſubſequenter admittit quod Papa ſibi ſucceſſorem non poſſit eligere iuxta id, quod alibi, ſcilicet locis infra citandis docuerat. Bonacina pro eadem ſententia refertur Bellar. *lib.* 2. *de Clericis cap.* 8. ſed nec in Bellarm. eſt *lib.* 2. *de Clericis*, ſed tantum *lib.* 1. vbi *cap.* 8. non de electione Papæ tractat, ſed de electione Epiſcoporum, quam probat ſpectare ad ſummum Pontificem. Et nihil ibi habet, quod ad hanc quæſtionem faciat, niſi, quod Petrus elegit ſibi ſucceſſorem Clementem. Quod etiam admittunt quamplures ex illis, qui tenent Papam non poſſe ſuum ſucceſſorem eligere. Citatur pro eadem ſententia à Bonac. *Caiet. tom.* 1. *opuſ. tract.* 1. *cap.* 13. Vbi nil tale dicit & *tract.* 2. *par.* 2. *c.* 22. ipſemet de ſe ait. *Nunquam dixi quod Papa poteſt ſibi* elegere ſucceſſorem. Refertur etiam pro eadem ſententia Suarez, qui tamen eam non tenet niſi modificatam, & in ſenſu ſententiæ ſequentis

10. Secunda ſententia videns non conuenire generaliter, quod Papa viuens ſibi eligat ſucceſſorem, inquit, quod ſi Papa tentaret præſcribere hunc modum eligendi tanquam ordinariũ, huiuſmodi Papæ ſtatutum non valeret, neque eſſet obſeruandum, quia planè vergeret in perniciem Eccleſiæ, vnde apertam contineret iniuſtitiam. Tamen ſi in raro caſo vrgente aperta Eccleſiæ neceſſitate id faceret iuſtè faceret, legitimaque poteſtate vteretur. Hæc eſt ſententia Suarez *diſp.* 10. *de fide ſect.* 4. *num.* 16. Bald. *etiam cap. licet n.* 13. *de elect.* docuit, quod Concilium non poteſt facere generale ſtatutum de quocunque Papa, vt poſſit ſibi eligere ſucceſſorem. Et ex hoc videtur inſinuare, quod Concilium poſſet ſtatuere in caſu particulari pro aliquo Pontifice,

tifice, vt ſucceſſorem eligeret. Prima autem pars huius ſententiæ debet intelligi nedum de impotentia faciendi licitè, ſed etiam de impotentia faciendi validè. quia ſentit, quod illud ſtatutum generale, vt ordinariè Papa ſucceſſorem eligeret non valeret, neque eſſet obſeruandum. Igitur ſentit quod ſi Papa in vi talis ſtatuti eligeret Succeſſorem, hæc electio non valeret, nec electus eſſet recipiendus, vt Papa, quia ſi eſſet recipiendus igitur ſtatutum valeret & eſſet obſeruandum.

11. Tertia ſententia eſt eorum, qui abſolutè negant poſſe Papam ſibi eligere Succeſſorem, licet ad Pontificem ſpectet ſuprema directio Eccleſiæ etiam in Pontificis electione Sic enim ex Theologis docuerunt Caiet. *tom. 1. opus tract. 2. in 2. p. Apologiæ cap. 22.* Turrecrem. *cap. In nom. Domini art. p. diſt. 23.* vbi Præpoſit. qui latè rationes ponderat ad rem facientes, *& cap. ſi tranſitus diſt. 79. num. 1.* Armacanus *in qq. Armenor. l. 7. cap. 19.* Almaynus *in tract. de poteſt. Eccleſ. cap. 9.* Capiſtran. *de auctor. Papæ & Concil. tit. de elect.* Bellarm. *lib. 1. de Cler. cap. 9. verſ. ſecunda pars*, *Ocham Dialogor. tract. 2. l. 3. cap. 27. fol. 264.* Vvald. *in p. vol. doctrinalis fidei l. 2. act. 3. cap. 30.* Granin. *tom. 3. par. 2. lib. 4. contr. 4. dub. 3.* in concluſ. principali pag. mihi 228. col. 2. Brouius *in Pontif. Rom. cap. 2. pag. 16. col. 2 verſ. quod vero Petrus fin.* Azo. *p. 2. lib. 4. cap. 5. q 3.* Torres *tract. de fide q. 1. art. 10. diſp. 15. dub. 3. verſ. ſed difficultas* Syln. *v. excomm. 9. n. 3.* *Caſtell. de elect. cap. 10. num. 21.* Et ex canoniſtis *gloſſ. §. bis omnibus v. beatus 8. q. 1. & in cap. ſi tranſitus v. non poſſit diſt. 79.* Panorm. *in cap. licet num 2. de elect. & in cap. accreſcimus num. 2. de pactis & in rubr. de teſtam. n. 2.* quem locum refert, & ſequitur Felin. *ſupra citatus n. 23. c. 1. de Conſtitut.* Archid. *in cap. ſi tranſitus d. 79.* Io. Andr. *in cap. licet nu. 15. de elect.* Io. de Lignano *in Clem. 2. de elect. Franc. c. vbi periculum n. 4. de elect. in 6. vbi* Butr *n. 6* Dec. *n. 7.* Bellarm. *num. 23.* Bertach. *de Epiſc. l. 1. p. 3. n. 56.* Gambr. *in Extran. Iul. 2. n. 141.* Iacobat. *l. 5. de Concit. art. 21. & l. 6. a. 6. verſ. vtrum autem, & eod. lib. a. 8.* Alban. *q. 32.* Lambert. *de iure patr. l. 2. p. p. q. 6. a. 21. n. 3.* Sarnen. *ad regulam de infirmis q. 1. nu. 10.* Martin. Laudenſ. *de Cardd. q. 20. & 39.* Paregr *de iure fiſci l. 1. tit. 3. n. 10.* Gomez. *reg. de infir, res ign. q. 1.* Gondiſlaus Villadiego *de orig. & poteſt. Card. q. 5. nu. 19.* Anton. de Roſell. *de poteſt. Papæ, & Imper. c. poſtquam col. 4. fol. 25.* Barboſ. *l. 1. de iur. Eccleſ. cap. 1. n 40. & apud eum* Pala·nela Roland. *rubr. de teſtam. n. 3.* Alex. Carrerius *de poteſt. Rom. Pont. lib. 1. cap. 15. per tot.* Franc. *marc. deciſ. 941. num. 3.* Lanor. *var. reſol. tit. 4. cap. 3. a n. 33.* Duallius *de ſuper. Rom. Pont. in Eccl. l. 3. 9. 8. fol. 423.* Iacob. Cohell. *de not. Cardin. c. 13. & c. 16.* Coccin. *in manuſcript. Gloſſem. ad Conſtit. Greg. 15. Aeterni Patris* §. nos igitur fol. 83.

12. Duo in præſenti puncto mihi certa ſunt. Primum eſt, quod nulla lex canonica, & poſitiua etiam ſi Conciliaris impedit, quin Papa ſi velit vti plenitudine poteſtatis non poſſit vel legē illam abrogando, vel ſuper ea diſpenſando ſibi ſucceſſorem eligere. Pontifex enim non ſubijcitur canonibus, ſed eſt ſupra canones, ſecundum *gloſſ. in c. p. de conſtitut. v. ab omnibus*, quam ſequuntur DD. per iura in ea allegata, & per *c. propoſuit de conceſſ. prebend.* & per rationem *cap. Innotuit de elect.* quibus additur Gloſ. *in c. nulli, de ſent. excomm.* & ibi Vincent. Tancred. Goffred. & Philyp. & Gloſ. *in cap. ſi aliquid eod. tit. &* Gloſ. *in cap. ſi inimicus 93. diſt. & Gloſ. in cap. ſtatuimus de ſentent. excomm in ſeſto.*

13. Vnde quidquid ſit de ea quæſt. an Papa vel ſupremus Princeps ſubdatur directioni legis à ſe vel ſuis anteceſſoribus latæ certum eſt, quod Papa poteſt in omni lege poſitiua diſpenſare ſecundum S. Thomam, *quod lib. 4. art. 14.* Domin. *in cap. lector 33. diſtinct. &* Io: Andr. *in cap. per venerabilem, qui filij ſint legitimi* Felin. *in cap. p. de conſtit. num. 23.* Vnde etiam ſi lege canonica ſit in vniuerſum prohibitum Epiſcopis eligere ſibi ſucceſſorem in Concil. Antioch. c. 23. & in Concilio Martini Papæ 8. & ſub Hilario Papa in ſynodo Romana c. 5. & in Concil. Romano ſub Innocent. II. c. 76. & extent modo conſtitutiones Summorum Pontificum, in quibus decernitur, vt Pontifex à Cardinalibus eligatur: Niſi lex diuina obſtet, huiuſmodi leges canonicæ non impediunt, quin Papa nedum valide, ſed etiam exiſtente rationabili cauſa licitè poſſit vti ſuæ poteſtatis plenitudine & ſibi ſucceſſorem eligere. Neque hoc negant DD. citati pro tertia ſententia.

14. Certum mihi eſt ſecundo, quod poteſtas dirigendi electionem Summi Pontificis eſt in eodem Summo Pontifice principaliter, & ita vt ad ipſum ſpectet nedum præſcribere locum, tempus, & formam eligendi, ſed determinare perſonas, quibus hæc electio conueniat. Et ita quod licet ex diuina inſtitutione ius eligendi Pontificem ſit in Eccleſia, nihilominus determinatio modi, & formæ exercendi huius iuris eſt Pontifici commiſſa, cui etiam competit decernere à quibus Pontifex ſit eligendus, & ſecundum quod ſibi bene viſum fuerit dirigere per ſuas leges huiuſmodi electionem Caiet. *tom. 1. opus tract. 1. c. 13. & tract. 2. in Apologia par. 2. cap. 22.* Suarez *diſp. 10. de fide ſect. 4. n. 12.* & contra Regem Angliæ *lib. 3. cap. 3. num. 13.* Caſtell. *de elect. cap. 10. num. 2.* Panorm. *in cap. licet de elect. nu. 11.* Franc. *in cap. vbi periculum 3. de elect. in 6. num. 4.* Azor. *par. 2. lib. 4. cap. 5. q. 2.* Lanor. *tit. 4. cap. 3. n. 13.* Barboſa *ad cap. in nomine Domini diſt. 23. n. 5.* quod euidens eſt primo ex vſu. Nam Simmachus, Nicolaus II. Alex. III. Greg. X. Clem. V. Clem. VI. Iulius II. Paulus IV. Pius IV. Greg. XV. & Vrbanus VIII. Pontifices per ſuas Conſtitutiones plura ſtatuerunt in electione Summi Pontificis obſeruanda. Tum quia Pontifex habet vniuerſalem totius Eccleſiæ curam, ad eumque ſpectat eidem Eccleſiæ in neceſſarijs prouidere. Vnum verò ex neceſſarijs eſt electio ſummi Pontificis. Tum tertio quia aliter maxima inconuenientia ſequerentur, & legitima Pontificum ſucceſſio ſæpius interrupta, & ſchiſmata ſuper inundaſſent, niſi Pontifices ſuis legibus electionem huiuſmodi direxiſſent. Tum quarto nam Chriſtus, qui Petro, & ſuis ſucceſſoribus totam Eccleſiam commendauit, hanc facultatem præcipuè conceſſit, vt ſucceſſionis legitimæ in officio Pontificatus curam haberent, & inuigilarent, ad hoc vt ſecurè, & breuiter Eccleſiæ viduatæ de legi-

timo

Digitized by Google

timo ſponſo prouideretur. Vnde indubitatum eſt, quod Pontificis Summi eſt, ſuorum ſucceſſorum electionem dirigere, & prout Eccleſiæ bono videt eſſe neceſſarium formam ab Eccleſia in ſucceſſorum electionibus ſeruandam præſcribere, & vel antiquam formam tollere, vel mutare, vel illi ſuperaddere. Vnde Pontifex poſſet formam à ſuis prædeceſſoribus ſtatutam mutare, vt tradunt Caiet. & Suarez citati.

15. Dicitur nihilominus ad quæſtionem propoſitam, quod ex Chriſti inſtitutione Pontifex non habet ius, & facultatem eligendi ſucceſſorem, ſed hoc ius Eccleſiæ fuit conceſſum licet dirigendum à Pontifice, & ideò Pontifex non poteſt validè ſucceſſorem eligere. Et propterea tertia ſententia ex relatis eſt amplectenda. Probetur hoc primo ex decreto Concil. Roman. ſub Bonif. II. Cum enim Bonifacius II. in Synodo priori elegiſſet ſibi Vigilium Diaconum in ſucceſsorem, & cum chirographis Sacerdotum, & iureiurando ante D. Petri confeſſionem Vigilium futurum Pontificem conſtituiſſet. Poſtea cognita, & conſiderata illegitimitate facti noua Synodo congregata per eandem Synodum caſſata fuit præfata electio ob reuerentiã S. Sedis, & quia facta fuerat contra canones, & decretum electionis fuit conbuſtum, vt ex Anaſtaſio refert, Baron. ad ann. Domini 531. Conſiderandum eſt enim circa hoc factum, quod ſi ſolum de iure poſitiuo eſſet, vt Papa etiam conſentientibus Cardinalibus ſibi non eligeret ſucceſſorem, electio Vigilij iuramento firmata fuiſſet valida, & non potuiſſet caſſari. Nam illa electio non fuiſſet inualida ex defectu poteſtatis, quia Papa nullis legibus canonicis ligatur, quin ſi velit non poſſit oppoſitum validè facere, cum leges canonicas poſſit etiam abrogare. Et præcipuè cum illa electio facta fuerit conſentiente Synodo, ideoque, & Cardinalibus ad quos ſpectat eligere Papam. Sed neque illa electio dici poſſet nulla ex defectus voluntatis, quia facta fuit cum plena deliberatione, & in Synodo. Et allegare ignorantiam legis poſitiuæ in Papa, & Synodo non habet fundamentum, cum Princeps ſcire leges præſumatur. Et præterea electio illa fuit caſſata, non quia inuoluntaria, ſed quia mala, & Bonifacius in hoc culpam agnouit, & confeſsus eſt. Et quod illa electio caſſata fuerit, quia fuit facta contra canones, per canones intelligi debent regulæ canonum, quæ ex diuino, & naturali iure ſumuntur, quia etiam nulla lex poſitiua ſtatuta legitur ante Bonifacium II. quæ prohiberet Papam ſibi eligere ſucceſſorem. Si ergo electio illa ſolum fuiſſet contra legem poſitiuam non ignoratam à Bonifacio ipſe ex facto derogaſſet tali legi, & electio fuiſſet valida, & cum fuiſſet iuramento firmata, nec debuiſſet reuocari. Sed habita fuit meritò vt nulla, & fuit caſſata ob reuerentiam S. Sedis, quæ omninò petit, vt in ea teſtamentaria ſucceſſio locum non habeat. Sed, & Pium IV. in Conſiſtorio habito Kal. ... 1564. declaraſſe Pontificem Romanum, etiam de conſenſu Cardinalium non poſſe ſibi eligere ſucceſſorem, refert Coccin. *vbi ſupra pag. mihi* 80. & idem ex Cardin. Pallauic. *in hiſt. Conc. Trid. lib.* 15. *cap.* 13. narrat Reuerendiſs. Lucatinus *de epiſc. Regal. cap.* 1. *n.* 6. Probatur autem ſecundo ex ratione Caiet. qua etiam vtitur Panorm. locis citatis, & quam laudauit Felin *d. cap.* 1. *de conſtit. nu.* 25. Quoniam non eſt commiſſus Papæ actus, quem non poteſt exercere in tempore habili, ſed reſpicit tempus, in quo iam Papa non eſt, ſed fuit. Electio verò Papæ, cum ex natura ſua ſupponat Eccleſiam viduatam, & fieri debeat tunc cũ Papa iam eſt mortuus, eſt actus, qui non poteſt fieri à Papa in tempore habili; non igitur eſt illi commiſſus. Reſpondet Suarez hanc rationem non eſſe efficacem, quia conſtat, quod Chriſtus potuit concedere Pontifici, vt nominaret ſucceſſorem. Vnde verò non ita conceſſiſſe probatur? Addit Bonacina, quod viuens poteſt ſucceſſorem eligere ſub conditione, nimirum deſignando perſonam, cui conueniat eſſe Pontificem mortuo ipſo Pontifice electore, & non eſt inconueniens, quod actio alicuius maximè moralis habeat effectum completum poſt mortem operantis. Nam hoc pacto Dauid fuit electus à Saule, & Conſules futuri eligebantur in Republica Romana viuentibus Conſulibus Prioribus, & hæres inſtituitur à teſtatore poſt mortem, & lex habet ſuam vim, & effectum etiam mortuo legiſlatore.

17. Sed nulla ex his reſponſionibus attingit vim rationis, & ab eo quod poteſt fieri arguit, vt concludat non eſſet factum. Cum tamen in præſenti non pertineat ad Eccleſiam probare, quod Deus non dederit hanc poteſtatem Pontifici, ſed ſufficit oſtendere, quod non habetur, quod illam dederit, & quod non eſt conueniens illã dediſſe. Et ſic eſt hæc vis argumenti, Tempus habile ad eligendum Papam non erit niſi dum Papa mortuo Eccleſia eſt viduata. Quod ex eo etiam eſt manifeſtum, quod Pontifices ipſi ſtatuerunt pœnas grauiſſimas contra tractantes de futuro Pontifice, dum Pontifex viuit, igitur niſi aliunde conſtet, quod Chriſtus hanc poteſtatem Papæ conceſſerit, vt eo viuente deliberet de ſucceſſore, non eſt aſſerendum, quod eam dederit poteſtatem. Et quod Bonacina ait de Dauide electo à Saule eſt contra totam veritatem ſcripturæ, quia nedum Saul non elegit Dauidem, ſed ſuſpicans illum eligendum, perſecutus eſt illum ad mortem, vt ex primo libro Regum conſtat. Fuit quidem Dauid à Deo electus viuente Saule, & nihilominus hęc electio fuit diuina ordinatio, & prædeſtinatio, non humana electio, & Dauid non obtinuit Regnum, niſi media hominum electione poſt Saulis Regis mortem. Et quatenus Saul electionem Dauidis præordinati à Deo ad Regnum inbodorauit, bene factis oſtendit quantum malorum occaſio poſſit eſſe anticipata electio, quoniam enim potuit Dauidem ad mortem perſecutus fuit. Nec exemplum Conſulum Romanorum eſt ad propoſitum, quondã Conſules Romani durabant per annum, & iam viduatio Reipublicæ erat certa, vnde non erat inconueniens, quod noui Conſules eligerentur, & non à Conſulibus, ſed à Republica, quæ viua durabat, & perſeuerabat. Sed vacantia Eccleſiæ eſt incerta, & benè contingere poſſet, vt electus impatiens moræ etiam vitæ eligentis inſidiaretur, & contra illum inſurgeret, vel vita priuaret,

Digitized by Google

naret, vel crimen hæreſis imponendo cum deponi curaret, & pacem Eccleſiæ turbaret.

18. In teſtamentis verò, vt ait Panormit. *in rubr. de attent. ver. 2.* eſt ſpeciale priuilegium legis, vt viuens relinquat hæredem poſt mortem. Directio verò paſſiua legis de ſui natura eſſe poteſt æterna, nec pendet á vita legislatoris, nec actiua legis impoſitio habet tempus determinatum, ſed fit quotieſcumque bonum communitatis poſtulat. Nam lex eſt vna de illis rebus, quæ conſummantur, & effectum ſumunt in vita Pontificis, & propterea etiam poſt mortem durant. vt ex *cap. fin. de off. deleg. & l. geſta, ff. de re iudic.* notat Cinus apud Coccinum *in l. emptorem, C. locat.* Et certè cum electio hæc locum habeat, tunc cum Eccleſia eſt viduata, & ſine capite, vndè tunc à capite præſente Eccleſia in ea actio dirigi non poteſt, orta eſt neceſſitas directionis legalis factæ per Pontifices anteceſſores, quæ directio in tantum poſtea eſt perpetua in quantum á ſucceſſoribus non reprobatur. Sed actiua electio Papæ habet tempus determinatum, & habile extra quod non fit conuenienter cum ſit prouiſio Eccleſiæ viduatæ, ideò non eſt dicendū, quod ſit conceſſum eam fieri alio tempore, & antequam Eccleſia ſit viduata, niſi priuilegium afferatur.

19. Sed vis rationis ex hac alia vniuerſaliori, & magis abſoluta oſtenditur. Nam electio Papę nequit fieri antequam Eccleſia ſit viduata, & a Pontifice viuente ſine maximo Eccleſię præiudicio; & neque hæc electio compræhenditur ſub ſignificatione illius orationis Chriſti, *Paſce oues meas*, in quibus tota poteſtas data Summo Pontifici á Chriſto continetur; igitur ex nulla parte habetur, quod Chriſtus Pontifici contulerit facultatem eligendi ſucceſſorem, ſeu quod Chriſtus promiſerit ſe daturum auctoritatem Pontificalem ei, qui nominatus fuerit a Pontifice viuente. Conſequentia patet ex eo, quod non eſt dicendum, quod Chriſtus elegerit modum propagandi Pontificatum, qui Eccleſiæ futurus eſſet in ruinam euidentem, & hoc eo magis admitti debet, ſi hæc poteſtas eligendi non compræhenditur ſub verbis inſtitutionis Pontificatus. Nec obſtat ſi dicatur cum Bonacina ad diuinam prouidentiam ſpectare dirigere Pontifices, vt non abutantur hac poteſtate. Nam non eſt aſſerenda prouidentia extraordinaria, ſed bene dicendum eſt, quod Chriſtus illum modum prouidendi de Pontifice non elegerit, qui ſpectato ordinario rerum curſu, & Dei ordinaria prouidentia erat futurus Eccleſiæ nedum minus vtilis, ſed valdè pernicioſus. Vndè dato antecedente conſequentia argumenti eſt neceſſaria.

20. Probatur verò antecedens, quia primo electio futuri Pontificis non conuenit Pontifici eligenti, nec eius gubernio pacifico, nec Eccleſiæ gubernatæ. Sed talis electio per ſe eſt occaſio, & fomentum perturbationum, & etiam irreuerentiæ in Pontificem viuentem, imò, & ſæpius inſidiatum, & etiam priuationis vitæ. Cum enim vſus hominum habeat, & ambitio, & intereſſe, quæ ordinariè multum præualent, ad hoc inclinent homines, vt neglecto Sole occidente naſcentem reuereantur: Si Pontifex futurum ſucceſſorem eligeret, ipſe iam moriturus negligeretur, & maior pars ad futurum reſpiceret. Et ab amicis, & intrinſecis certo futuri Pontificis facilius leges viuentis contemnerentur, non parũq; viuens Pontifex perturbaretur, haberetq; etiam vndè amplius timeret, ne electus impatiens illius vitæ inſidiaretur. Cum ſint clara exempla filiorum, qui vitæ Patrum inſidiati ſunt, vt regnarent, vt de Abſalone narrat Sacra ſcriptura *in lib. 2. Regum*. Et cum impoſſibile videatur, vt duo homines in eodem ſenſu conueniant, ipſe electus de facili mandata viuentis repræhenderet, vndè ſubditi ab obedientia alienarentur, & orirentur diſſenſiones, & ſectæ alijs dicentibus, *Ego ſum Pauli*, & alijs *Ego ſum Apollo*. Hic ergo modus eligendi Pontificem ipſo viuente Pontifice eſt pernicioſus, & ſcandalorum, & perturbationum occaſio.

21. Sed vlterius talis modus eligendi Pontificem eſt bono Eccleſiæ regimini contrarius. Quoniam hæc poteſtas eligendi futura eſſet in Eccleſiæ deſtructionem, nam nimis facile eueniſſet, vt hæreditate poſſideretur Sanctuarium Dei, & quod non meritis, ſed conſanguinitati, & ſanguini, & carni Pontificatus deferetur. Quod quidem eſſe totius Eccleſiæ deſtruere pulchritudinem, & ſanctitatem oſtenderunt iura ipſa, & Concilia, & Patres, & Pontifices, qui propterea prohibuerunt ne Epiſcopi, & alij Prælati ſibi ſucceſſores eligerent, vt patet *cap. 3. 4. 5. 6. & 7. cauſa 8. q. 1.* Et prohibuerunt ne filij in Eccleſijs paternis miniſtrare; vel eas obtinere valeant, vt habetur *cap. Quarentum, & ſeqq. de filijs Presbyterorum*. Non poteſt igitur negari, quod hic modus prouidendi Eccleſię per hoc quod viuens Pontifex eligat ſucceſſorem, non ſit ex ſe periculi plenus, & quin eſſet futurus valdè Eccleſiæ pernicioſus. Alias verò modus prouidendi per electionem eſt ſine dubio aptior ad hoc vt merita attendantur, & Prælatura vitæ meritis non carni tribuatur, & vt Prælatus ſit magis gratus multitudini regendæ, ſi non habeat Prælatum, niſi á ſe electum.

22. Sed altera pars antecedentis etiam probatur, quoniam ſub hoc verbo *Paſcere* non compræhenditur paſtorem inſtituere. Etenim aliud eſt officium Domini, & aliud officium Vicarij, qui poſſit miniſterialiter, & tanquam miniſter ad paſcendũ inſtitutus agere, non verò tanquam dominus. Is enim licet poſſit paſcere oues per miniſtros ſibi ſubſtitutos, & ſubordinatos, ac ſui Vicarios, non poteſt tamen alterum Domini Vicarium ſibi ſimilem, & abſolutum inſtituere, ſi nihil aliud ei conceſſum eſt, quam oues paſcere, quia Domini Vicarium inſtituere ad paſcendas oues, non eſt officium Vicarij, ſed Domini, & officium paſcendi oues miniſterialiter eſt officium illis prouidendi de victu, & ſecuritate, & ſuſtentamento, non verò eſt officium illis prouidendi de nouo abſoluto paſtore, & immediato Domini Vicario. Nam hoc Domini eſt, non miniſtri, ſub verbis illis igitur, *Paſce oues meas*, quibus Chriſtus inſtituit Pontificatum non cõpræhenditur hoc, quod eſt Papam ſucceſſorem inſtituere, vel eligere, & ſi aliundè non probetur, non poteſt ex illis verbis deduci, quod Chriſtus

B Petro

Digitized by Google

Petro contulerit poteſtatem eligendi ſucceſſorē ſibi Pontificem.

23. Vis autem huius rationis inde magis colligitur, quod licet Epiſcopus ſuo Generali Vicario ampliſſimam conferat poteſtatem ſuper ſua Diœceſi, nihilominus non poteſt ipſe Vicarius alterum Vicarium ſubſtituere, vt habetur *cap. Clericos 4. de offic. Vicarij*. Et quod magis eſt Epiſcopi ipſi ex diuina inſtitutione Paſtores ſunt ouium, habentque poteſtatem ordinis Epiſcopalis (licet iam non recipiunt niſi media ordinatione, & conſecratione, quæ illis tribuitur ex diſpoſitione Sedis Apoſtolicæ) ad quam præcipuè ſpectant ordinare, conſecrate, & confirmare. Gloſſ. *in cap. Commiſſam, v. de talibus, de electione*, gregeſque ſuos paſcere doctrina fidei, & morum exemplo, & ſunt verè Paſtores gregum Chriſti, habentes poteſtatem clauium ligandi, & ſoluendi, & nihilominus de iure diuino eſſe, vt in conſulto, & ſine licentia Papæ, nō poſſint, aut Epiſcopatibus renunciare, aut eos permutare, aut quocumque modo Epiſcopos alios ſubſtituere dixit Innoc. III. *cap. Inter corporalia 2. de translat*. Quamuis igitur alicui committatur cura Paſtoralis animarum, ſub illa locutione, *Paſce oues meas*, non continetur hoc quod eſt alium ſibi in officio ſucceſſorem ſubrogare. Igitur ex eo, quod Chriſtus iuſtituit Pontificem Summum Eccleſiæ Paſtorem, & dixit illi, *Paſce oues meas*, non per hoc dedit illi facultatem eāſferendi in alium hanc poteſtatem, ſeu ſibi eligendi ſucceſſorem. Ampliùs eam poteſtatem, quam Chriſtus dedit Petro, idem Chriſtus jam declarauerat eum Matth. 16 dixerat: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meā, & tibi dabo Claues Regni Cœlorum, & quodcumque ſolueris ſuper terram erit ſolutum, & in Cœlis, & quodcumque ligaueris ſuper terram erit ligatum, & in Cœlis*. Longè vero diuerſa ſunt Eccleſiam regere, homines ligare, & ſoluere, & alij concedere ſupremam hanc poteſtatem ligandi, atq; ſoluendi. Primum Petro conceſſum fuit non ſecundum, nec ex quo conceſſum eſt primum, infertur, quod fuerit conceſſum ſecundum, & hoc nedum, quia à diuerſis non fit illatio, ſed quia manifeſtum eſt non conuenire Eccleſiæ bono regimendi hic modus propagandi Pontificatum. Quamobrem iunctis his duobus, ſcilicet, quod hic modus eligendi Pontificem non congruit, ſed opponitur fælici Eccleſiæ regimini, & vlterius nec continetur ſub propria ſignificatione verborum Chriſti, quibus Papam inſtituit, ſed eſt quid longè diuerſum ab eo, quod eſt paſcere, ligare, ſoluere, & eſt quid, quod ad Dominum gregis pertinet illud ſtatuere, & determinate, non eſt vndè dicatur, quod Chriſtus Papæ contulerit poteſtatem eligendi ſibi ſucceſſorem. Ac propterea dicendum eſt de iure diuino eſſe, vt Pontifex non poſſit ſibi ſucceſſorem eligere, vt benè tradiderunt Turrecrem. Caiet. Azor. & alij DD. pro tertia ſententia citati.

24. Nec obſtat ſi dicatur per hoc probari quidem quod regulariter non debeat Pontifex eligere ſibi ſucceſſorem, nō verò quod non poſſit hoc facere in caſu magnæ neceſſitatis. Nam rationes illæ probant, quod Pontifici non ſit abſolutè conceſſa hæc facultas, vndè in nullo caſu poteſt illa vti. Eam enim poteſtatem, & non ampliorem habet Papa, quam importat illud dictum Chriſti, *Paſce oues meas*, quod non importat ſucceſſorem eligere. Et eo magis, quod nō eſt dabilis talis Eccleſiæ neceſſitas prouidendi de futuro Pontifice, cui Pontifex viuens facilius, & ſecurius non poſſit occurrere per poteſtatem directiuam electionis futuræ. Et alias propter periculum occaſionis Schiſmatis, quod eſt annexum per ſe moraliter ſtantibus rebus, prout ſtant electioni futuri Pontificis factæ à viuente Pontifice, hic modus electionis non eſt aptus ad occurrendum Eccleſiæ neceſſitati. Et ſi ſemel liceret ex quacunque cauſa ſucceſſorem eligere, faciliter in Eccleſiæ ruinam multiplicati eſſent, & multiplicarentur prætextus neceſſitatis ſucceſſorem eligendi, & non vitæ meritis, ſed carni, & ſangui Pontificatum tribuendi. Præterquam quod in moralibus non eſt dabilis regula, per quam omni ſcandalo, aut neceſſitati caſuali poſſit occurri, & caſus contingentes diuinæ prouidentiæ remittuntur, quæ nunquam Eccleſiam ſuam deſeruit, & deſeret. Vndè in his attendi debet id, quod per ſe eſt melius, & ſecurius, quod in præſenti eſt, vt ius eligendi Pontificem ſit Eccleſiæ, & poteſtas dirigendi Eccleſiam in hac electione ſit Domini Papæ.

25. Tertiò probatur aſſertio principalis, nam certum tenendum eſt, nec eſt incerto fidendum Conſuetudo verò certa optima legis interpres eſt, vt Eccleſia ſibi eligat Pontificem, adeò vt etſi non defuerint, & occaſiones vrgentes, & motiua efficacia in Summi Pontificibus ad eligendum ſucceſſores id non fuerunt, & vbi vnus ex illis Bonifacius II. ſemel ſibi ſucceſſorem nominauit Vigilium, ſtatim Eccleſia inſtante, & factum contra iura fuiſſe acclamante, Pontifex in Synodo publica decretum à ſe factum, tanquam iuribus contrarium retractauit; nullius eſſe roboris decreuit, & combuſſit, vt ex Anaſtaſio tradunt Baron. ad ann. 531. Bzou. in *Pontif. Rom. cap. 2. pag. mihi 17. col. 2.* Grauina *tom. 3. p. 2* Gaſtell. *de elect. cap. 10. nu. 24.* Iacob. Cohellius *de notit. Card. cap. 13.* Nec verum eſt, quod aſſerit Bonacina, ſcilicet, quod Bonifacius reuocauerit decretum ſuum, eo quod à Vigilio deceptus fuiſſet, ſed quia vt præfati DD. aſſerunt, & ex Anaſtaſio conſtat decretum illud, & electio erat contra iura, & canones, & ideò eam Bonifacius coram Sacerdotibus, & Clero, & Senatu combuſſit. Et de Paulo III. refert Syluest. Aldobrand. *in addit.* ad Dec. *in cap. Licet de electione*, quem adducit Barboſa *l. 1. de iure Eccleſiæ cap. 1. nu. 42.* quod cum Franciſcus Piſanus Venetus Epiſcopus Patauinus ei ſuaſiſſet, vt ſibi ſucceſſorem eligeret, ſuaſorem reiecit. Quod, & alios Pontifices feciſſe veriſimile eſt. Non verò leue ſignum, ſed vrgens valdè, & validum, quod iuri diuino repugnet, vt viuens Pontifex ſucceſſorem eligat, indè colligitur, quod id, quod potuit fieri, & non defuerunt occaſiones, vt fieret, & fuiſſet valdè commodum affectioni facientis, & gratum ſi factum fuiſſet, & tamen à Sancto Petro, vſque ad hæc tempora factum non fuit, dicendum ſit factum nō fuiſſe, quia viſum eſt fieri

non

non poſſe; & Deus intus dirigens mentes Pontificum ex hoc illorum affectus direxit, quod inſpirauit non licere, vt Vicarius manum mittat in meſſem Domini, & ſuper Domini ouile Paſtorem conſtituat. Quod enim præſtita pluries occaſione, vt fieret non eſt factum, id eo cenſendum non factum, quod non poſſit fieri, quæ verò in oppoſitum adducuntur incerta ſunt, & controuerſa, & nimis debilia, vt manifeſtum ſit reſpondendo ad ſingula.

26. Ad primum enim dicitur indubitatiſſimum eſſe Pontificem habere plenitudinem poteſtatis ſuper Eccleſiam D. Th. 22. *q.* 89. *a.* 9. *ad tertiam & 3. p. q.* 72. *a.* 11. *ad primam Quodl.* 4. *a.* 13. Vnde poteſt facere omnia illa, quæ ſpectant ad Eccleſiæ adminiſtrationem: ſed tamen non habet adminiſtrationem, vt Dominus, ſed vt miniſter, & vt Vicarius; at vero Vicaria poteſtas etiam plenißima non ſe extendit ad hoc vt Vicarius ſi decedat, vel renunciet, aut deponatur alterum Vicarium inſtituat, vel alium nominet, quem Dominus teneatur inſtituere Vicarium, ſed hoc in libertate Domini eſt, & extra, ſeu vltra Vicarium poteſtatem continetur. Papa igitur, quia Chriſti Vicarius ad eius oues paſcendas poteſt omne id, quod eſt Vicarij paſtoralis in paſcendis ouibus, & quia eligere Pontificem quatenus eſt actus ouium pertinet ad hanc miſticam ouium curam, ideo Papæ eſt fideles in hac electione dirigere, & omnia, quæ ad hanc electionem faciunt ordinare. Sed eligere actiue ſucceſſorem eſt extra, & vltra Vicariam poteſtatem paſcendi oues, ideo non eſt conceſſa Papæ, ex quo eſt factus Vicarius paſtor ouilis Chriſti. Propter quod ab initio Eccleſiæ vſque ad præſens nullus fuit Pontifex poſt Petrum niſi media electione promotus vt tradit Brou. in Pontif. Rom. c. 2. pag. 19. col. 2. Et ex ſequentibus probatur. Quod vero dicebatur de Dauide, qui elegit ſibi ſucceſſorem Salomonem, valdè diſſimile eſt, Tum quia vt habet Turrecrem. 8. *q.* 1. in princ. ad vltimum argumentum id factum fuit ex ſpeciali inſtitutione, & reuelatione diuina, Tum quia ſicut non inconuenit, quod regia poteſtas propagetur per ſucceſſionem carnalem, ita non inconuenit, quod ex filijs Rex habens abſolutum dominium eligat meliorem, vt ſibi ſuccedat, ſed ſpirituali dominatui promotio per ſucceſſionem perniciosa eſt, & ideò non eſt ſimile.

27. Ad ſecundum dicitur, quod quæ adducit apocrypha ſunt, & incerta, & imò non vera reſpectiuè, ideoque non concludentia. Et quidem primo, quod Linus, & Cletus non fuerint Summi Pontifices, ſed Petri, aut etiam Clementis ſolum fuerint coadiutores, nedum eſt incertum, ſed nec eſt veriſimile, & oppoſitum, quod ſcilicet ſanctus Clemens non fuerit primus ſummus Pontifex poſt Petrum, ſed vel ſecundus, vel tertius vel etiam quartus antiqui DD. & hiſtorici tradidere. Cum enim Clementem immediate ſucceſſiſſe Petro ex antiquis teneant liber vitæ Pontificum (male tributus Damaſo Papæ à Bonacina, cum ſit, vel Anaſtaſij, vt vult Bellar. de ſcript. Eccleſiæ in Damaſo, vel alterius Damaſi non Pontificis; vt vult Poſſenin. in apparatu in Damaſo) idemque indicent Tertull. *lib. de præſcrip. cap.* 32. Et Eucherius Epiſcopus ad Valerian. E contra alij omnes in hoc conueniunt, quod Linus fuerit immediatus, & primus Pontifex poſt Petrum, quamuis diſtinguantur, quoniam Optat. *lib.* 2. *ad ver. Parmen.* & S. Auguſt. Epiſt. 165. inter Linum, & Clementem nullum ponunt medium non diſtinguentes inter Cletum, & Anacletum, quem ponunt Pontificem poſt Clementem. Sed S. Ignatius *Epiſt. ad Mariam* Sanct. Ireneus *lib.* 3. *cap.* 3. S. *Epiphan. hær.* 27. *Euſeb. lib.* 3. *cap.* 15. Niceph. *lib.* 3. *cap.* 3. Iuo *par.* 5. *cap.* 237. Hier. *de ſcrip.* Eccleſiæ in Clemente Hermanus in Cronic. primum poſt Petrum ponunt Linum, deinde Cletum vel Anacletum, poſteà Clementem. Tertull. vero *lib.* 3. *in carm. contra Marc.* inter Cletum, & Clementem ponit etiam Anacletum, ſed communior, & verior ſententia eſt, quod Clemens à S. Petro fuerit tertius, & Cletus ſecundus, & Linus primus.

28. Quod inde demõſtratur, quia Clemens ſolũ vixit nouem annis in Pontificatu, & obijt nihilominus anno tertio Traiani, qui fuit annus Domini 103. vt tradit Hieron. de ſcript. Eccleſias, Anaſtaſius Luitprandus, Platina, Maſſonius, Hiſtor. Pontif. Ciccarell. Baronius, & Brou. ad annum 69. & quod magis eſt Martirologium Romanum ſub die 23. Nouemb. Cum vero Petrus paſſus fuerit vel anno Domini 68. Neronis 12. ſecundum Epiphan. hær. 27. vel anno 69. ſecundum Metaphraſtem; Baronium & communiorem ſententiam; vel ſecundum Euſeb. in Clemen. Hier. de ſcript. Eccleſ. Bedam. in Martirolog. Herman. in Cronic. Honor. Auguſtodunen. de Eccleſ. luminarib. anno Domini 70. Neronis 14. ſecundum Caßiodorum anno 71. Si Clemens immediate ſucceßiſſet Petro dicendum eſſet Eccleſiam ſine Pontifice manſiſſe viduatam ad minus ab anno 71. vſque ad 94. per 23. annos vel contra communem ſenſum hiſtoricorum dicendum eſſet, quod Clemens ad minus ab anno 71. vſque ad 103. per triginta duos annos, & non per nouem geßiſſet Pontificatum.

29. Quamobrem quod in Pontificatu primus poſt Petrum ſucceſſerit Linus, deinde Cletus & poſtea Clemens præter ſupracitatos tenuerunt Gloſſ. *cap. ſi Petrus verſ. aut ligandi* 8. *q.* 1. *& in cap. non autem verſ. ſuccederet* 17. *q.* 1. Turrecr. *de poteſt. Eccleſ. lib.* 2. *cap.* 51. *verſ. nec obſtat, & cap. ſi Petrus* 8. *q.* 1. Caiet. *tom.* 1. *tract.* 2. *par.* 2. Apolog. *cap.* 13. *verſus* finem Iacobat. *de Concil. lib.* 10. *art.* 7. ad 11. *argumentum pag. mihi* 734. Azor. *par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 43. *verſ.* de Lino *& lib.* 4. *cap.* 6. *q.* 5. Driedon. *de libert. Chriſ. lib.* 1. *cap.* 3. *ad fin.* Manfred. *cap.* 27. *fol.* 47. Andr. Gamb. *in expoſit. extrauag. Iul.* 2. *num.* 75. Lauor. *tom.* 1. *tit.* 4. *cap.* 3. *a. num.* 3. Barboſa *lib.* 1. *de Iure Eccleſia cap.* 1. *num.* 38. *&* 46. *& ad cap. ſi Petrus* 8. *q.* 1. *num.* 4. Grauina *tom.* 3. *par.* 2. *lib.* 4. *contr.* 4. *dub.* 3. *pag.* 229. *col.* 2. *in fin. & pag.* 250. *col.* 1. Tuſcus *Lit. E. conc.* 57. *num.* 1. Baronius in annalibus ad annum Domini 49. & ad eundem annum Brouius, Iacobus Cohell. *de notit. Cardina c.* 13. ſed quod apud me valet pro centum mille Doctoribus eſt auctoritas, & traditio Romanæ Eccleſiæ, quæ apparet ex eius Martirologio, quod vt habetur in opuſculo de Martirologio

quod eſt impreſſum in principio Martirologij Ordinis Prædicatorum, eſt antiquiſſimum, & incæpit à tempore Sancti Clementis Papæ, & de eo mentionem faciunt S. Greg. *lib. 7. Indict. 1. Epiſ. 29.* ad S. Eulog. Alexand. Epiſ. & Ado contemporaneus S. Gregorij Papæ Septimi in præfat. ad ſuum Martirologium. In dicto igitur Martirologio Romano ſub die 23. Septemb. ſic dicitur *Romæ Sancti Lini Papæ, & Martiris, qui primus à Beato Petro Apoſtolo Romanam Eccleſiam gubernauit.* Et ſub die 26. Aprilis de Sancto Cleto dicitur. *Romæ natalis Sancti Cleti Papæ, qui ſecundus poſt Apoſtolum cum rexiſſet Eccleſiam poſt diuturnos, & immenſos labores ſub Dominiano Imperatore Martyrio coronatus eſt.* Et ſub die 23. *Nouembris de S. Clemente habetur: Natalis S. Clementis Papæ, qui tertius à Beato Petro Apoſtolo Pontificatum tenuit &c.* & ita in Canone miſſæ poſt Apoſtolos hoc eodem ordine recenſentur, ſcilicet primo Linus, deinde Cletus, deinde Clemens, quia omnes fuere Summi Pontifices, poſt Petrum, ſed primo Linus, deinde Cletus, & poſtea Clemens. Cum ergo Eccleſia Romana Sanctos Linum, & Cletum vt Romanos Pontifices habeat, medios inter Petrum, & Clementem non eſt vnde de hoc dubitemus. & ex hoc certo fundamento iam conſtat, & Linum, & Cletum, & Clementem ab Eccleſiæ electione habuiſſe Pontificatum, quod de ſucceſſoribus eorum etiam non eſt controuerſum. Ac propterea etiam eſt manifeſtum nullum poſt Petrum fuiſſe Pontificem, niſi per Eccleſiam electum.

30. Hoc verò ſtante ad argumentum multipliciter reſpondetur. Et primo dicitur, quod S. Petrus non elegit S. Clementem ſibi ſucceſſorem, ſed illum nominauit, & de eo eligendo egit cum fratribus iuxta ſenſum *cap. ſi tranſitus diſt. 79.* non vero inconuenit vt Pontifex cum electoribus tractet de ſucceſſore eligendo, nihil tamen decernendo, nec eligendo; ſed merita alicuius proponendo. Ita reſpondent Gloſ. *in cap. 1. 8. q. 1.* Et ex Ricardo Primate Hiberniæ Turrecr. *in cap. In nomine Domini art. 1. ad primum.* Iacobat. *l. 10. de Concil. art. 7. ad 11. argumentum*, pag. 734. Barboſa *lib. 1. de Iure Eccleſ. cap. 1. n. 46.* Quod vero aſſerit hæc reſponſio, verum eſt, nimirum licere Pontificibus morituris tractare cũ Cardinalibus de futuri Pontificis electione proponendo illis, quem eligere ſit melius, & huius vel illius merita proponere, & quem eligant iudicare. Sic enim feciſſe S. Gregorium VII. narrat Leo Oſtien. *2. Cron. cap. 64.* Et placet ex Grauina loco ſæpè citato referre verba Malbeſburgenis *lib. 3.* qui de S. Greg. 7. inquit, quod cum rogatus eſſet à Cardinalibus, vt Papam conſtitueret, Beati Petri exemplum referentibus, qui lactentis Eccleſiæ rudimetis viuens ſibi Clementem præfecerat, negauit ille idem exemplum ſecuturum, quod ab antiquis Concilijs erat vetitum, conſilium vero ſe daturum, ſi vellent hominem in ſæculo potentem eligerent. Deſiderium Abbatem Caſſinenſem, qui ſalubriter, & in tempore militari violentiam Gusberti infringerat, virũ Eccleſiaſticum, & eloquentem acciperent Epiſcopum Oſtienſem &c. & hoc idem factum fuiſſe à Victore III. qui in morte deſignauit Vrbanum II. non imperando, ſed ſicut fecerat eius prædeceſſor Gregorius ad monendo, vt ex Baronio refert ibid. Grauina. Sic enim & Gelaſium II. nominaſſe Cononem Epiſcopum Prænestinum, vel eo recuſante Guidonem Vienenſem, & Cæleſtinum III. antequam moreretur propoſuiſſe Cardinalibus eligendum Io: de S. Paulo Cardinalem, paratum etiam Pontificatum deponere, ſi ſe viuente eum eligerent, licet Cardinales noluerint admittere, vt ille Pontificatum deponeret, narrat Baronius in Põtif. Rom. *cap. 2.* pag. mihi 17. *col. 1.* Nam ſumma poteſtas dirigendi electionem futurorum Pontificum, conuenit cuilibet Pontifici viuenti, vnde poſſunt conſulendo proponere Cardinalibus electoribus, quem iudicant dignum electione. Et hunc fuiſſe etiam antiquum morem habetur ex *cap. ſi tranſitus diſt. 79.* vt infra etiam dicam.

31. Benè etiam hæc reſponſio negat Petrum elegiſſe Clementem in futurum Pontificem, quod neruosè probat Turrecr. ex Richardo primate Hiberniæ. Tum primo, quia non eſt veriſimile, quod Petrus, qui ſolus ſine fratribus noluit Matthiam in Apoſtolum eligere, voluerit per ſe in Pontificem ordinare Clementem. Tum ſecundo quia non eſt veriſimile quod Petrus ſuo exemplo confirmare voluiſſet modum eligendi Pontificem, quem ipſe benè nouerat, ſi admitteretur futurum pernicioſum Eccleſiæ. Cum enim Petrus à ſuo magiſtro Chriſto audiuiſſet Matth. 19. ſurrecturos multos Pſeudo-Prophetas, & ſeducturos multos. Et futurum eſſe, vt abundaret iniquitas, & refrigeſceret charitas multorum, bene ex plenitudine ſpiritus Sancti, quam ipſe habebat cognoſcebat periculum imminens Eccleſiæ, ſi Summi Pontificis electio vni homini ſoli committeretur, cum vnius ſolius charitas facilime refrigeſcere poſſet, vt loco ſui carnem & ſanguinem ſubrogaret, & forte etiam Pſeudoprophetam ſublimaret, ideò non eſt veriſimile, quod Petrus hunc eligendi modum Eccleſiæ relinquere, & ſuo exemplo approbare voluiſſet, vt vnius hominis arbitrio ſucceſſores ſui promouerentur ad Pontificatum. Vnde dicendum eſt Petrum non elegiſſe Clementem in Pontificem.

32. Nihilominus ſi verum eſſet, quod ex epiſt. prima Clementis ad Iacobum fratrem Domini refertur *cap. Simon Petrus 8. quæſt. 1* non conueniret doctrina ita, vnde eſt, quod Suarez *diſp. 10. de fide ſec. 4. num. 7.* reſponſionem iſtam impugnat, quia ex illius Epiſtolæ verbis illis, Clementem hunc Epiſcopum vobis ordino, cui ſoli meæ prædicationis, & doctrinæ Cathedram trado &c. & ex illis alijs Ipſi trado à Domino mihi traditam poteſtatem ligandi, & ſoluendi &c. colligitur, quod Petrus Clementem non nominauit eligendum ex Concilio, ſed ordinauit, & elegit. Vnde in ſuppoſitione veritatis dictæ Epiſtolæ reſponſio data ſubſiſtere non videtur. Sed hæc inſtantia non obſtat. Nedũ quia non debet ſupponi veritas dictæ Epiſtolæ, ſed quia ſi ſit vis in verbis relatis, quæ ſignificant de præſenti; potius dicendum eſt, quod Clemens fuerit à Petro ordinatus Coepiſcopus de præſenti, & ſic pro futuro approbatus tan-

quam

quam dignus Pontificatu, eligendus tamen ab Eccleſia, vt infra probatur.

33. Eſt vero alia reſponſio, quod id factum fuit à Petro, quia tunc pauci erant Chriſtiani, nec audebant comparere, vt 15. *diſt. in cap.* 1. Et videtur hoc ſenſiſſe Alex. *in cap. Si Petrus* 8. *q.* 1. vbi etiam dat aliam ſolutionem, quia ſcilicet hoc fecit Petrus ſpeciali inſtinctu Spiritus Sancti, ſicut legimus de Dauid in Gloſſ. *cap. Moyſes* 8. *q.* 1. Et hanc reſolutionem refert, nec reprobat Iacobat. *d. l.* 10. *ar.* 7. *ad* 11. Harum vero reſponſionum prima reijcitur, quia ſi in ea epiſtola Clementis aſſeritur, quod Petrus in fratrum Conuentu Clementē elegit, benè apparet, quod tunc conuenire poterant fideles ad Papæ electionem, vnde non erat neceſſe, vt Petrus ipſe futurum Pontificem eligeret. Nam, & imo de facto illos conueniſſe dicendum eſt, cum poſt Petri mortem non Clemenem, ſed Linum elegerint, quem Petro ſucceſſiſſe immediatè probatum eſt,

34. Secundam verò ex duabus iſtis reſponſionibus, quæ ordine erit tertia, tradunt etiam Turrecrem. *cap. Si tranſitus, diſt.* 79. *num.* 1. *ad* 2. & Caiet *d. tract.* 2. *p.* 2. *cap.* 22. & eandem ſequitur Barboſa *l.* 1. *de iure Eccleſiæ cap.* 1. *num.* 46. & Grauina *loco ſupracitato*. Et hæc reſponſio admittenda eſſet, ſi verum eſſet factum narratū in illa Epiſtola. Nec in oppoſitum vrget, quod affert Bonacina, quia ſcilicet ſi ſemel liceret dicere, quod quæ fecit Petrus, ea fecit ex ſpeciali priuilegio Spiritus Sancti non leuis occaſio detrahendi auctoritati Pontificis daretur hæreticis, quia dicent Petrum ex ſpeciali priuilegio aliis non communicando fuiſſe Chriſti Vicariū. Negatur enim hæc conſequentia, & paritas. Nam hic ſumus in caſu modi eligendi, qui verè eſt Eccleſiæ pernicioſus, & ei non conuenit, & proptereà Concilia ipſa eum prohibuerunt, & Eccleſia eo vti noluit, in tantum, quod neque illa Petri electio, etiam ſi vera fuiſſet, habuit effectum, ideò per conſequentiam ſpecialem, & legitimam colligimus, quod hoc non fuit factū ex ordinaria poteſtate Petri, ſed ex ſpeciali inſtinctu. Quæ enim ex eorum genere nedum non ſunt meliora, ſed potius ſunt Eccleſiæ pernicioſa, ſi aliquando in facti cōtingentia fiant à Sanctis, quia tunc ex circūſtantijs Deo notis ſiot in indiuiduo meliora, dicuntur fieri, & fiunt ex ſpeciali Spiritus Sancti impulſu, & hæc non ſunt imitanda, ſed admiranda, & vt ex Gloſſ. aduertit Grauina, factum Petri non eſt trahendum in conſequentiam, ſicut neque, quod ad eius umbram ſanarentur infirmi. Nec ſemper exempla Sanctorum ſunt imitanda, *cap. Non exemplo* 26. *quæſt.* 2.

35. Quarta reſponſio admittit Clementem fuiſſe electum Pontificem à Petro, ſed ait, quod Clemens videns fore, vt hoc eſſet pernicioſum Eccleſiæ renunciauit, & Eccleſia ſibi elegit Linum. Hoc quidem quod eſt Petrum verè elegiſſe Clementem, ſed illum renunciaſſe tradunt Gloſſ. *cap. Si Petrus* 8. *q.* 1. Iacobat. *dict. reſp. ad* 11. Azor. *p.* 2. *l.* 3. *cap.* 43. *& l.* 4. *cap.* 6. *qu.* 5. Suarez *diſp.* 10. *de fide ſec.* 4. 8. *& l.* 3. *cap. Regem Angliæ cap.* 13. *num.* 13. *fin.* Caſtell. *de elect. cap.* 10. *n.* 23. Ciacconus *in vita S. Lini.* Binius *in annot. ad vitam S. Lini.* Baronius *ad annum Chriſti* 69. Tuſcus *lit. E. concl.* 31. *num* 1. Hæc tamen doctrina graues patitur difficultates. Nam certè repugnant ſimul hæc duo, ſcilicet, quod Petrus plenus Spiritu ſancto id egerit, quod diſcipulus Clemens vidit eſſe pernicioſū Eccleſiæ, & propterea illi nō conſenſit, vel renunciauit. Præter quam quod non ſoluit argumentum, quia approbat, quod Petrus auctoritate ordinaria elegerit ſibi ſucceſſorem, quod eſt id, quod argumentum intendit. Non ſaluat etiam, quod Linus fuerit primus Pōtifex poſt Petrum, quia ſi valuit electio Petri iam Clemens in inſtanti mortis Petri fuit Pontifex immediatus poſt Petrum. Niſi dicatur, quod Clemens nunquam conſenſit electioni, quod eſſet dicere, non quod renunciauit, ſed quod electioni non conſenſit. Quamobrem ſi factum Petri admittitur melius dicitur, quod Petrus hoc fecerit ex ſpeciali Dei inſtinctu.

36. Sed huius reſponſionis deficientia ex eo manifeſtatur, quod ſibi prorſus contradicit, & epiſtolæ illius hiſtoriæ contrariatur. Nam ex ea epiſtola conſtat eam ſcriptam eſſe poſt mortem Petri ibi. *Hic*, ſcilicet, *Petrus proprietate parti volens præſentem vitam finiuit*, & factum ordinationis Clementis narrat factum paulo ante mortem Petri, ibi: *In ipſis autem diebus, quibus vitæ finem ſibi imminere præſenſit in conuentu fratrum poſitus apprehenſa manu mea, &c.* Qui vero ſcripſit illam epiſtolâm fatetur ſe eſſe illum Clementem, qui à Petro ordinatus fuit Romanus Epiſcopus, & ſolus Petro poſt eius mortem ſucceſſurus, ibi: *Clementem hunc Epiſcopum vobis ordino, cui ſoli meæ prædicationis, & doctrinæ Cathedram trado.* Et hic Clemens Romanus Epiſcopus non multum poſt à morte Petri ſignificat ſe hanc Epiſtolam ſcripſiſſe, ibi circa medium epiſtolæ. *Deprecor te, ò Clemens coram omnibus, qui præſentes ſunt, vt poſtquam (ſicut naturæ debitum eſt) vitæ præſentis finem fecero Iacobo fratri Domini deſcribas breuiter, &c. Omnia quæ potes, breuiter comprehenſa ad ipſum te deſtinare non pigeat, &c.* & infra. *Vnde, & ego, mi Domine Iacobe, cum hæc ab eo præcepta ſuſceperim neceſſe habui implere, quod iuſſerat, indicans tibi, &c.* In ea igitur Epiſtola continetur, hæc hiſtoria, quod ſcilicet, Clemens paulo ante mortem ordinatus à Petro Epiſcopus Romanus, poſt mortem illius eiuſdē ſucceſſor factus, ad Petri mandatum eam epiſtolam ſcripſit Iacobo fratri Domini. Reſponſio igitur illa, quæ admittit, vt vndequaque veram illius Epiſtolæ hiſtoriam, dum dicit Clementem Pontificatui renunciaſſe, & contradicit hiſtoriæ, & contradicit ſibi, quia ille idem Clemens à Petro ordinatus Papa paulo poſt mortem Petri, ſcribit tanquam Papa Iacobo fratri Domini. Neque enim dici poteſt, quod hic Clemens expectauerit poſt mortem Lini, & Cleti, per annos pluſquam ſecundo, vt hanc epiſtolam ſcriberet, quia ille Clemens nimis clarè ſignificat ſe ſtatim poſt Petri mortem eam ſcripſiſſe epiſtolam. Et quia non eſt veriſimile, quod Clemens per tot annos diſtulerit ſcribere hanc epiſtolam, quam tamen ſcribit, vt Papa Petri ſucceſſor, & à Petro ordinatus. Ideo qui veram

eſſe

Digitized by Google

eſſe illius hiſtoriæ epiſtolam fatetur, ſi vult loqui conſequenter debet etiam fateri, quod Clemens immediatè ſucceſſit Petro in Pontificatu Romano, quod tamen nedum eſt contra antiquos Patres, ſed contra traditionẽ Romanæ Eccleſiæ.

37. Reſpondetur igitur, & dicitur hiſtoriã illius epiſtolæ de ordinatione Clementis in Papam apocripham eſſe, & non fuiſſe à Sancto Clemente conſcriptam, ſed ab aliquo alio confictam. Nam licet doctrina illius epiſtolæ multa vera contineat, & ob antiquitatem ſit veneranda, tamen etiam admiſſo, quod doctrina illius epiſtolæ fuerit Clementis pro ea parte, qua cõuenit Scripturis, & aliorum Pontificum decretis, & rationi, non eſt certum an ab eo fuerit expreſſa in aliqua epiſtola, vel potius in aliqua conſtitutione coram fratribus habita, vel alio modo tradita. Nam certè in epiſtola 1. Anacleti, vbi refertur qualiter ex decreto Clementis prohibitum ſit Apoſtatis à fide accuſare, & teſtificari. Quod continetur in illa prima Clementis epiſtola, ſic dicitur. *Et Beatus prædeceſſor noſter Clemens Vir Apoſtolicus, & ſpiritu Dei plenus vna cum reliquis Sanctis Collegis ſuis ſtatuit dicens: Accuſandi, &c.* Vndè habetur, quod illud, & alia ſimilia documenta fuerunt expreſſa nedum à Clemente, ſed à Collegis ſuis, & fuerunt ſtatuta aliqua ſynodalia, vel ſaltem in aliqua congregatione de conſenſu Collegarum facta. Et hoc confirmatur, quoniam cum multa à ſucceſſoribus Pontificibus, & Concilijs deſumpta ſint, quæ continentur in dicta Epiſtola, & relata fuerunt, vel vt dicta Clementis, vel vt dicta Petri in ordinatione Clementis nullus eorum alicuius epiſtolæ mentionem fecit, vt videre eſt alio loco in 1. *epiſt. Fabian. & in regiſtro Clem. 7. l. 6. ep. 35.* Et in Synodo Vaſenſi *c. 6.* & in Synodo Metenſi ſub Arnulpho *c. 8.* nullibi enim habetur mentio alicuius epiſtolæ; quod verò marginiſtæ citent epiſtolam primam S. Clementis, hoc fuit marginiſtarum opinio, non verò Pontificum, & conciliorum illorum Prouincialium, qui nullam mentionem alicuius epiſtolæ habẽt. Præterea mirabile eſſet, quod doctrina illius epiſtolæ fuiſſet à Clemente expreſſa in epiſtola ad Iacobum, & quod hæc doctrina tanquam Clementis, vel potius tanquam Petri manifeſta fuiſſet Eccleſiæ, ita vt Anacletus, qui Clementi ſucceſſit eam allegauerit, & tamen ex antiquis nullus prorſus in vita Clementis, vel de Clementis actis ſermonem habens huius epiſtolæ Clementis meminerit. Hier. *de ſcript. Eccleſiaſt. de Clemente*, ait: *Scripſit ex perſona Romanæ Eccleſiæ ad Eccleſiam Corinthiorum valdè vtilem Epiſtolam, &c.* & infra. *Fertur, & ſecunda eius nomine epiſtola, quæ à veteribus reprobatur* Sanctus igitur Hieron. vnam tantum Clementis certam epiſtolam nouit ſcriptam ad Corinthios. Alteram verò, ſed incertam, & à veteribus reprobatam aſſeruit. Minimè igitur conſtat illam Epiſtolam fuiſſe à Clemente ſcriptam, & propterea non poſſe ex ea ſumi validum argumentum ad probandam, vel improbandam veritatem Theologicam. Quoniam ſtat multa ex contentis in ea epiſtola eſſe ex doctrina Petri, & Clementis, & neque tamen in aliqua epiſtola, ſed alio modo à Clemente tradita.

38. Sed pergendo vlterius, & admiſſo eam epiſtolam fuiſſe à Clemente ſcriptam. Addo valdè veriſimile eſſe, quod factum narratum de Petro ordinante Clementem ſit verum ſecundum ſubſtantiam, ſed non prout ibi narratur, ex alicuius malitia, qui epiſtolam illam corrupit. Nam veriſimile eſt, quod Petrus ſicut ordinauit Linum, & Cletum, ſic ordinauerit Clementem in Coadiutorem Epiſcopum, minimè verò in Summum Pontificem, quamuis ex hac ordinatione euenerit vt illi tres ab Eccleſia habiti ſint, vt veluti à Petro iudicati, & canonizati tanquam idonei, & ideò illi ſucceſſiuè eo ordine, quo à Petro Epiſcopo ordinati fuerant electi ſint in Pontifices Summos. Hoc verò probatur multis argumentis. Nam primò Anacletus *epiſ. 3.* Alex. *epiſ.* 1. Fabian. *epiſ.* 1. Concilia Varenſe, & Metenſe locis citatis mentionem non habent de electione ad Summum Pontificatum, ſed ſolum referunt doctrinam illam contentam in *cap. Si inimicus diſt. 92.* vt traditam à Petro in ordinatione Clementis, hoc verò eo veriſimilius intelligitur de ordinatione in Coadiutorem, quod Petrum ordinaſſe Clementem ſuum Coadiutorem ſatis indicat San. Epiphan. *hær. 27.* & tradit expreſſè Nicephor. *l. 2. cap. 35.* Imò Marianus Scotus putat, quod Clemens viuente Petro nouem annis Cathedram tenuerit. fuit ergo Clemens ordinatus à Petro, qui tunc in Conuentu fratrum ex multis ea protulit Sancta quidem, & Petro digna, quæ in ea epiſtola continentur. Sed non fuit Clemens ordinatus in Summum Pontificem, ſed in Epiſcopum cooperatorem, & Coadiutorem.

39. Secundo idem probatur, quia vel intelligitur, quod Clemens fuerit tunc viuente Petro ordinatus Summus Pontifex, eique de facto, & de præſenti tradita ſumma poteſtas ſuper Eccleſiam, vel quod hæc ſibi fuerit promiſſa, ſed fuerit conſtitutum, vt illam haberet poſt mortem Petri: primum dici non po eſt, & ſi diceretur admitteretur, quod in Eccleſia ſimul eſſe plures Pontifices poſſent, Eccleſiamque monſtrum eſſe non vnius, ſed plurium capitum, & vnum gregem plurium paſtorum, quod quidem hæreticum eſt aſſerere. Sed neque dici poteſt ſecundum ſtante modo loquendi epiſtolæ illius, ibi: *Clementem Epiſcopum vobis ordino.* Hic enim modus loquendi vim habet de præſenti, & certè ſignificat, quod tunc Clemens factus fuerit Epiſcopus, & Pontifices citati, & Concilia hoc ſignificant, & magis confirmatur ex illis verbis: *Cui ſoli meæ prædicationis, & doctrinæ Cathedram trado*, quod efficacem traditionem de præſenti ſignificat. Et comprobatur ex illis alijs verbis: *Propter quod ipſi trado à Domino mihi traditam poteſtatem ligandi, & ſoluendi.* Circa quæ verba nedum conſiderari debet ſignificatio de præſenti, ſed quod Petrus poterat quidem Clementi tradere poteſtatem ſubordinatam ſupremæ, & Pontificiæ poteſtati, & Clementem ſuum Vicarium, & miniſtrum inſtituere. Sed tradere ſupremam poteſtatem ligandi, & ſoluendi ſolius Chriſti eſt. Vndè nec Cardinales, ſeu Eccleſia eligendo dat Pontifici poteſta-

ſeſtatem, ſed deſignat perſonam cui à Chriſto immediatè poteſtas datur, vt tradiderunt Turrecrem. *l.2.de Eccleſ. cap.*44. Caiet. *opuſc.*1.*c.*13. *& opuſ.*2. *p.*2. *cap.* 22. Turrian. *contra centuriat. cap.*18. Suarez *diſp.*10. *de fide ſect.*4. *num.* 3. Petrus igitur non ſibi arrogauit, quod Chriſti eſt, ſed Clementi ſubordinatam poteſtatem ligandi, & ſoluendi contulit, & illum in ſuum Coadiutorem ordinauit, & ſic ordinando eum pro futuro Pontificatu approbauit, & laudauit. Eccleſiæ verò reliquit, vt eum eligerent. Et ita hic ſenſus confirmatur ex Turecrem. & alijs relatis ſupra, qui benè dixerunt, quod Petrus non elegit ſibi Clementem ſucceſſorem, ſed illum nominauit, & veluti propoſuit eligendum, quia eligendo eum de præſenti ad Epiſcopatum, eum approbauit eligendum ad Pontificatum.

40. Sed addendum eſt, quod epiſtola illa tota talis qualis legitur non eſt Clementis Papę. Nam primo negari non poſſet id, quod etiam de epiſtolis iſtis Primorum Summorum Pontificum tradidit Bellarm. *l.2.de Rom.Pontifice c.*14. nimirum aliquos errores in has epiſtolas irrepiſſe, vndè ipſe nec auſus fuit eas indubitatas eſſe affirmare. Nam ex illis aliquas etiam hæreſes manifeſtas approbari conſtat. Et vt de reliquis taceam, epiſtola quinta Clementis laudat communionem vxorum, quod Nicolai hæreſiarchæ dogma fuit, vt aduertit Bellarm. *l.3.de bonis operibus in partic. cap.* 11. Quamobrem huiuſmodi epiſtolis multa addita fuere, vndè eſt, quod etiam Catholici Scriptores multas ex illis, vel apocriphas, & ſpurias vel corruptas, & mutatas fuiſſe dicunt, pro vt videre eſt apud Poſſeuinum *In apparatu in verb.Pontificū*, quibus aſcribuntur, & apud Binium *in notis ad eandem Epiſtolam*. Et de earum collectore, & quo tempore collectæ fuerint videndus inter alios, Baronius *ad annum* 102.& 865. *& in Martirolog.ad 4.April.* Qui etiam ex multis has epiſtolas eſſe ſuſpectas affirmat, illiſque Sanctam Romanam Eccleſiam non indigere tradit, vt (ſi falſitatis arguantur ſuis ipſa deſtituatur iuribus, & priuilegijs, cum etſi illis careat, ex legitimis, germaniſque aliorum Pontificum epiſtolis decretalibus ſatis ſuperque corroborata conſiſtat. Eſt verè ſic eſt, quod parum vtile eſt, vel potius inutile, & perniciosum incertis, & rationabiliter ſuſpectis velle vti ad comprobandas veritas Catholicas.

41. Cum verò hæc in communi dicta ſint de his epiſtolis ad hanc Epiſtolam primam Clementis redeundo dicitur verum eſſe, quod de ea tradidit Antonius Auguſtinus Tarraconenſis Archiepiſcopus *in 1. Collect. Adriani cap. 63.* nimirum, quod in ea ſunt quædam loca, quæ videntur eſſe ab alijs adiecta ex libris recognitionum Clementis, quos libros ab antiquis non inuenimus relatos, atque receptos, quin potius Clementis itinerarium à Gelaſio, & Romana Synodo inter apocripha notatur, vt habetur apud Gratian. *diſtinct.* 15. *cap.* 3. Proptetea illa epiſtola eſt ſuſpectæ fidei apud Bellarm. *de ſcriptorib. Eccleſ. in Clem. Comeſtorem in hiſt. Eccleſ. in Actib. apoſt cap.*101. Turrecr. *in ſumma eccleſ. cap.* 101. Driedon. *de reſcript. Eccleſ. lib.*1. *cap.*2. *p.*3. Poſſeuinum *in apparatu, v. Clemens.* Binium *in annot.* Barboſ. *ad cap. Vndè* 3. *q.*1. Lauor. *tom.*1. *tit.*4.*cap.*3. *n.*51. Quod, & latis indicauit Baronius *tom.*1. *ad annum* 69.*n.*83. Nam multa ſunt, & vrgentia, quæ hoc probant. Et quidem primò, quia cum hęc epiſtola dicatur data poſt mortem Petri, quamuis de tempore mortis illius ſit diſcrepantia, vt dictum eſt, nihilominus conſtat Iacobum fratrem Domini per multos annos ante iuſſu Herodis de ſumitate Templi Hieroſolimitani præcipitatum ſubijſſe martirium, prout habetur ex Ioſeph. *l.*20. *cap.*8. Euſeb. *l.* 2. *cap.*23. Hieron. in *Catal. Beda ſex.ætat.* dicentibus Iacobum martyrium paſſum cum Albinus ſucceſſor Feſti nondum venerat in Prouinciam iudeæ, is verò ad illam miſſus eſt 7. annis, & menſibus, ante obſidionem Hieroſol. teſte Ioſeph. *l.*7. *cap.*12. cuius auctoritate firmatur, quod Iacobus obierit anno primo *Olimp.*117. *& Chriſti* 63. Neronis ſeptimo, vt tradiderunt Euſeb. Hier. Beda citati. Baronius *ad annum* 63. Bzou. *ibid.* & eſt communis ſententia. Tunc igitur Iacobus multo ante obierat, quam Clemens hanc Epiſtolam ſcriberet, eſt verò inueriſimile prorſus, quod Clemens ex mandato Petri ad mortuum ſcriberet. Secundo, vt probatum eſt ſupra conſtat S. Clementem non fuiſſe Summum Pontificem immediatè poſt Petrum, igitur inueriſimile omninò eſt, quod Petrus iam moriturus Clementem ſibi ſucceſſorem reliquerit, vt ex illa epiſtola prætenditur. Nec valet dicere, quod Clemens renunciauit, quia vidit hoc futurum in perniciosum exemplum Eccleſiæ, quia nedum hoc eſt contra illam epiſtolam, quę cōtinet ſcriptorem illius fuiſſe Clementem Epiſcopum Romanum, ſed vlterius maior ratio inueriſimilitudinis colligitur. Nam inueriſimile prorſus eſt, quod Petrus plenus Spiritu Sancto non viderit periculum ſcandali, quod vidit Clemens, vel ſi vidit, voluerit ſuo exemplo inſtituere in Eccleſia modū eligendi Pontificem, quem ſi Eccleſia non reiecisset eiuſdem Eccleſiæ ruinam pariturus erat. Tertio inueriſimile eſt, quod Petrus illa verba de Clemente protulerit, ſcilicet, *Quem præ cæteris expertus ſum Deum colentem, homines diligentem, &c.* Et illa alia: *quod ſi eſſet alius melior, ſi quis mihi alius adiutor tam ſedulus extitiſſet, ſi quis tam plenè doctrinæ meæ rationē ceſſiſſet, ſed & Eccleſiaſticas diſpoſitiones à me tam plenè didiciſſet, habens alium talem, non te cogerem opus bonum ſuſcipere nolentem.* Non eſt enim credibile, quod in tam grande præiudicium Lini, & Cleti, quos Petrus ſibi coadiutores ordinauit, & quos Eccleſia etiam prætulit Clementi, tot & tanta de Clemente prædicare voluerit, & quod Clemens ipſe has de ſe pro latas laudes voluerit decantare, & per Epiſtolam mortuo directam publicare, non enim hæc modeſtiam, & humilitatem præſeferunt, nec de Clemente credibilia ſunt. Vndè hiſtoria iſta de electione Clementis narrata in illa epiſtola inueriſimilis prorſus eſt, nec meretur fidem, ſed illi epiſtolæ adiūcta eſt, ſi tamen illa epiſtola eſt Clementis, quod eſt incertum.

43. Nec contra prædicta vrget, quod illius primæ epiſtolæ Clementis mentionem faciant Pontifices, & Concilia. Nam primò quantum

ad

ad epiſtolam primã Anacleti prætermiſſo, quod nec illa epiſtola eſt omninò indubitatæ fidei, apud Bellar. *l.2. de Rom.Pontifice cap.* 14, & Lorinum *in cap.*1. *Actor. ver.*13. & Cuſan. *l.2. de concord. Cathol. cap.*34. & Simon.Vigar. *ad reſp. Synod. Concil. Baſilen. p.*26. 6.*&c.* dicitur Anacletum nullam mentionem facere epiſtolarum Clementis, licet doctrina vtatur, quam Sancti Clementis eſſe affirmat. Bis verò S.Clementem citat, & quidem primo aſſimilans Eccleſiam naui, & ſecundo oſtendens quomodo tranſgreſſoribus Chriſtianæ legis, & Religionis deneganda ſit accuſandi licentia, & teſtificandi. In nullo autem horum locorum mentionem facit epiſtolarum Clementis. Et ſi dicatur, quod in illa epiſtola S. Clementis continetur illa nauis ſimilitudo, & longè ſatis eiſdem verbis ab Anacleto deſcribatur, quibus reperitur expreſſa in prima Clementis epiſtola dicitur, quod ex hoc ſolum concluditur, quod S. Clemens illam ſimilitudinem tradiderit, & quod in ea epiſtola aliqua ſint, quæ verè fuere à Sancto Clemente, vel dicta, vel ſcripta, non tamen ſequitur, quod epiſtola illa Clementis fuerit. Nam & Anacletus ſecundum illud, quod citat ex Clemente ſcilicet, de prohibenda accuſatione, & teſtimonio deficientis à fide, & Religione, non habetur eodem modo in epiſtola Clementis, & Anacletus, refert illud non vt aliquod contentum in aliqua epiſtola, ſed vt ſtatutum à Clemente ſimul cum Collegis ſuis. Item in illa epiſtola prima Clementis cum dicatur, quod Diaconi ſunt oculi Epiſcopi, & hoc idem habeatur in Epiſtola Anacletis, abſque eo, quod citetur in hoc Clementis Epiſtola, ſignum eſt, quod neque alia ex eadem epiſtola ſumpſit, nec eam legit, & vidit, quia aliter, & ſimilitudinem illam oculi dixiſſet ſe habuiſſe ex Clemente, ſi illius legiſſet epiſtolam eam ſimilitudinem continentem. Et cum in epiſt. 2. Anacleti tractetur de Epiſcoporum iudicio, quomodo ſcilicet à Deo ſint iudicandi, non ab hominibus, & illa epiſtola vtatur ferè eiſdem verbis, quibus ad idem probandum vtitur Epiſtola Clementis, & eadem ſimilitudine ſerui, & eodem loco ſcripturæ, *& quis eſt, qui alienum ſeruũ iudicet. Rom.*14. non facit tamen aliquam mentionem Clementis, quam certè non omiſiſſet ſi dicta epiſtola à S. Clemente conſcripta fuiſſet, & id quod Clemens ſua authoritate firmaſſet in ea epiſtola tranſcripſiſſet Anacletus. Adde quod in epiſt. 3. Anacletis traditur tanquam documentum Petri ab eo traditum, quando docuit plebem, vt obediret Clementi illud, quod refertur *cap. Si inimicus diſt.* 93. & quod datum fuiſſe à Petro in ordinatione Clementis tradiderunt Alex. I. *epiſt.*1. Fabian. *epiſt.*1. Conc. Vaſenſe 2. *cap.*6. & Concilium Metenſe ſub Stephano VI. *cap.*8. ſed quando, & quomodo, & ad quem finem facta fuit hæc Clementis ordinatio non refertur. Et vt ſupra dictum fuit veriſimile eſt, quod Clemens fuerit ordinatus Petri coadiutor, factum verò huiuſmodi ordinationis, vt narratur in ea epiſtola eſt omnino inueriſimile. Nec dicti Papæ alicuius epiſtolæ mentionem faciunt.

44. Itaque igitur ad illud argumentum dicitur incertum eſſe, an auctor illius epiſtolæ, ſit Clemens, & inueriſimile eſſe, & quod Clemens de mandato Petri ſcripſerit ad Iacobum mortuum, & quod Clemens laudes ſuas, ita in epiſtola ad mortuum voluerit decantare. Et quatenus Clemens non ad Iacobum certè, ſed ad aliquem alium epiſtolam illam ſcripſerit, illa epiſtola fuit corrupta. Nam inueriſimile prorſus eſt, quod Petrus ſibi ſucceſſorem Clementem elegerit, cum ſit manifeſtum Clementem, nec immediatè ſucceſſiſſe Petro in Pontificatu, nec ſucceſſiſſe, niſi ex electione Eccleſiæ, nec ſic veriſimile, quod ſtatutum Petri, non fuiſſet executioni demandatum, ſi Petrus Clementem in Pontificem elegiſſet, & pariter inueriſimile eſt, quod Clemens, vel maiori zelo, vel maiori prudentia renunciaſſet Papatui, ne Eccleſiæ pernicioſum exemplum relinqueretur, quam Petrus illum inſtituiſſet, in Pontificem, & pernicioſum exemplum reliquiſſet. Et alias ex hoc etiam illius epiſtolæ fides vacillat, quod qui ſcribit epiſtolam eſt Romanus Pontifex, & immediatus ſucceſſor Petri, quia ſcribit ſtatim poſt Petri mortem, & tamen immediatus Pontifex poſt Petrum fuit Linus non verò Clemens.

45. Epiſtola pariter Io: Tertij ad vniuerſos Germaniæ, & Galliæ aduerſus Chorepiſcopos, ex qua Gratian. ſumpſit *cap. ſi Petrus* 8. q. 1. apocripha eſt, & ſpuria, & non eſt Ioannis, ſed vnam eſſe & ſuppoſitis mercibus mercatoris habet Baronius ad annum 572. §. 3. quem ſequitur Poſſeuin. *in apparatu*, & Binius *in notis* ad eandem Epiſtolam illam vt ſpuriam reijcit. Cum igitur prima ſententia principaliter ſe fundet in illa Epiſtola, bene apparet, quam leue fundamentum ſit illius aſſertionis, quod Linus, & Cletus non fuerint Summi Pontifices, & quod Clemens habuerit Pontificatum tradente ſibi Petro Apoſtolo. Et propterea etiam Caiet. *in dict. tract.* 2. *par.* 2. *a.* 22. factum illud Petri incertum aſſerit. Itaque igitur dicitur ad argumentum, nec D. Petrum habuiſſe poteſtatem ordinariam eligendi ſucceſſorem, nec illum elegiſſe, ſed imo illum inſtituiſſe, vt à Clero Romano Pontifex eligeretur. Et cum Cardinalium officium à B.Petro Apoſtolo (licet tunc nomen Cardinalis non eſſet) inſtitutum fuerit, vt declarauit Eugen. IV. in ſua *Conſtitut.* 15. §. 4. dicendum eſt ſemper ab initio naſcentis Eccleſiæ ad Cardinales pertinuiſſe electionem Summi Pontificis, qui etiam ab initio fuerunt inſtituti coadiutores Papæ in gubernio Eccleſiæ. Et veriſimile cum ſit id, quod habet Barboſa *d. cap.* 1. *num.* 46. ſcilicet quod Petrus ex Presbyteris, & Diaconis Romanæ Eccleſiæ 24. elegerit, cum quibus ardua negotia Eccleſiæ explicaret hoc etiam pro certo tenendum eſt aliquos elegiſſe in Coadiutores, & ſic Cardinalatus officium inſtituiſſe, vt dixit Eugen. IV. neque ſine horum ſuffragio electus eſt aliquando Summus Pontifex. Et hoc non leue fundamentum habet ex *cap. Oportebat*, quod eſt valde notandum & eſt deſumptum ex Concil. Romano ſub Stephano III. qui anno Domini 752. creatus fuit Pontifex, *oportebat*, inquit, *vt hæc ſacroſancta Domina noſtra Romana Eccleſia*, (iuxta quod à Beato Petro, &

eius

Digitized by Google

eius ſucceſſoribus inſtitutum eſt) ritè ordinaretur, & in Apoſtolatus *culmen vnus* de Cardinalibus Presbyteris, aut Diaconis *conſecraretur*. Habetur enim ex hoc, quod, & tempore Petri Cardinales erant quantum ad officium, ſecundo quod ex Petri inſtitutione oportebat, vt eligeretur vnus de Cardinalibus, Ideoque quod Petrus non elegit ipſe ſucceſſores, ſed eos ex gremio Eccleſiæ Romanæ eligendos inſtituerit, ſi in ea digni inuenirentur. Alias vero, & inſtitutum fuiſſe à Patribus, vt Pontifex à Clericis Romanæ Eccleſiæ eligeretur, habetur ex *cap. in nomine Domini diſt.* 23.

46. Ad tertium Argumentum dicitur Epiſcopum de licentia, & conſenſu Summi Pontificis poſſe ſibi eligere coadiutorem cum ſpe ſucceſſionis, & ſucceſſorem; vt aduertit etiam Panor. *cap. licet num.* 7. de electione. Sed conſequentia argumenti nihil valet, ſed retorquetur argumentum. Nam Epiſcopus ex eo, quod cum plena Epiſcopali auctoritate coſtitutus ſit Paſtor ſuæ Eccleſiæ, & ex eo, quod ſibi dicitur Paſce oues huius ouilis, nullam habet facultatem ſubſtituendi alium in locum ſuum, niſi ſpeciali, & extraordinaria facultate Papa id ſibi concedat, igitur nec Papa ex ordinaria poteſtate officij ſui, & ex vi illius dicti Chriſti, Paſce oues meas, poteſt alium in ſui locum ponere, & alterum ſe creare, niſi alia excellentior, & ſuperior poteſtas ſit illi à Chriſto collata; quod quidem fuiſſe factum nullibi apparet. Non eſt ergo eadem ratio, & conſequentia non tenet, quia in eo quod Epiſcopus aliquando ſeruatis alias ſeruandis, & ſi Epiſcopatus ſit electiuus habitæ electorum conſenſu, vt notant Gloſſa *ad d. caput Petiſti 7. quæſt.* 1. *&* Turrecrem. *ad cap. in nomine Domini d. 23. art. 1. ad 2. confirmationem*, nec non ſub examine, & ſcientia, & conſenſu Summi Pontificis ſucceſſorem eligat, nullum eſt periculum domui Eccleſiæ, & quod fit, fit ex ſpeciali ſuperaddita gratia, ſed quod vnus homo ſuprema auctoritate ſua poſſit alium in ſuũ locũ ponere Pontificem totius Orbis eſt res periculoſiſſima, & quæ alias excedit omnem plenitudinem ordinariam officij Paſtoris, & quæ proinde ſicut non poteſt fieri in vna Diœceſi ab Epiſcopo niſi ex ſpeciali gratia Papæ, ſic à Papa non poteſt fieri in toto orbe, vt Papam alium eligat, niſi ex ſpecialiſſimo inſtinctu, & auctoritate extraordinaria, quæ ſibi detur à Deo.

47. Ad quartum reſpondet optimè Caiet. *d. tract. 2. par. 2. cap.* 22. Poteſtas enim eligendi Papam data eſt immediate toti Eccleſiæ, vt in ea compræhenditur etiam Papa tanquam caput, ſed Petro vt capiti, Eccleſiæ vt diſtinctæ contra Papam vt ouili intelligibili. Et quia in hac poteſtate duo ſunt conſideranda, ſcilicet eligere formaliter, & eligere directiuè, & eminenter. Hoc ſecundum eſt munus Papę, ſcilicet per ſuam auctoritatem, & poteſtatem dirigere electionem determinando locum, tempus, formam, eligentes &c. ſed eligere formaliter, ſeu exercere immediatè munus electionis conceſſum eſt Eccleſiæ, vt diſtinctæ contra Papam. Et hoc apertè profeſſus fuit Anacletus Papa *epiſ. 2. cap. 2. &* habetur *cap. electionem 11. diſt.* 79. Vbi ex dicta Epiſtola aduertit Barboſa, quod textus Gratiani mendacium continet, dicit enim electionem, & debet dicere electionem, & ita ſic legi debet integer textus. Electionem vero ſummorum Sacerdotum ſibi Dominus reſeruauit, licet electionem eorum bonis Sacerdotibus, & ſpiritualibus populis conceſſiſſet. Sic igitur bonis Sacerdotibus, & ſpiritualibus populis conceſſa dicitur electio Summorum Pontificum. Et ratio huius eſt manifeſta, quia electio eſt actus, cuius proprium eſt tempus poſt mortem Summi Sacerdotis, quia eſt actus per quem prouidetur Eccleſiæ viduatæ, & vlterius eſt actus, qui vt fiat ſine periculo petit fieri à multitudine, non verò ab vno homine Superiorem non habente, nec Iudicem, à quo in ſui actione dirigi poſſit. Ideo non eſt commiſſus Pontifici, quia tunc cum debet haberi actus electionis Papa non eſt, & quia nimis graue periculum imineret Eccleſiæ ſi ei commiſſus fuiſſet. Quia tamen Papa poteſt Eccleſiam dirigere legibus etiam in futurum, & pro eo tempore quo non eſt, & vbi ipſi non competat eligere ceſſant illa pericula, quæ imminerent, ſi ipſe eligere poſſet; ideò Eccleſiæ commiſſa eſt electio, ſed ſub directione Papæ. Et neque per hoc ſequitur, quod Eccleſia vt diſtincta à Papa, ſeu quod Cardinales, vel alij electores eligentes *Papam* ſint quid maius illo, ſed vt notat Suarez contra Regem Angliæ *lib. 4. cap. 6. num.* 7. ouile ſemper eſt ouile, & Eccleſia ſemper eſt grex. Tum quia electores hominem ſibi æqualem nominant, ſed Chriſtus eſt, qui nominatum extollit. Tum quia electores neque id faciunt niſi per virtutem habitam à *Papa* quia ius, quod Chriſtus immediate dedit Eccleſiæ eligendi *Papam* eſt ius indeterminatum, quod nulli competit determinatè ex iure diuino, ſed ex diſpoſitione Papæ decernentis, vt iſti, & non illi *Papam* eligant.

48. Ad quintum, quod eſt illud, quo maximè mouentur DD. primæ ſententię iam patet reſponſio ex dictis & conſequentia eſt euidenter inualida. Nam maximè diſtinguuntur directio electionis, & electio. Nam directio reſpicit nedum præſens, ſed futurum, imo leges præcipue pro tempore futuro imponuntur. Et ſic lex in ſui impoſitione requirit præſens, ſed effectus eius in æternum extenditur. Sed electio ſummæ *Prælaturæ* vacantis proprium tempus habet, dum *Prælatura* vacat, nec antea congruè fit. Et præterea talis actio eſt, quam non conuenit fieri ab eo qui præeſt. Dicitur igitur, quod longe alterius rationis eſt dirigere electionem, & ſic præſcribere illi modum, & formam & aliud eſt exercere eligere, vt ex Gamb. *in extrauag.* Inh. II. notat Barboſa *d. cap. 1. num.* 44. Ideò non valet conſequentia iſta, *Papæ* commiſſum eſt dirigere eligentes in electione ad *Papatum*, ergo ſibi commiſſum eſt eligere *Papam*.

49. Ad ſextam dicitur quod nihil abſurdi ſequitur; Regnum enim Eccleſiæ eſt monarchicum, ſed monarcha eius eſt Chriſtus, & vt bene aduertit Bellarm. *lib. 1. de Rom. Pontif. cap.* 5. non quæritur in Eccleſia abſoluta, & libera monarchia, ſed talis, qualis poſſit eſſe miniſtrorum, & diſpenſatorum cum dicat *Paulus 1. Cor.*

4. Sic nos exiſtimet homo, vt Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei: & ſic Papa non eſt abſolutus Dominus Eccleſiæ, ſed ſummus Miniſter, & ſummus diſpenſator, & ſummus Vicarius. Non eſt vero Vicarij alium Domini ſui facere dominum Vicarium ſed ſubditorum habere curam, tunc cum ipſe habet, vt fungatur officio Vicarij, & alias ad Dominum pertineat ſuo Vicario deficiente alium ponere. Chriſtus verò voluit, vt per electionem Eccleſiæ aſſumatur quando opus eſt iſte monarcha Vicarius.

50. Ad ſeptimam iam patet reſponſio. Nam dare ius eligendi Papam ſic abſolute non eſt Papæ, ſed Chriſtus Eccleſiæ tale ius conceſſit. Papa verò poteſt determinare huiuſmodi ius, & ita dato; quod Papa poſſit concedere laico vt eligat Papam cum vacauerit Papatus, de quo puncto dicendum eſt infra, vbi textus citati conſiderabuntur, negatur conſequentia, quia id pertinet ad directionem electionis; quæ Papæ eſt commiſſa, ſed electio formaliter Eccleſiæ eſt tradita. Non poteſt tamen Ppa alicui concedere, vt ſe viuente ſucceſſorem eligat Azor. *par. 2. lib. 4. cap. 5. quæſt. 4.* Caſtell. *de elect. cap. 10. num. 24.* Sed bene poteſt decernere vt tempore vacantiæ ad electionem concurrat iſte, vel ille.

51. Octauum, & nonum ſatis fuere ſoluta *in cap. enim ſi tranſitus diſt. 79.* non dicitur, quod Papa eligat ſucceſſorem, ſed quod tractet cum Cardinalibus de ſucceſſoris electione. Et Bonifacius II. combuſſit decretum electionis ſucceſſoris tanquam iuri contrarium.

52. Concluditur autem ex prædictis Pontificem ſicut non poteſt eligere ſibi ſucceſſorem, ſic non poteſt ſtatuere vt electio iſta ad futuros Pontifices ſpectet; & ità vt nec Papa in Concilio, nec Papa ſimul cum Cardinalibus tale ſtatutum facere poteſt Bald. *cap. licet num. 12.* Ratio autem eſt, quia à Chriſto electio commiſſa eſt Eccleſię, & concedere Vicario Domini, vt eo deſinente alius ſubintret loco ſui non ſpectat niſi ad Dominum, vel ad eum, cui Dominus id commiſit, & Chriſtus voluit Papam non venire ex ſucceſſione ſed ex electione Eccleſię viduatę, vt ſatis probatum eſt.

An electio Summi Pontificis pertineat ad Laicos.

QVAESTIO V.

1. QVæritur quinto: An electio Summi Pontificis pertineat ad laicos? ſtante igitur, quod promotio ad Pontificatum, nec fit à ſolo Deo, nec per ſucceſſionem carnalem, nec per ſucceſſionem teſtamentariam per hoc quod Pontifex viuens ſibi eligat ſucceſſorem, ſequitur quod Pontifex per electionem hominum ſit aſſumendus. Quo ſtante inquirendi ſunt, qui ſint illi, quibus conueniat Pontificem eligere. At vero, quod in vniuerſum eligere Prælatos; & Epiſcopos ſpectet ad Populum vniuerſum falſo, crediderunt apud Bellarm. *lib. 1. de cleric. cap. 2.* Luther. de poteſtate Papæ, Caluin. *lib. 4. inſtit. cap. 3. §. 15.* Illyricus *lib. de elect. Epiſcoporum* Centuriatores *cent. 1. l. 2. c. 4.* Brentius in Prolegomenis contra Petrum de Soto. Kemnitius in *examin. Concil. Tridentin. in diſput.* de ordinis Sacramēto. Qui hoc vnanimiter voluerunt, quod ſine populi conſenſu, & ſuffragio nemo legitime eligatur, & vocetur ad Epiſcopatum; non eſſe verò ab hac generali regula excipiendam electionem ad Clerū, & ad populū vniuerſum pertinere, Pontificemque non legitime eligi, & aſſumi ſine ſuffragio, & conſenſu etiam Populi, voluit Marcus Antonius de Dominicis *l. 4. cap. 1. num. 1.* cuius verba refert Granin. *tom. 3. p. 2. l. 4. cont. 4. dub. 3.*

2. Huius verò fundamenta ſunt. Tum primo, quia Papa eſt Epiſcopus, at verò Epiſcoporum electio ad Clerum, & Populum ſpectat, vt patet ex electione Matthiæ *act. 1.* & Stephani *act. 6.* & ex S. Cyrian. *l. 1. epiſt. 4. & ex epiſ. Concil.* generalis ad Damaſum Papam apud Theodor. *l. 5. hiſtor. cap. 9.* Et ex conſuetudine Eccleſiæ per 1300. annos vſque ad tempus Federici II. Imperatoris. Tum ſecundo, quia electio Papæ per vndecim integra ſæcula vſq; ad Innocentium II. facta eſt à Clero, & populo. Tum quia nedum Cleri, & populi, ſed & Imperatoris aſſenſu Romanus Pontifex inaugurabatur, vt habetur *cap. 28. diſt. 62.* Tum quarto, quia multi Reges, & Imperatores noluerunt ſine illorū conſenſu quēpiam eligi in Pontificem Romanum, vt patet de Odoacre, & Theodorico Regibus Italiæ, & de Imperatoribus Iuſtiniano, & Iuſtino. Vnde ius eligendi Pontificem ſublatum ab Imperatoribus deuolutum eſt ad Carolum Magnum per Adrianum Papam *cap. in Synodo diſt. 63.* cui iuri minime ceſſit Ludouicus Imperator, & Leo Octauus, idem ius conceſſit Ottoni Imperatori, & Conſtantius ſublato Liberio Iulium ſubſtituit, & electio Stephani Papæ mala fuit teſte Aimon. quia non expectato conſenſu Imperatoris facta fuit. Tum quinto, quia cauſa ſchiſmatum fuit Cæſarum declinatio, & impotentia. Quandiù enim Imperatores potentes fuerunt ſibi ſubiectos detinuerunt Pontifices, & ſola auctoritate, & facto ſchiſmata compreſſerūt nunc verò reſtrictio electionis ad Cardinales ſchiſmata facilius parie. Tum ſexto, quia decretum *cap. In nomine Domini diſt. 23.* factum fuit ad ſupplantandos Imperatores, quibus antea ius approbandi Pontifices conueniebat. Tum ſeptimo nam meliores Theologi ſuſtinent non ſpectare ad ſummum Pontificem præſcribere modum electionis Papæ, & ſtulti ſunt Papæ (inquit Marcus Antonius de Dominis) qui Doctrinam Caietanicam ſectantes, non faciunt Papatum iuſpatronat. ſuæ tantum domus, & familiæ.

3. His nihilominus non obſtantibus dicitur, quod licet Chriſtus hominibus dederit poteſtatem eligendi Pontificem; nullus nihilominus laicus, ſiue ſimplex ſecularis, ſiue Princeps, Rex, Imperator, monarcha habet, vel vnquam habuit de iure diuino ius eligendi Pontificem Turrecr. *cap. 1. d. 63. c. 1. & tom. 2. tract. 1. c. 13. & trac. 2. p. 2. c. 22.* Bellar. *l. 1. de cler. c. 7. &* Suarez *diſp. 10. de fide ſec. 4.* & contra Regem Angliæ *l. 3. c. 29. n. 7.* Granin. *tom. 3. p. 2. lib. 4. contr. 4. dub. 3.* Barboſa *lib. 1. de iure eccleſ. cap. 1. n. 54.*

1. n. 54. 55. & ad cap. Hadrianus el 2. & cap. in Synodo d. 63. Sylu. v. electio 3. D. Anton. 3. p. tit. 21. cap. 2. §. 6. & 10. Bzou. in Pont. Rom. cap. 2. Bonac. de elect. Pontif. contr. 1. q. 1. p. 1. n. 10. Azor. p. 2. l. 4. c. 2. q. 3. Baron. ad ann. Dom. 774. à n. 10. & 384. à n. 22. Nullibi enim in ſacra ſcriptura habetur, quod Chriſtus hanc eligendi poteſtatem dederit ſecularibus viris. Et licet Chriſtus hanc poteſtatem dederit Eccleſiæ, non inde ſequitur, quod eam dederit vt exercendam à laicis. Tum quia iure diuino Populi ſunt oues. Io. vlt. Act. 21. 1. Pet. 5. ratio autem naturalis apertiſſime docet, quod ouium non eſt regere, ſed regi, cuſtodiri, & paſci. Electio vero Pontificis ad quoddam, & quidem magnum regimen Eccleſiæ ſpectat; & quod merito non eſt commendandum niſi ijs; qui ad Eccleſiæ regimen ſunt aſſumpti. Tum quia Chriſtus dixit Io. 20. ſicut miſit me pater, ſic ego mitto vos; quibus verbis ſignificauit ſuæ intentionis eſſe, vt Apoſtoli ſic gubernarent Eccleſiam ſicut eam ipſe gubernabat. Ille vero Apoſtolos elegit, & deinde 72 diſcipulos ſine aliquo multitudinis ſuffragio. In quo magiſtrum imitati ſunt Apoſtoli, & præcipue Petrus, & eius ſucceſſores ad omnes mundi partes mittentes Epiſcopos nullo populorum requiſito conſenſu de qua re videri poteſt Bzouius in cap. ... ſui Pontificis Romani, ſic etiam teſte Ruffino lib. 10. cap. 9. S. Athanaſius nihil de hoc cogitantibus Indis eorum Epiſcopum ordinauit S. Frumentium, & Niſſenus in vita S. Gregorij Taumaturgi refert eum fuiſſe datum Epiſcopum Apameæ, dum illa ciuitas adhuc detinebatur Gentilitatis errore, & ſolum 17. fideles habebat Epiphanius quoq; epiſt. ad Ioann. Ieroſolim. ſcribit, ſe Præsbiterum ordinaſſe Paulinianum fratrem S. Hier. & eum miſiſſe, vt ſacerdotali munere fungeretur in monaſterio, cum nihil de ea re ad monachi ſcripſiſſent. Vnde cum populi non habeant ius diuinum, vt ſibi Epiſcopos eligant, multo minus habent ius diuinum, vt eligant Papam, qui eſt ſupremus Epiſcoporum. Tum tertio quia multa incommoda ſequerentur ſi laicorum multitudo haberet ius electionis. Nam primo laici imperiti ſunt, & etiam ſi velint non poſſunt iudicare, an aliquis ſit ad Pontificatum idoneus, quod oſtendit Valentinianus Imperator, cui cum ſibi ab Epiſcopis delata eſſet electio Epiſcopi Mediolanenſis, prout refert Theodoretus l. 4. c. 6. reſpondit; *maior res eſt, quam vt nobis conueniat vos autem gratia diuina præditi, & illius ſplendore fulgentes melius eligetis.* Quod etiam ex hiſtor. tripartita l. 7. c. 8. ſimilibus verbis, & ſenſu refertur cap. Valentinianus diſt 63. Item ſi populi multitudo haberet ius electionis, vt plurimum promouerentur pejores; quia intra populi multitudinem maior eſt numerus ignorantium, inexpertium, ſtultorum, malorum, & amantium mundum, & mundi bona, quam ſapientum, & bonorum. Et propterea S. Io. Chriſoſt. lib. 1. de Sacerdotio grauiter conqueritur; quod ſuo tempore electiones Epiſcoporum in manu populi eſſent, & ait non eſſe mirandum ſi peſſimi præficiantur, & negligantur optimi. Item electio popularis obnoxia eſt tumultibus, ac ſeditionibus, vt probat S. Auguſt. epiſt. 180. & 235. vt viſum fuit ſæpe in Ciuitate Mediolani, & narrat Ruff. lib. 1. hiſt. cap. 11. & in electione Damaſi Papæ Romæ tanta fuit diſſentio, vt in vna domo 137. homines necati fuerint, vt ſcribunt Amianus Marcell. l. 27. Hier. in Chron. & Ruffin. l. 11. hiſt. cap. 10.

5. Adiungitur ad hæc quod præſcribere formam electionis Papæ, & determinare electores illius, & locum, & tempus, & modum, eſt commiſſum arbitrio, & prudétiæ Romani Pontificis, cui vni eſt à Deo commiſſa ſuprema directio fidelium, in ijs quæ ſpiritualia ſunt, & ad ſpirituale regimen Eccleſiæ pertinent, vt probant Caiet. tom. 1. opuſ. trac. 1. cap. 13. & tract. 2. par. 2. cap. 22. D. Anton. p. 3. tit. 21. §. 10. Sylu. v. electio 3. Panorm. c. licet. num. 1. Azor. p. 2. l. 4. c. 5. q. 2. Suarez diſp. 10. de fide ſec. 4. n. 11. & l. 3. c. Regem Angliæ c. 13. nu. 13. Graphinæ vbi ſupra §. Conſultatio, Caſtell. de elect. cap. 10. n. 2. Barboſ. ad cap. In Nomine Domini d. 23. n. 5. & ad cap. licet de elect. nu. 11. Franc cap. Vbi periculum nu. 4. de elect. in 6. Scortia Theor. 135. Quodnam enim tam neceſſarium ad regimen pacificum Eccleſiæ, quam quod eligantur quieti viri, eruditi, ſummæ prudentiæ, & bonitatis in ſummos Pontifices? Ideo non alteri, quam ei cui Chriſtus Eccleſiam commendauit committenda erat tanti facti directio. Nulli igitur ex laicis de iure diuino habent ius eligendi Papam, ſed qui hoc ius habent, illud ex Pontifice habent ad quem pertinet tantæ electionis miniſtros determinaſſe.

6. Dicitur vero ſecundo, quod laici, nec iure Eccleſiaſtico habent facultatem eligendi Pontificem, ſed imo hoc eſt illis pleno iure prohibitum. Sic enim in Concil. Laodic. cap. 13. c. 6. definitum fuit per hæc verba *Turbis non eſſe permittendum eorum, qui ſunt in altaris miniſterio applicandi electionem facere.* Supra quem Canonem legendi ſunt Zonaras, & Balſamon. Et ex eodem Concil. habetur hoc decretum cap. Non eſt diſt. 63. Extat etiam reſcriptum Stephani Papæ ad Archiepiſ. Rauen. vt habetur cap. Noſſe diſt. 63. *Sacerdotum,* inquit, *eſt electio, & fidelis populi conſenſus adhibendus eſt, quia docendus eſt populus non ſequendus.* Nam in fidei, & doctrinæ examine, quo vtrum quis ſit idoneus, diſcutitur doceri, non docere debet populus. Et ſimile decretum fuit in 6. Synodo, quæ fuit Nicena 2. & in 8. Synodo, & in Concil. Martini Papæ, & alibi ſæpe vt habetur cap. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. & 8. diſt. 63. & cum modo ex pluribus Conſtitutionibus Pontificum electio Papæ ad ſolos Cardinales pertineat, conſtat quod non pertinet ad laicos. Et Stephanus Papa, vbi ſupra huius reddidit rationem optimam, quia populi munus eſt non docere, ſed doceri, vbi agitur de inueſtiganda fide, doctrina, & idoneitate eligendi ad Eccleſiaſticas Prælaturas.

7. Dicitur vero tertio, quod laici, nec ex iure diuino ſunt incapaces iuris eligendi. Et quamuis abſurdum eſſet & valde malum ſtatuere generaliter, vt laici haberent ſuffragium proprie electiuum ad Epiſcopatus, & præcipue ad ſummum Pontificatum propter rationes poſitas

ſupra nu. 52. Nihilominus non ſunt laici huius iuris ita incapaces, quin etiam licitè poſſit illis in aliquo caſu ex priuilegio concedi, & ſunt qui aſſerunt etiam de facto aliquando conceſſum fuiſſe, ſed de hoc dicendum eſt in reſponſione ad argumenta.

8. Ad primum igitur dicitur diſtinguendum eſſe ius diuinum à iure canonico, & ius calculi à quodam iure teſtimonij præſtandi. Nam falſum eſt, quod de iure diuino ſit, quod populi habeant ius ſuffragij, ſeu calculi ad eligendos Prælatos Eccleſiaſticos. Nec oppoſitum habetur ex S. Cypriano *qui lib.* 1. *epiſt.* 4. ad Cecilium ſe explicat per hæc verba: *Coram Sinagoga fieri Sacerdotes legimus, vt plebe præſente, vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur.* Et infra ibidem addit. *Electionem Epiſcoporum fieri debere coram populo. Vt Epiſcopus deligatur plebe præſente, quæ ſingulorum vitam pleniſſimè nouit, & vniuſcuiuſque actum de eius conuerſatione perſpexit.* Ex quibus verbis habetur, quod Cyprianus ſolum voluit, quod populus haberet tunc quoddam ius teſtimonij ferendi in Epiſcoporum electionibus. In quo etiam eſt aduertendum, quod Cyprianus non dixit eſſe de iure diuino, vt electio Epiſcoporum fiat coram plebe, ſed quod hoc deducitur ex exemplis diuinis, quæ ipſe adducit ibi: *ex nu. cap.* 20. de Eleazaro, qui coram populo ordinatus eſt, & de Matthia *act.* 1. & de ſeptem Diaconis *act.* 6. At exempla ſcripturarum non faciunt ius diuinum, ſed præcepta Dei ſunt, quæ hoc faciunt. Habent vero populi quoddam ius opponendi electioni, & implorandi officium Superioris, vt Chriſti lex, & iuſtitia ſeruetur. Sed nihilominus ad Superiorem ſpectat oppoſitionum pondus librare, illaſque iuxtà canones examinare, & ſi friuolæ ſint illas reijcere. Ideò S. Cyprianus *lib.* 2. *epiſt.* 5. *alias* 33. cum quendam ordinaſſet, cuius vitam perſpectam aliunde habebat dixit. *In ordinandis Clericis, fratres chariſſimi, ſolemus vos antea conſulere, & mores, & merita ſingulorum cum conſilio ponderare, ſed expectanda non ſunt teſtimonia humana, cum præcedunt diuina ſuffragia.* Et idem docet *lib.* 4. *epiſt.* 2. *alias* 52. Vnde patet, quod etiam tempore Cypriani populi teſtimonium quandoque excluſum fuit. Dicitur igitur, quod quatenus per antiquos Canones approbata fuit Eccleſiarum conſuetudo, & ſtatutum fuit, vt nullus Eccleſijs inuitis præficeretur *cap. Nullus diſt.* 61. & quod electiones fierent coram populo, & clero, & quod populi, & Cleri haberetur conſenſus, *cap. Quanto, cap. Plebs, cap. Nocte, cap. Epiſcopus, cap. Litteras, cap. ſi in plebibus, cap. Cleri. cap. Vota. cap. Sacrorum diſt.* 69. Non fuit laicis conceſſum aliquod ius ſuffragij in electionibus, ſed conceſſum fuit ex lege poſitiua ius teſtimonij ferendi, & tale quale ius poſtulandi ad Epiſcopatus, quos plebes aptos iudicabant, & pariter tale quale ius conſentiendi, & diſſentiendi electionibus, et ideo opponendi electis, et recurrendi ad confirmatorem, aut etiam ſuperiorem maiorem, et officium eius implorandi, vt in electionibus non permitteret quidquam fieri, niſi vtilitate plebis ſpectata, & ſeruatis legibus diuina, & humana.

9. Quantum verò ad id, quod adducitur in argumento ex Theodoreto, & ex *epiſt.* 2. *Concil. Generalis ad Damaſum* Bellarm. *lib.* 1. *de Cleris c.* 7. admittit fuiſſe aliquando conſuetudinem, vt populus eligeret Epiſcopos ſimul cum Clero, & hoc idem admittunt, Azor. *par.* 2. *lib.* 4. *cap.* 5. *quæſt.* 2. *ex S. Ioanne Chryſoſtom. l.* 3. *de Sacerdot. &* Suar. contra Regem Angliæ *lib.* 3. *cap.* 29. *num.* 7. Vaſquez *tom.* 3. *in* 3. *par. D. Th. diſp.* 244. *cap.* 5. *num.* 53. Michael Rauſtell. *in Hiſtor. Iuriſd. Pontif. l.* 2. *cap.* 1. *num.* 20. cuius verba refert Diana *par.* 10. *tract.* 1. *reſol.* 3. Et nihilominus benè reſpondent Bellarmin. & alij citati ex eis locis nunquam colligi, quod hoc ſit de iure diuino, ſed quod fiebat, erat ex conceſſione, & permiſſione Eccleſiæ. Imò & aduertit Illiricum dolo malo mutaſſe verba Conc. Nicæni à Theodoreto relata. Quia cum decretũ illud Cõc. Nicæni non loquatur in principio de plebe, ſed de Epiſcopis, de quibus dicit eos habere poteſtatẽ eligendi, & omnia faciendi ſecundum Eccleſiæ ſanctionem, Illyricus ſic peruertit, & immutauit verba, vt videatur Concilium tribuere plebi omnem poteſtatem gubernandi Eccleſiam. Secundò in hoc eiuſdem decreti dicitur Epiſcopum debere eligi à populo, ſed confirmari electionem ab Epiſcopo Alexandrino, (nam de Epiſcopis Ægypti agitur) & propterea Concilium tribuit Epiſcopo præcipuam auctoritatem in electionibus. Sed Illyricus verba peruertit, vt videatur Epiſcopum non plus poſſe quàm populus. Videatur integer locus apud Theodoret. *l.* 1. *cap.* 9.

10. Sed Bonacina *de elect. Pontif. controu.* 2. *qu.* 1. *p.* 1. *nu.* 10. Andreas Dualius *de poteſt. Pontificis par.* 3. *q.* 6. Diana *vbi ſupra reſol.* 8. negant vnquam praxim fuiſſe, vt populus propriè eligeret, & haberet ius ſuffragij. Et iam etiam à tẽpore Symmachi Papæ, vt habetur *cap. Si quis Papa diſt.* 79. & pondero infra *quæſt.* . Soli Clerici Papam eligebant, & quod dicatur ad populum pertinuiſſe electionem, ſumptum eſt verbũ electio in latiori ſignificatione, quia coram populo fiebat electio, & populus dicebatur eligere, quatenus ad electionem habebat ius teſtimonij, & non diſſentiebat electioni, iuxta terminos *cap. Nullus diſt.* 61. *& cap. Cleri, & cap. Vota* 63. *diſt.* Imò ex hoc conciliantur canones, qui habentur eadem *diſtin.* 63. Quia vbi prohibent laicis intereſſe electioni loquuntur de electione propriè ſumpta, & ita vt laicis non competat ſuffragium in electione. Vbi verò requirunt electionem fieri à Clero, & populo loquuntur de electione in latiori ſignificatione, & ità quod cum proportione aliud laicis, aliud conueniat Clericis, ſcilicet Clericis eligere, Laicis ferre teſtimonium de eligendo, & electioni conſentire, vel diſſentire. Et hoc etiam quodammodo Laicis conuenit. Quia licet electio coram eis non fiat tamen facta ſtatim eis publicatur, & ius implorandi officium confirmatoris opponendo contra electum eis permittitur ſi aliquid habeat propter quod iuxta canones electio non ſit ſuſtinenda. Et modo etiam vt aduertit Bellarm. *d. l.* 1. *de Cler. cap.* 7. *tandem durat mos*, vt in conſecratione Epiſcoporum Eccleſia per Diaconum petat, vt ſi aliquis ſit, qui habeat aliquid con-

Digitized by Google

contra ordinandum id dicat; Et ſic ius teſtimonij ferendi, & opponendi promouendis etiam nunc competit laicis. Quamuis iure merito, quia Populi conceſſione Sedis Apoſtolicæ abutebantur, & electiones contentionibus, tumultibus, & ſæpè homicidijs fœdabantur, conſuetudo habendi electiones publicè coram laicis, fit ſublata, eo quod in iſtis populus ſit docendus, non ſequendus, *cap. Docendus diſt.62. & cap. Noſſe diſt.63.* & plebis eſt regi, non regere, & prōpta deuotione Paſtorem ſibi deſtinatum recipere, *cap. Nullus, cap. Non licet diſt.63.* Et quia modo, ablata etiam Cleri electione ferè, vbique ob rixas, & contentiones maximas, quæ electionum occaſione oriebantur, ſedes Apoſtolica immediatè confert Eccleſias Cathedrales, & virorum monaſteria, ſed non niſi præmiſſis diligentiſſimis informationibus, & cum maximo conſilio, & negotij diſcuſſione, non eſt neceſſarium aliud plebium teſtimonium expectare, aut populi conſenſum, ſeú approbationem attendere. Sed Pontifex ſeruato in hoc antiquiſſimo Eccleſiæ vſu quos vult in partem ſuæ ſollicitudinis aſſumit, quamuis etiam nunc aliqui Reges, aut Principes ius præſentandi, aut nominandi ad Eccleſias ex priuilegio Sedis Apoſtolicæ habeant, quod illis conſeruatur illæſum. Quod priuilegium conceſſum fuiſſe Regibus Galliæ, Hiſpaniæ, & Luſitaniæ pluribus citatis DD. refert Barboſ. *lib. 1. de iur. Eccl. c. 8. n. 74. & ſeqq.*

12. Quod verò in eodem primo argumento adducitur de conſuetudine 1300. annorum eſt apertum mendacium, cum tempore Apoſtolorum, & multis temporibus deinceps nihil potuerit populus in electione Epiſcoporum, & iam à Concil. Laodicen. & à Stephano Papa, & 7. & 8. Synodo fuerit Laicis interdictum, ne eligerent Epiſcopos, imò nec conſtat, quod vnquam etiã ex conceſſione Apoſtolica habuerint ius calculi in electionibus.

13. Quamuis verò hæc vera fuerint de electione Epiſcoporum, adhuc tamen, vt benè aduertit Grauina *loco citato*, non valeret conſequẽtia ab electione aliorum Patriarcharum, & Epiſcoporum, ad electionem Papæ, qui eſt Epiſcopus Epiſcoporum, & Patriarcha Patriarcharum. Nam, & quæ de electionibus Epiſcoporum ſtatuta ſunt à Sacris Canonibus non habent locum in electione Papæ, in qua ſpecialiſſima forma eſt ſeruanda pro ea ſtatuta. Et licet aliquando electio Papæ facta fuerit coram Laicis, nunquã tamen ipſi de iure diuino aliquod ius ſuffragij proprij habuerunt ad talem electionem. Sed de his in reſponſione ad ſequentia argumenta dicendum eſt.

14. Ad ſecundum dicitur, quod vt rectè ex Pamelio adnotauit Grauina non fuit in Eccleſia idem mos eligendi ſemper Summum Pontificem. Nam tempore immediato poſt mortem Petri tres ſucceſſores Linus, Cletus, & Clemens ſucceſſerunt ex quadam deſignatione eiuſdem Petri, non quod ille eos elegerit ſucceſſores ſuos ſed quia vt ſupradictum eſt illos ordinauit ſuos coadiutores, & ita illos pro tali officio approbauit, & dignos declarauit, quos Eccleſia ipſa eligeret poſt eius mortem, ſicuti electi fuerunt ſine dubio à Clero, & præcipuè ab illis Præsbyteris, & Diaconibus, quos Petrus ad officium Cardinalium aſſumpſerat, nimirum in Conſiliarios ſuos, & coadiutores adminiſtrationis Eccleſiæ, Anacletus verò, & ſucceſſores ab Epiſcopis ſi qui erant præſentes, & à Clero Romano, & populo teſtimonium reddente, & electioni conſentiente electi fuerunt, vſque ad electionem Damaſi Papæ, & Vrſicini antipapæ.

Nam antiquitus fuiſſe morem eligendi Papam, vt primo aliquod indicium Dei præcederet, vt quem Deus vellet eligi aliquo ſigno admoneret. Secundo coacto præsbyterio (hoc enim nomine tunc ſacra commitia dicebantur) rogaretur ſingulorum ſententia. Tertiò eorum vota, & teſtimonia explorarentur, qui plebis vicem repræſentarent. Et quod ad ſuffragium præſtandum admitterentur etiam Epiſcopi omnes, qui Romæ aderant tradit Ciacconus in vita S.Cornelij Papæ, & Cypriani *l.4. epiſt.2. alias epiſt.52. ad Antonianum*, qui præfato modo electum fuiſſe S.Cornelium refert. Et quidem, quod ad ſuffragium præſtandum in electione Cornelij admiſſi fuerint Epiſcopi aliqui Africani expreſsè Cyprianus refert dicens. *Et factus eſt Epiſcopus à pluribus Collegis noſtris, qui tunc in Vrbe Roma aderant.* Sed quod de indicio Dei dicitur, non legitur adfuiſſe, niſi rarò. In electione quidem Fabiani legimus Columbam è ſublimi volantem capiti eius inſediſſe, quo Dei indicio commotus Clerus illum elegit, ſed de nullo alio ex Pontificibus, qui Cornelium præceſſerunt hoc legitur. Et neque ſumitur e Cypriano *loc. cit.* quia licet dicat Cornelium factum Epiſcopum de Dei, & Chriſti eius iudicio, hoc intelligitur, quia Deus inſpirauerit eius electionem, nō quia aliquo indicio ſenſibili voluntatem ſuam diuinam demonſtrauerit, & electionem illam fuiſſe conformem diuinæ voluntati inde colligitur, quod facta fuit iuxta formam canonicam, & legitimam ipſo Cornelio non petente, ſed imò vim patiente, vt Epiſcopatum obtineret. Solum igitur habetur, quod mos antiquiſſimus eligendi Papam erat, vt eligeretur à Clericis adhibitis etiam ad ſuffragium Epiſcopis externis, qui Romæ aderant, & quod hæc electio fieret coram populo, & teſtimonium reddente de meritis electi, & conſentiente electioni. Vnde tum ex Pōtificum, & Eccleſiæ conceſſione populus hoc ius teſtimonij, ſeū poſtulationis, ſeū etiam conſenſus habebat ex iure poſitiuo non diuino.

15. Cœpit autem populus huiuſmodi electioni adeſſe ſuffragio ſibi proportionato ſcilicet teſtimoniali, hoc ſibi Eccleſia permittente ex multiplici ratione; primo vt teſtimonium daret de vita, & moribus eligendi, iuxta illud Tertull. *in Apolog. cap.39. Præſint* probati *quippè* ſeniores honorem iſtum non pretio, ſed teſtimonio adepti. Secundo, vt populi magis diligerẽt ſuos Epiſcopos, vndè eſt illud S. Leonis Papæ *epiſt.87. vel* 88. ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopum: *Expectarentur vota ciuium teſtimonia populorum honoratorum arbitrium electio Clericorum, quæ in ſacerdotum ſolent ordinationibus ab his, qui norunt Patrum regulas, cuſtodiri.* Apparet enim ex his, aliud munus, quod populis competebat, ſcili-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

ſcilicet poſtulare eligendum. Nam electio tribuitur Clericis, & populis vota, & deſideria aſcribuntur. Permittebatur verò populis petere eligendos, vt Epiſcopi magis à populis diligerétur. Propterea *cap. Si forte. 36. diſt. 63.* decernitur, vt nullus inuitis, & non petentibus ordinetur, ne Ciuitas Epiſcopum non optatum, aut contemnat, aut oderit. Tertia autem vtilitas aderat, vt ſcilicet hoc modo diuiſiones Clericorum, ſi quæ forent dirimerentur, & is eligeretur, qui maioribus ſtudijs, & meritis iuuaretur, vt habetur *d. cap. Si fortè.* Sic igitur antiquitus eligebatur Pontifex ab Epiſcopis, qui erant præſentes Romæ, & alijs Præsbiteris, & Diaconibus, qui Pótifici aſſiſtebant coadiutores. At verò totus Clerus conueniret, non eſt compertum.

16. Certè S. Leo Papa in epiſtola citata videtur, quod eodem modo loquatur de Clero, & populo. *Cum ergo*, inquit, *de Summi Sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus præponatur, quẽ Cleri plebiſq; conſenſus concorditer poſtulauerit.* Sed ibi S. Leo non loquitur de electione Papæ, ſed de electione Epiſcopi, & monet Epiſcopum Theſſalonicenſem ſuum Vicarium quid facere debeat. Nicolaus tamen Secundus in Concil. Lateranen. vt habetur *c. In nomine Domini diſt. 23.* meminit alterius decreti S. Leonis Papæ, quod habetur *in epiſ. 92. ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum*, & refertur *cap. Nulla ratio diſt. 62.* *Nulla*, inquit, *ratio ſinit, vt inter Epiſcopos habeantur, qui nec à Clericis ſunt electi, nec à plebibus expetiti, nec à comprouincialibus Epiſcopis cum Metropolitani iudicio conſecrati.* Ex quo decreto colligitur, quod non eodem modo plebs, & Clerici conueniebant ad electionem, ſed plebis erat petere, & rogare. Clericorum verò erat eligere, ità tamen, quod etiam Comprouinciales Epiſcopi conueniebant, ſed & ibi S. Leo loquitur de electione Epiſcoporum, & neque ex his haberi poteſt an omnes Clerici eligerent quicunque illi eſſent, etiam ſi ſolum Subdiaconi, vel Acolyti, vel Exorciſtæ; Ex Sancto tamen Cypriano *d. lib. 4. epiſ. 2.* habetur aliqua diſtinctio, & quod non omnis Clerus haberet ius ſuffragij. Nam de S. Cornelio, inquit: *Factus eſt autem Cornelius Epiſcopus de Dei, & Chriſti eius iudicio, de Clericorum penè omnium teſtimonium, de plebis, quæ tunc affuit ſuffragio, & de Sacerdotum antiquorum, & bonorũ virorum Collegio, &c.* Hic enim diſtinguuntur Cleri à Collegio antiquorum Sacerdotum, & bonorum virorum, & Clericis tribuitur ferre teſtimonium, quod etiam ad plebem pertinet. Nam nec alia ratio ſuffragij conuenit plebi, niſi ſuffragium teſtimoniale, niſi velimus dicere, quod ſuffragium idem eſt, quod votum, & deſiderium populi in electione Epiſcoporum voce expreſſum. Nam votum, & deſiderium populi in electione Epiſcoporum aderat ſed electio Papæ in rigore ſumpta ſpectabat ad Collegium antiquorum Sacerdotum, & bonorum virorum. Ex quo innuitur, quod etiam antiquiſſimis illis temporibus aderat Collegium aliquod Sacerdotum, & Clericorum prudentia, & ſanctitate præſtantiũ, qui boni viri dicti ſunt à Cypriano, ad quos pertinebat electio. Qui Sacerdotes, & Clerici dicti poſtea ſunt Clerici Cardinales, & ſunt illi de quibus facta eſt mentio per Nicolaum II. *cap. In nomine Domini, diſt. 23.* Quamobrem, neque tunc totus Clerus Pontificem eligebat, ſed hoc ſpectabat ad Collegium antiquorum Clericorum, qui alios dignitate ſuperabant.

17. Tempore Damaſi Papæ cœperunt Imperatores interponere ſuam auxiliarem auctoritatem, ſed fauendo, non obſtando, & interpellati in adiutorium per Eccleſiam, non ſe ingerendo ex aliqua ſuperioritate. Et ita Schiſma inter Damaſum, & Vrſicinum fuit à Valentiniano compoſitum anno 367. & poſtea inter Bonifacium primum, & Eulalium ab Honorio anno 420. & inter Symacum, & Laurentiũ à Theodorico Rege Italiæ, licet ſecta Ariano anno 499. vt tradunt Baronius, & Ciaconus, & Bzouius *in Pontif. Rom. cap. 2.* Prius quoque per Conſtantium Imperatorem Arianum Liberio Pontifice exilio deportato Fælix Romanæ Eccleſiæ Diaconus opera Accacij Epiſcopi Cæſarienſis Arianorum Principe, & Vrſacij eiuſdem ſectæ audaciſſimi electus, & ab hæreticis ſubrogatus fuit vt ijdem, & alij hiſtorici referunt.

18. Poſtea verò Theodoricus Arianus, & Italiæ Rex Pontificatum Romanum inuaſit, et quod nullus vnquam Principum Ethnicorum fecerat in ſeruitutem Eccleſiam Romanam redigere cogitans, Summi Antiſtitis electionem, & nominationem ſibi arrogauit, & vt refert Bzou. *in Pontif. cap. 2.* Fælicem nominauit anno 526. quem Clerus Romanus, iam grauiſſimè oppreſſus elegit. Theodorici exemplo Theodatus Siluerium per vim, & metum Clero obtruſit, cui Clerus ob euitandum Schiſma ſubſcripſit anno 536. vt referunt idem Bzou. et Ciacon. His Arianis principibus mortuis Iuſtinianus Imperator anno 555. Dominam gentium duxit in captiuitatem, et Reginam Prouinciarum fecit eſſe ſub tributo, (vt S. Greg. in 4. Pſalm. pœnitentialem deplorauit) duo contra libertatem decernens, nimirum, vt electus Romanus Pontifex non ordinaretur, ſeu conſecraretur niſi habito Imperatoris conſenſu, et certa pecuniæ quantitate ſoluta. (Quamuis interdum neglecto Imperatoris præcepto nonnulli Pontificatus Apicem adepti ſint. Nam de Pelagio ſecundo id aſſerit Paulus Diaconus *in vita Maurit. Imp.* Et ex Anaſtaſio Baronius *ad annum* 577. & Ciaconus in vita Pelagij. In hoc verò tempore antequam electus conſenſum Imperatoris obtineret, non quidem Pontificis, ſed collegarum nomine Eccleſia adminiſtrabatur, vt colligitur ex vna epiſtola, quam refert Beda. *Hiſtor. Angl. l. 2. cap. 19.* quæ ſic habet. *Dilectiſſimis, & Sanctiſſimis Thomiano, Columbano, Chromanoq; Hilarius Archipræsbyter, & ſeruans locum Sanctæ Sedis Apoſtolicæ*, et Io: Diaconus, *& in Dei nomine electus. Item* Io. Primicerius, *& ſeruans locum S. Sedis Apoſtolicæ, & Io: ſeruus Dei Conſiliarius eiuſdẽ Apoſtolicæ Sedis.* Scripta verò fuit hæc epiſtola à Ioanne IV. et Collegis. Sub hoc iugo vixit Eccleſia, vſque ad annum 681. in quo à Conſtantino Pagonato Imperatore Orientis liberata fuit à tributo, et anno 684. totaliter excuſſit iugum eodem Imperatore concedente, vt electus Romanus Pontifex ſtatim nullo alio Impera-

rato-

Digitized by Google

ratoris expectato conſenſu poſſe ordinari. Et ſic Eccleſia ſua libertate reaccepta elegit Pontificem antiquo more Clero eligente, et populo conſentiente, aut poſtulante. Et ſic electus fuit et ſine mora conſecratus Benedictus II. Pontifex ex Canonicis Regularibus prius ad Cardinalatum, poſtea ad Pontificatum aſſumptus anno Domini 684. vt referunt Bzouius *loco citato*, et Ciacon.

19. Sed iterum Eccleſiam ſe ſubieciſſe Principibus retulit Sigibertus hiſtoricus, ex quo Grat. *cap. Hadrianus* 22. 63. *diſt.* narrat Carolum Magnum poſt captum Deſiderium Regem Longobardorum Romam rediſſe, ibique Synodum ex 153. Epiſcopis conſtituiſſe cum Hadriano Papa in Patriarch. Lateranenſi in Eccleſia S. Saluatoris, & Hadrianum Papam cum vniuerſa Synodo tradidiſſe Carolo ius eligendi Pontificē & ordinandi Apoſtolicam Sedem. Huius vero conceſſionis Bullam Pariſijs inter præcipuos Regni theſauros aſſeruatam fuiſſe apud Barboſam *in d. cap.* Hadrianus *n. 3.* tradiderunt Gloſſ. in Pragm. *ſanct. tit. de annatis in ver. regalia* & Gulielm. Benedict. *in cap.* Raynutius *v. & vxorem n. 367. de teſtamen. in antiq. impreſſionib. & n. 61.* in noua impreſſione. Sed ex D. alij dicunt Carolum non acceptaſſe, Card. Alban. de Card. n. 11. Papon. *in 3. ſuo notario l. 3. tit. de iure regal. pap.* 189. alij quod Carolus renunciauerit, quod probabilius putat Barboſ. vbi ſupra *n. 7. & de iure eccleſ. l. 1. cap. 1. n. 54.* vbi etiam refert dictum Duar. de ſacris Eccleſ. miniſterijs *l. 3. cap. 11.* dicitantis hanc conceſſionem non fuiſſe priuilegium ex mera gratia, & liberalitate profectum, ſed hominis vltro bonam fidē agnoſcentis confeſſionem, quaſi ſcilicet Hadrianus nihil Carolo dediſſet, ſed hoc totum Carolo iure ſuo competiſſet. Quod dictum non ſola nota imprudentiæ, quo illud afficit Barboſa, ſed longe maiori cenſura eſt dignum. Sed quantum ad iſtam confeſſionem; cum nec Sigibertus Schiſmaticus ſit fide dignus, & ea Synodus 153. Epiſcoporum nunquam ab Hadriano celebrata fuerit, & Eginardus Comes, & ſcriptor vitæ Caroli nullibi quintæ huius profectionis Caroli Magni in Vrbem, aut eius iuris in electionem Pontificis mentionem fecerit, & Carolus, vt habetur *capitulorum lib. 1. c. 84.* apud Bzouium in Pontif. Rom. *cap. 2.* pag. 17. col. 2. *in fine*, lege lata electionem Epiſcoporum liberam eſſe decreuerit, & Hadriano vita functo in electione Leonis Tertij, Stephani Quinti, Paſchalis Primi, Eugenij Secundi, Valentini Primi, Sergij Secundi, nullus Imperatorū quicquam ſibi iuris præſumpſerit, merito falſa cenſetur, & ficta, & ad fauorem ſchiſmaticorum a Sigiberto inuenta, pro vt falſam, & fictitiā eſſe exiſtimauerunt. Baronius ad annum Domini 526. & 555. & 774. *a. n.* 10. & 964. *a. n.* 22. Azor. *p. 2. l. 4. c. 2. q. 3.* Gretſer. in Apolog. Barac. *cap. 1. & 2.* Suarez contra Regem Angliæ *l. 3. c. 29. n. 7.* Bzouius vbi ſupra *pag. 18. col.* 1. Bellarm. *l. 2. de ſumm. Pontif. c. 29. & l. 1. de Clericis. cap.* 9. Grauina *tom. 3. p. 2. lib. 4. contr. 4. dub 3. ad tertium pag.* 231. *col.* 1. Bonac. de elect. ſummi Pontif. *contr. 1. q. 1. p. 1. n. 9.* & apud Barboſ. *lib. 1. de iure Eccleſ. c. 1. n.* 54. Seraphin. de Freitas de iuſto imper. Luſitan. Aſiatico *c. 6. n. 100. & 101.* Solorzan. de iure Indiarum *l. 2. c. 24. n. 39. n.* 1. & idem Bell. in Apolog. pro reſponſione ſua *ad lib. Regis Angliæ cap. 6. tom. 7.* ſuorum operum.

20. Quamuis etiam ſi hoc factum verū fuiſſet ex eo nihil concludi poſſet contra concluſiones poſitas, quia hanc auctoritatem, ſeu poteſtatem eligendi *P*apam habuiſſet Carolus ex *P*ontificis priuilegio, non vero de iure naturæ, vel diuino. Et dato non conceſſo, quod tale priuilegium fuerit datum, non conſtat an fuerit perſonale, & tale fuiſſe ſentit Bonacina. Et cum tale priuilegium ſi vniuerſaliter ſumatur, vt non ſit perſonale, ſed reale, ſit manifeſte in deſtructionem Eccleſiæ, quoniam ſi ſecularis poteſtatis eſſet eligere *P*apam, adulatio, ſimonia, & malæ aulicorum artes in Eccleſia graſſarentur, & longe peior eſſet ſtatus Eccleſiæ, quam ſi *P*ontificatus eſſet hæreditarius, non potuit, nec poteſt *P*apa valide inſtituere, vt *P*ontifex à *P*rincipe aliquo ſeculari vniuerſaliter eligatur. Quoniam eius poteſtas non eſt in Eccleſiæ deſtructionem, quamuis pro aliqua vice, & occaſione, ſi cauſa iuſta adeſſet, poſſet hoc ſtatuere, vt docet Suarez contra Regem Angliæ *lib. 3. c. 29. n.* 7. Bonac. vbi ſupra, & apud eum Sopranus. Et alias, quatenus præfatum priuilegium adfuiſſet, ei renunciauit Ludouicus Primus Imperator eiuſdem Caroli filius, nam cum mortuo Stephano *P*apa Quinto *P*aſchalis libere electus, & conſecratus poſt conſecrationem miſiſſet Theodorum nomenclatorem legatum ad eundem Ludouicum cum Epiſtola Apologetica, & magnis muneribus non vt vult *P*latina, & ex eo molliuæus ſine aliquo fundamento, vt ſe excuſaret, ex eo quod *P*ontificatum ſine Imperatoris aſſenſu ſuſcepiſſet, & huius facti culpam in clerum, & populum reijceret, quod ab eis coactus *P*ontificatum ſuſcepiſſet, ſed vt eum de ſui aſſumpti ne certum faciens poſtularet cōfirmationem pacti, & amicitiæ, iuriumque Eccleſiæ, Imperator conuocato Concilio Aquiſgrani ſexto Idus Iulij anni 817. confirmauit, quæ *P*ater eius Eccleſiæ conceſſerat, & integrum diploma in manuſcriptis Bibliothecæ Vaticanæ repertum, & à ſe viſum, & quod detruncatum refert Gratianus *cap. Ego Ludouicus diſt.* 63. poſuit Baron. in Annalibus ad annum 817. quod etiam legitur in hiſtoria Bzouij ad eundem annum, & in quo decernit, vt libera ſit *P*ontificis electio. Et ſi bene inſpiciatur tenor dicti diplomatis non eſt renunciatio alicuius iuris prius habiti, ſed eſt rationabile ſtatutum, per quod Imperator prohibet ſuis tempore vacationis *P*ontificatus iura inuadendi, aut aliquid faciendi contra Eccleſiam, aut electionem ſummi *P*ontificis, ſed electio libera ſit, & canonicè electus libere conſecretur. Hoc igitur eſſet quidem pluſquam renunciatio iuris electionis, ſi aliquod Imperator habuiſſet. Sed Imperator non dicit ſe renunciare, alicui iuri, ſed quod iuſtum eſt ſuis miniſtris præcipit, quia non poterat Imperator renunciare iuri, quod non habebat. Quod verò petit mitti legatos à nouo *P*ontifice ad ſe, & ſucceſſores ſuos, non eſt lex, ſed exigentia eius, quod decet, & quod con-

ſuetum

Google

ſuetum fuerat fieri cum *Pipino* ano, & Carolo *Patre* illius, vt ipſemet Imperator fatetur. Cum vero, vt habent Cardinalis Baronius, & Bzouius ad annum 847. & in Pontif.Rom. *cap.2. pag.18. col.1.* ſiue populus Romanus metus cauſa Ludouico Secundo & Lothario male promiſiſſet, ſiue ipſi Imperatores peſſime vſurpare contenderent ne ſine eorum auctoritate conſecraretur Pontifex Leo Quartus poſt mortem Sergij electus, capitula Imperialia Imperatoribus opponens, fecit, vt illi conſentirent, ne electio aut conſecratio Sſmi Põtificis niſi ex præſcripto Canonũ fieret.

21. Hinc eſt etiam, quod merito in dubium vocatur decretum, quod ſub nomine Stephani *Papæ* minime citato loco, & tempore in quo illud factum, & vnde ſumptum fuerit refert Gratianus *cap. Quia ſancta diſt. 63.* & in quo decernitur electi *Papæ* conſecrationem fieri præſente populo, & Legatis Imperatoris. Nam nulla eſt ratio cur cum poſt Hadrianum Leo III & ipſe Stephanus fuerint pacifice ſine ſcitu Imperatoris electi, ipſe voluerit decernere in præiudicium libertatis Eccleſiæ vt *Pontificis* conſecratio fieret coram Imperatoris legato. Nec ratio, quæ in eo capite adducitur alicuius momenti eſt; quia cum poſt obtentam libertatem Eccleſiæ à iugo Imperatorum Græcorum *Pontificis* electio haberetur pacifice, vt ex electionibus Adriani, Leonis VI. & Anteceſſorum eius, & ſua cum magna concordia habitis eſt manifeſtum, non erat vnde Stephanus pro ſui decreti ratione aſſumeret, quod Eccleſiæ in Papæ electione pateretur violentias ex eo, quod ſine ſcitu Imperatoris celebraretur. Merito igitur de veritate talis decreti dubitat Baronius ad annum 816. *num.* 101. & ex eo Barboſa ad *d. caput quia ſancta.* Et anno ſeguenti Ludouicus Impetator contraria ſanxit *& electionem Papæ liberam eſſe decreuit. cap. Ego Ludouicus diſt. 63.* Sed quod nullo iure legati Imperatoris adeſſe deberent electioni vel conſecrationi *Pontificis* habetur ex *cap. cum Hadrianus eadem diſt. 63.* cum enim Hadrianus II. conſecratus fuiſſet non vocatis legatis Imperat. & ipſe de hoc conqueſti eſſent, & pro parte Cleri reſponſum illi fuiſſet idcirco id factum, ne ex eo legati Principum pretenderent ſe expectandos, legati quieuerunt, & depoſita indignatione ad ſalutandum electum acceſſerunt.

22. Quinquaginta annis libera manſit à Principum ſacrilega vi *Pontificis* electio, cum anno 897. cœperunt *Proceres* Romani, & Marchiones Tuſciæ rerum in Italia potentes Eccleſiam opprimere, & totis ſeptuaginta annis *Pontifices* Romanos pro arbitrij voluntate, aut intruſerunt, aut detruſerunt, quos nulla labe hæreſis maculatos, licet vtcumque eſſent vitæ reprehenſibilis Clerus Romanus potius ſuſtinuit eligere, quã Eccleſiã turpiſſimo ſchiſmate diſcindere.

23. His ſucceſſit Othonis *Primi* Imperatoris perſecutio. Nam cum Ioannem XII. Pontificem Maximum non quidem de hæreſi, ſed de alijs criminibus accuſatum vſurpato ſibi ſacrilege iudicio, & Synodo congregata, ad Tribunal vocaſſet, & eundem non venientem depoſuiſſet, electus fuit Pſeudo-Papa Leo anno 963. & ab hoc Leone obtinuit pro ſe, & ſucceſſoribus ſuis Italiæ Regibus facultatem eligendi Pontificem, & ordinandi Apoſtolicam ſedem, vt narrant Baronius ad annum 863. & 864. & Bzouius in ſua hiſtoria *lib. 10.* ad eoſdem annos, *& in Pontif. Rom. cap. 2. pag. 18. col. 1. & 2. in principio* Gretſer. *in defenſ.* Baron *tom. 2. lib. 2. de Sum. Pontif. cap. 9. ver. 6. argumentum,* Bellarm. *de ſcript. Eccleſiaſt. in Gratiano.* Quamobrem meritò à Baronio, & alijs reprehenditur Gratianus tanquam falſus, & impoſtor, quia *cap. in Synodo, 63. diſt.* retulerit hoc decretum tanquam decretum Leonis Papæ Octaui, cum ſi factum fuit, non emanauerit niſi à Leone Antipapa, qui fuit ille, qui vixit tempore Othonis Primi Imperatoris & fuit dictus Leo Octauus, qui tamen non verus *Papa* fuit, ſed Antipapa à Ioanne XII. vero Pontifice in Synodo Romana excommunicatus. Quamuis, vt aduertunt Grauina, & alij, etiam ſi huiuſmodi decreta eſſent vera, non obſtarent, quia vt dicebatur ſupra ex eis non habetur niſi; quod Imperatores, ex *Pontificis* priuilegio haberent ſuffragium in electione *Pontificis*. Et bene etiam ex Boet. Epo. *lib. 1. de Regalibus num.* 161. aduertit Barboſa *lib. 1. de iure Eccleſiæ cap. 1. num.* 54. quod per priuilegium ſupradictum, quod dicitur fuiſſe conceſſum Carolo Magno non tollebatur, quin Clerus Romanus eligeret Pontificem canonicè, ſed fiebat, vt hæc electio Caroli conſenſu approbatione, & confirmatione coadiuuaretur. Et idem dicendum eſſet de hoc alio priuilegio, quod fingitur à Leone VIII. conceſſum Othoni Imperatori. Nam vt monet Azor. *par. 2. lib. 4. cap. 2. quæſt. 3.* in præfatis priuilegijs quatenus extitiſſent ſermo erat de electione late ſumpta, & iſtis principibus conceſſum fuiſſet, vt electioni alias factæ à Clero conſenſum præbuiſſent. Quo etiam negato non per hoc electio fuiſſet irrita.

24. Cum autem Henricus II. Imperator vim electioni Pontificum intuliſſet, eamque ſibi arrogaſſet, eo ſublato ſub Henrico III. Stephanus X. à libera ſuffragatione ſucceſſit, ſed eo etiam breui ſublato anno 1058. Senis opera Hildebrandi electo Nicolao II. Henricus III. alias IV. adhuc paruulus electioni aſſenſit. Nicolaus autem anno 1059. ne amplius ſchiſmati viæ aperirentur, vt aduertit etiam Gloſſ. *cap. In Nomine Domini d. 23. ver. Adeo,* decretum edidit de electione Pontificis, & Henrico Regi Germaniæ dicitur conceſſiſſe poteſtatem alicuius deligendi, qui à Clero, populoque Romano poſtea eligeretur ſalua integra libertate Romanæ cathedræ. Et hoc eſt, quod inſinuatur in *c. In nomine Domini diſt. 21.* vbi Gloſſ. *v. perſonaliter*, bene aduertit hoc priuilegium fuiſſe perſonale. Sed longe melius Baronius ad annum Domini 1059. ex Cardinali Deuſdedit tunc temporis viuente probat, quod decretum illud Nicolai, quod habetur à Gratian. *diſt.* 23. fuit per hæreticos corruptum, & quod illa conceſſio facta ibi Henrico Imperatori eſt quid ſuppoſitum, & ab hæreticis adiectum. Verum Nicolao defuncto liberè opera Hildebrandi electus fuit Alexander II. & nullo Imperatoris requiſito conſenſu conſecratus adminiſtrationem ſuſcepit, & reprobato ab Eccleſia Cadaloo Parmenſi Pon-

ſi Pon-

ſi Pontificatum geſſit. Et ſic Alexander à Clero Romano, non ab Imperatore in ſummum Pontificum promotus vt aduertit Bzou. in *Pontif. Rom. cap.* 2. *pag.* 19. *col.* 1. Eccleſiam in priſtinam reuocauit libertatem. Et eo mortuo Hildebrandus electus fuit eadem libertate, & dictus Gregorius VII. Et licet acceſſerit cõſenſus Henrici III. poſt electionem, tamen alii Pontifices poſtea liberè electi, & conſecrati fuerunt, & Eccleſia priſtina libertate gauiſa eſt.

25. Huius oppoſitum ſcripſit Barboſ. *lib.* 1. *de Iure Eccleſiaſtico cap.* 1. *num.* 55. ſic dicens. Non deerat Imperatoris auctoritas, nam licet Nicolao II defuncto electus fuerit Alexander II. anno 1061. nulla accedente Henrici III. auctoritate, qui de hoc indignatus conuocauit Conuentum Baſileę & Cadaloum Parmenſem Epiſcopum renunciauit Pontificem, nihilominus tam Gregorius VII. qui ſubſecutus eſt Alexandrum II. quam Nicolaus II. noluerunt conſecrari abſque licentia, & aſſenſu dicti Imperatoris, & ſic electi fuerunt Gelaſius Secundus anno 1118. Cæleſtinus II. anno 1119. Honorius II. anno 1124. Eugenius III. anno 1145. & alij Romani Pontifices, qui eligendi mos perdurauit multis ſubſequentibus annis, vſque ad tempora Alexandri III. Hæc Barboſa, quæ certe hiſtoriæ non conueniunt. Nam vno excepto Gregorio Septimo, qui noluit conſecrari niſi adeſſet Henrici III. alias IV. conſenſus, quem tamen ipſe non petijt, ſed ad Imperatorem ſcripſit, vt conſenſum non præberet, alij omnes nullo expectato Imperatoris conſenſu poſt eorum electionem conſecrati ſunt. Gregorio enim ſucceſſit Victor III. anno 1086. Et Victori Vrbanus II. anno 1083. & Vrbano Paſchalis I. 1100. durante ſchiſmate Guiberti Archiepiſcopi Rauenatis ſub Gregorio VII. fauore Henrici Antipapa creato, & qui obijt poſt aſſumptionem Paſchalis eodem anno 1100. Tres igitur iſti Pontifices creati contra Antipapam ab Henrico protectum eiuſdem Henrici Imperatoris aſſenſum non petierunt, ſed electi nullo conſenſu expectato conſecrati ſunt. Tempore autem Paſchalis Henricus Imperator tres, vel quatuor Pſeudopapas Albertum, Theodoricum, Magninulphum, & Syluestrum obſtruxit, quo vltimo Syluestro ſtatim ac intruſus eſt expulſo, & *P*aſchali mortuo ſucceſſit Gelaſius II. legitimè electus, & confirmatus anno 1118. Sed ſtatim Henricus Bardinum ex Archiepiſcopo Bracarenſi Antipontificem oppoſuit, quem poſtea à Catholicis militibus captum, & ludibrio habitum Concilium Romanum anathematizauit, & in Campaniam ad perpetuum Carcerem deputari iuſſit. Poſt Gelaſium II. in Francia vbi mortuus fuit Gelaſius aſſumptus fuit Caliſtus II. qui licet noluerit conſecrari donec ſciret electionem ſuam ratam haberi à Cardinalibus, qui Romæ remanſerant, ſtatim tamen, ac nuncium recepit ſui electionem Romæ fuiſſe firmatam adminiſtrationẽ Papatus aſſumpſit. Mortuo Caliſto per vim intruſus fuit à Roberto Frangipane Lambertus Epiſcopus Hoſtiẽſis anno 1124. qui poſt ſeptem dies malè adeptum Pontificatum deponens vnanimi, & libero conſenſu iterum electus dictus fuit Honorius II. & Cardinales ei conſuetam obedientiam reddiderunt Honorio eodem die mortis ſuæ ſucceſsit Innocentius II. anno 1130. ordinatus à ſuis, & conſecratus, contra quem ſurrexit à paucis Cardinalibus intruſus Petrus Leonis dictus Anacletus II. ſed Innocentio vita functo anno 1141. electus, & conſecratus fuit Cæleſtinus II. poſt cuius obitum anno 1144. electus, & conſecratus fuit Lucius II. & eo defuncto an. ſequenti 1145. aſſumptus fuit Eugenius III. qui fugiens Romanorum perſecutionem nocte præcedente diem in quo conſacrandus erat ſequenti dominica in monaſterio Farfenſi conſecratus fuit. Anno verò 1153. electo & coronato Anaſtaſio IV. in eius locum anno ſequenti 1154. ſubrogatus eſt Hadrianus IV. Cui anno 1159. ſucceſsit Alexander III. & cum ab aliquibus Romanis Schiſmaticis partes Octauiani intruſi ſequentibus per aliquot dies fuiſſet veluti in carcere cuſtoditus, aliorum Romanorum auxilio liberatus coronatus, et conſecratus fuit. Ex Pontificibus igitur qui à Gregorio VII. ad Alexandrum III. promoti ſunt de nullo ſcribunt Baronius in Annalibus, vel Broccius in ſua hiſtoria, quod ante eorum conſecrationem alicuius conſenſum Imperatoris petierint. Quamuis de more Romanæ Sedis poſt conſecrationem literas ad Reges, & Principes de eorum electione dederint. Nec adfuit cauſa petendi hunc conſenſum, quia tempore Henrici III. Imperatoris dicti Quarti, cum ille fuiſſet Schiſmaticus, Victor Vrbanus, et *P*aſchalis tunc electi conſenſum hunc ab Henrico inimico, et Schiſmatico petere non debuerunt, nec potuerunt. Eo vero mortuo anno *P*aſchalis VII. et Domini 1106. cum priuilegium, quod dicitur Henrico conceſſum et habetur à Gratiano *cap. In nomine Domini diſt.* 23. fuerit perſonale, vt notat ibi Gloſſ. ex nullo iure alij *P*ontifices eundem conſenſum petere debuerunt; et ſic Gregorius VII. vltimus fuit ex *P*ontificibus qui ante conſenſum Imperatoris non fuerit conſecratus.

26. Ex his igitur apparet, quod conſenſus, & præſentia Populi Romani antiquitus legitimè aderat in electione Pontificis, ſed non tanquam neceſſarius de iure diuino, ſed ex Eccleſiæ conceſſione, & tollerantia. Qua conceſsione cum abuteretur, meritò fuit priuatus, quamuis nunc quoque electio Papæ ſtatim ac eſt peracta populo publicetur. Imperatores verò, Reges, Principes potẽtes duo ſibi vſurparunt, ſcilicet nominationem eligendi vim inferentes electionĩ, ſicuti fecerunt Conſtantius Imperator, Reges Gothi, Henricus Secundus Imperator, Romani Proceres, Marchiones Tuſciæ, & alij. Sed hæc fuit violentia manifeſta Eccleſiæ illata contra omnem iuſtitiam. Alij verò vſurpauerunt conſenſum poſt electionem, vt ſcilicet non conſacraretur Pontifex, niſi habito conſenſu Imperatoris, vt inſtituit Iuſtinianus, & aliqui Imperatores Germani voluerunt, ſed & hoc fuit violentia. Nullus tamen fuit ex legitimis Pontificibus Romanis, qui nõ fuerit à Cardinalibus electus conſentiente populo Romano, cum praxis erat, vt coram eo fieret electio. Quod verò Card. Tuſcus *L.E. concluſ.* 57.

num 1. & Franc. *marc. dec.* 934. dixerit, quod Pontifex à principio eligebatur ab Imperatoribus poſtea verò diuerſis modis facta eſt mutatio ex edicto Bonifacij Secundi, qui ſtatuit Pontificem ſucceſſorem ſibi eligere non poſſe, & Pontificem poſt triduum eligi debere poſt mortem alterius. Succeſsiuè electio facta fuit à Clero, & alijs ordinatis in Vrbe, vſque ad tempus Syluestri, *&* *nu.* 12. ex Rebuff. *in rub. de electione*, quod tertium tempus electionis Papę fuit in quo Principes eligebant, ſed renunciauerũt. Hæc inquam, nec hiſtoriæ, nec veritati conueniunt, ſi propriè loquamur. Nunquam enim Principes elegerunt Pontificem, licet aliqui ius nominandi Pontificem electoribus, & alij ius conſentiendi electioni ſibi vſurpauerint. Et multo alienum a vero eſt, quod ab initio Principes elegerint, cum ex Idolatris Principibus per 300. annos primos Eccleſiæ nullus ſe electioni *Papæ* immiſcuerit, & primus Conſtantius Arianus vi intulerit Felicem contra Liberium Papam de anno 355. faciendo, vt ille Felix eligeretur. Sed ſemper a Clero fuit Pontifex Romanus electus, & antiquitus Clericis Cardinalibus coram populo eligentibus etiam idem populus ſuffragium teſtimoniale dabat, & conſenſum, & ſepè etiam poſtulabat eligendum cum tamen non per hoc cogerentur Clerici poſtulatum eligere, ſed in eorum libertate erat poſita electio, niſi quando aliquando vim paſſi conſenſerunt ad ſchiſmata vitanda. Quæ verò de conceſſionibus factis Imperatoribus referuntur, & approbat idem Card. Tuſcus, iam patet, quod præfatæ conceſsiones vel fictæ ſunt, & ſuppoſitę ab hæreticis, vel ab Antipapa Leone promanarunt, & quatenus veræ eſſent ex ijs non habetur niſi quod laici ex Pontificia conceſſione poſſunt eligere Pontificem, quod non negatur.

27. Ex his ad 2. 3. & 4. argumentum patet abundè reſponſio. Populus enim nunquam habuit ius ſuffragij in electione Summi Pontificis, ſed benè habuit ius teſtimonij, & conceſſum ſibi fuit poſtulare eligendum. At verò electio Summi Pontificis ſemper fuit propria ipſius Cleri, & propter abuſum Populi ſibi vſurpantis, quod de iure non habebat, tandem fuit introductum, vt electio Pontificis ſeparatim à Populo, nec eius expectato conſenſu, aut teſtimonio, aut petitione à Cardinalibus fieret. Quando autem hoc introductum fuerit; non plenè conſtat, vt inquit Azor. *p.2.l.4. c.* 29. Certè hoc fuit poſt tempora Nicolai Secũdi. Cum Nicolaus, vt habetur *d.cap In nomine Domini* confirmet ſtatutum S. Leonis *Papæ* decernentis non eſſe recipiendum, qui non fuerit à Plebe expetitus, & à Clericis electus. Sed cum poſtea Alexander III. in Concil. Lateran. ſtatuerit electum a duabus partibus Cardinaliũ debere recipi nullà obſtante exceptione dicendum eſt iam antea plebem fuiſſe excluſam ab electione *Papæ*. Quamuis ſi non erat excluſa prius ex vi huius decreti excluſa fuit, & merito. Neque enim Cardinales indigent informari à populo de meritis eligendorum. Et alias populi, vel præſentia, vel conſenſus, vel poſtulatio nunquam fuit per ſe neceſſaria. Et cum populus priuilegio ſibi conceſſo tot, ac tot viribus, vt narrant hiſtoriæ, & ſchiſmata Eccleſiæ probant, abuſus fuerit, merito ſtatutum eſt, vt electio à ſolis Cardinalibus fieret abſque populi præſentia. Imperatores verò, & *Principes*, qui voluerunt vel nominare eligendum, vel electioni præbere conſenſum, aut hoc ſacrilegè fecerunt, vt maximè patet de Conſtantio Imperatore Ariano, qui in Cathedram *Petri* irrupit intonizando Fælicem Stephanus verò *Papa* verè ſine aſſenſu Imperatoris fuit electus, & benè fuit electus, & vt aduertit Grauina falſum eſt, quod Aimonus aſſeuerit eum cõtra legẽ feciſſe & non expectato Imperatoris iuſſu in ſede ſediſſe. Vel ſi aliqui Imperatores, aut Principes legitimè aliquo modo elegerunt *Pontificem*, id factum fuit ex priuilegio Eccleſiæ, non ex iure, quod haberent ratione principatus ſæcularis.

28. Quod verò in quinto argumento aſſumitur ex hiſtorijs falſum omninò conuincitur. Imperatorum enim potentia multo plura Schiſmata excitata ſunt, quam extincta. Nam Conſtantius Liberium ſubſtituto Fælice expulit, Belliſarius Siluerium intruſo Vigilio in exilium miſit. Legati Imperatoris inthronizarunt Anaſtaſium aduerſus Benedictum III. Otho Ioannem XII. expunxit, ſubrogato Leone, & Benedicto V. legitimo Pontifice in Saxoniam exportato Eccleſia Romana iudicata eſt. Ex Principum Tuſculanorum, & Othonis potentia quot Pontifices fuerunt intruſi? Henricus Imperator trium Schiſmatum auctor aduerſus Alexandrum II. Cadaloum Parmenſem, aduerſus Gregorium VII. Guitbertum, & eo mortuo aduerſus eundem Gregorium III. Pſeudo Pontifices ſubrogauit. Henricus Quartus nuntium Bracharenſem Gelaſio II. oppoſuit. Et notiſſima ſunt, quæ Federicus aduerſus Alexandrum, & Bauarus contra Io. XII. ſchiſmata excitarunt, vt bene dixerit Grauina politicam Spalatenſis rationem ſchiſmatibus potius fauere. Et certè quot Pontifices legitimi contra Principes pugnaſſent pro Eccleſiaſtica libertate, tot fuiſſent à ſede excluſi, & alij intruſi, ſi Principum eſſet Pontifices inſtituere, & deſtituere.

29. Ad ſextum optimè reſpondet Grauina, quod non ad ſupplantandam Imperatorum maieſtatem, ſed vt eſſet ſecurior, & breuior via ad pacificam, & quietam electionem ſtatutum fuit, vt Cardinales eligant *Papam*, & tam Marnæus, quam alij doceant, ſi poſſunt ex qua lege *Principes* habent, vt in electione *Pontificum* expectetur eorum conſenſus, vel auctoritas; merito vero hæc electio commiſſa eſt Cardinalibus, qui teſte P. Damiano *lib.* 1. *Epiſt.* 20. ſunt oculi, & lucernæ Eccleſiæ, & cum 25. ſchiſmata enumeret Onuphrius tria tantumodo orta ſunt vbi à ſolis Cardinalibus tractari electio cæpta eſt. Et per Dei gratiam ab anno 1439. in quo per Conciliabulum Baſileenſe intruſus fuit Amadeus contra legitimum Pontificem Eugenium Quartum, & qui poſteà poſt nouem annos ſe Pontificatu abdicauit vt habet Bzouius *in Pontif. cap.* 2. Eccleſia in ſui vnitate lætata eſt. Nec eſt difficile Cardinales legitimos cognoſcere, quia cognitis legitimis *Pontificibus*, ſunt manifeſtè legitimi Cardinales.

30. Ad ſeptimam optimè quoque reſpondet Gra-

Gramiſſa, non alios meliores Theologos habere poſſe Spalatenſem; quam prædicantes Geneuenſes, & Anglicanos, & pluris æſtimandum eſſe vnum fratrem Prædicatorem, & Cardinalem Caietanum, quam myriades mille Geneuenſiũ, Anglicanorum, & Spalatenſium Prædicantium. Nec ſtulti ſunt Papæ Caietani ſententiam ſequentes, quæ non tantum Caietani, ſed, & totius Eccleſiæ eſt, quia Caiet. non facit Pontificẽ Dominum diſpoſitiuum, ſed Regale, & Monarchũ cũ longe ſuperius principatu, ac ſeculari dominio. Vnde non habent Principes, vt in eius electione ius vel minimum prætendant, ſed Pontificis eſt habere pleniſſimam Eccleſiæ poteſtatem, ideoque & auctoritatem præſcribendi formam ſeruandam in electione Pontificia.

An de iure diuino electio Papæ pertineat ad Epiſcopos, ſeu ad Concilium Generale.

QVÆSTIO VI.

1. QVæritur 6. An de iure diuino electio *Papę* pertineat ad Epiſcopos, ſeu ad Concilium Generale? Cum enim *Papæ* electio hominibus ſit commiſſa, & non competat Laicis de iure diuino, dicendum eſt, quod de eodem iure diuino competat potius clero. Hoc autem ſtante intrat difficultas an hæc electio de iure diuino competat determinate vel omnibus de Clero, vel potius aliquibus, & præcipuè an conueniat Concilio generali, vel potius ſoli Clero Romano, & an toti Clero Romano, vel potius ſolum aliquibus de Clero, & quinam iſti ſint. Turrec. *cap. in Nomine Domini diſt.* 23. *art.* 2. ex Petro de Palude arbitratur, quod ius eligendi ſummum Pontificem competat toti Eccleſiæ, & quod ex Concilio repreſentante totam Eccleſiam promanauerit ad Cardinales. Quia nimirum & propter Cardinalium principalitatem, & vt electio Pontificis citius, & ſecurius fiat, nec ſit neceſſe mortuo Pontifice totam Eccleſiam congregare, quod non niſi per maximum tempus fieri poſſet, vnde electio tanto periculoſior eſſet, quanto diuturnior, Eccleſia, quam repræſentat Concilium generale tranſtulit facultatem eligendi Cardinalibus, ſicut ius eligendi Imperatorem de conſenſu populi fuit translatum in Senatores. In ſimili ſenſu Card. Iacobat. *lib.* 7. *de Concil. art.* 1. *pag.* 456. *col.* 2. tenet, quod eligere Papam ſit proprium vniuerſalis Eccleſiæ, vt patet Oſeæ primo Congregabuntur filij Iuda, & filij Iſrael, & ponent ſibi caput vnũ. In quorum locum propter difficultatem congregandi vniuerſalem Eccleſiam ſucceſſerunt Cardinales. Ex quo infertur, quod Papa licet poſſit mutare formam eligendi circa accidentalia, non tamen circa ſubſtantialia, vnde non poteſt à Cardinalibus tollere ius eligendi Papam, quia hoc ius eſt illis conceſſum ab vniuerſali Eccleſia, vt nomine Eccleſiæ vniuerſalis Papam eligant.

2. Hæc autem ſententia probatur primò, quia facultas eligendi Pontificem data eſt Eccleſiæ primo, & immediatè à Chriſto. Nam & Papatus pro Eccleſiæ bono inſtitutus eſt beneficium ſummum à Chriſto Eccleſiæ collatum, vt Eccleſia haberet ſemper in terris viſibilem paſtorem, qui fideles veluti oues nomine Chriſti paſceret, igitur toti Eccleſię de iure diuino competit Papam eligere, igitur hoc competit Concilio repræſentanti totam Eccleſiam. Cum enim tota Eccleſia non poſſit vniri, niſi per Deputatos Eccleſiam totam repreſentantes, qui ſunt Epiſcopi congregati in Concilio in idem redit, quod poteſtas eligendi Papam de iure diuino ſit in tota Eccleſia, & dicere, quod ſit in Concilio totam Eccleſiam repræſentante. Quod confirmatur *ex cap. ſi duo, & cap. ſi pecunia, & cap. ſi tranſitus diſt.* 79. *Item* 2. *hoc probatur ex cap. Sacroſancta diſt.* 22. vbi habetur, quod Apoſtoli elegerunt ſibi Petrum in caput, & Pontificem ſummum, & hanc formam eligendi ſuis ſucceſſoribus tradiderunt. Cum verò Epiſcopi ſucceſſerunt Apoſtolis *cap. Eccleſiæ* 35. *diſt. &* 12 *q.* 1. *cap. videntes, & cap. legimus* 3. *diſt, & cap. in nouo diſt.* 22. ſequitur, quod ipſo Apoſtolorum facto docente, electio Papæ ad Concilium Epiſcoporum pertineat. Item tertio neceſſe eſt, vt de iure diuino dicamus eſſe conſtitutum, vt hæc facultas eligendi Pontificem perpetua, & perſeuerans conſtituatur in aliquo perpetuo duraturo, & quod non poſſit deficere, & ad quod iure diuino deuoluatur electio ſi contingat illos deficere ad quos ordinarie ſpectat *Papæ* electio, aliter contingeret Eccleſiam carere omnino Pontifice, ſi deficiant omnes Cardinales, quibus hæc electio competit, & qui omnes deficere poſſunt, cum non ſit magnum, quod 70. homines, vel peſtilentia vel hoſtium incurſione pereãt; debet igitur dari in Eccleſia aliqua congregatio, cui de iure diuino competat eligere *Pontificem*, hæc verò alia eſſe non poteſt, niſi Congregatio Epiſcoporum quæ totam Eccleſiam repræſentat, neque enim dici poteſt, quod tunc deficientibus omnibus Cardinalibus electio deuolueretur ad *Patriarchas*, vt per Bald. *in lib. vbi abſunt ff. de tutor. & curat. quem refert Turrecr. cap. In nomine Domini a.* 2. *ad vltimũ* Lancell. Conrad. *in templo omnium Iudicum lib.* 2 *cap.* 1. §. 2. *num.* 6. Nam iſti nec Eccleſiam vniuerſalem, nec Eccleſiam Romanam repræſentant, vnde non eſt vnde illis potius, quam alijs conueniat Pontificis electio. Et neque dici poteſt, quod in tali caſu ius eligendi ſpectaret ad Clerum Romanum, quod tanquam tutius iudicauit Hoſtien. *cap. licet de electione quem ſequuti fuerunt* Panorm. *ibi n. final. & Turrecr. cap. In nomine Domini diſt.* 23. *art.* 2. *ad vltim. & tenuerunt Aret. cap. ad petitionem de accuſat. Et Villagred. tract. de Card. queſt.* 5. Syluef. Aldobrand. in Scolijs ad Philip. *Decianum, in cap. licet de elect. Lauor. tit.* 4. *cap.* 6. *num.* 27. *&* Bellarm. *lib.* 1. *de Clericis cap.* 10. hoc addens hanc electionem ſimul cum Clero Romano in eo caſu conuenire etiam Epiſcopis circumuicinis, à quibus translatum eſt hoc ius ad Cardinales. Nam ratio huius opinionis non eſt valida. Quoniam Pontifex non eſt ſolum Epiſcopus Romæ, ſed vniuerſalis Eccleſiæ, ideo ex quo electio Epiſcoporum conueniat de iure proprio Clero, ſequitur quod Papa, non à Clero

Romano, ſed à Clero vniuerſalis Eccleſiæ ſit eligendus.

3. Quamuis hæc ratio neutrum probet de iure diuino, quia non eſt de iure diuino, quod Clerus, ſeù Capitulum Eccleſiæ Cathedralis eligat Epiſcopum, & neque eſt verum, quod electio Pontificis ſit tranſlata ab Epiſcopis vicinis, & Clero Romano ad Cardinales. Nam imò Cardinales ab initio naſcentis Eccleſiæ ſemper Papam elegerunt. Et per ſubſequentes conſtitutiones Pontificum non eſt datum Cardinalibus hoc ius, ſed eſt ablatum ab alijs, & illis ſolis reſeruatum. Et ideò illis omnibus mortuis electio Pontificis pertineret ad Generale Conciliũ, quia hæc electio eſt, quid per ſe principaliter ſpectans ad totam Eccleſiam, quam Concilium repræſentat. Et hanc opinionem iuſtiorem dixerunt Hoſtien. & Panorm. & Turrecrem. ſupra citati, & ſic tenuerunt D. Anton. *p.3.tit.21.c.2.* §.6. Auguſt. de Ancon. *in ſum. q.3.ar.3.* Victoria Relect. *de poteſt. Eccleſ. qu. 2. nu.* 21. Suarez *diſput.* 10. *de fide ſec. 4. num.* 17. & probabile putat Azur. *par.2. l.4.c.2.* & ex Angel. aduertit Sylu. *v. electio 2. num.* 1. quod in eo caſu ad vitandum Schiſma tutum eſſet congregare Concilium. Cum igitur hæc iuris eligendi deuolutio ad Concilium non ſit ex iure poſitiuo nullibi enim hoc legitur, ſequitur, quod ſit de iure diuino, ex quo Concilium habet; vt Papam eligere valeat.

4. Amplius quarto, qui poteſt Papam deponere, multo magis poteſt Papam eligere, quia magis eſt Papam deponere, quam eligere, Vndè Cardinales, qui poſſunt eligere Papam non poſſunt eum deponere. At verò Conciliũ Papam manifeſtè hæreticum poteſt deponere, vt per ſe certum eſt, & patet ex Caiet. *tom. 1. opuſ. tract. 1. art. cap.* 20. Sequitur igitur, quod Concilium ex diuino iure poſſit Papam eligere, quia quod eſt principium eſſendi eſt etiam corrumpendi, *cap. Omnis de reg. iuris in 6.* & res per quas cauſas naſcitur per eas diſſoluitur, *c. Omnis 27. qu. 2.* Quòd ex eo magis comprobatur, quod multorum ſententia eſt, quod vbi Papa deponitur, vel in Concilio eius renunciatione admiſſa non Papa declaratur, electio pertineat non ad Cardinales, ſed ad Concilium, vt probat Panorm. *cap. licet n.8. de elect.* vbi refert, quod in Concil. Conſtant. ad tollendam difficultatem Concilium tranſtulit facultatem eligendi in Cardinales, qui propterea elegerunt nomine proprio, & nomine Concilij, Barbat. *in c. Quod translationem de off. leg. nu.* 32. & in Clement. *ne Romani,* §. *Sane de electione, & conſ.* 82. *num.* 10. *vol.4.* Gerſon. *tract. de poteſt. Eccleſ. conſid.* 11.

5. Præterea quinto Concilium Generale eſt ſuperius ad Collegium quodlibet, & etiam ad Collegium Cardinalium, & ita quod in dubio ad ipſum pertinet iudicare inter contendentes, quis ſit verus Papa, & an Cardinales ſint legitimi, & an electio Papæ facta à Cardinalibus ſit dubia, quia Concilium Generale habet poteſtatem ſuper totam Eccleſiam, & deficiente Pontifice ipſum eſt Supremum Tribunal Eccleſiæ, multo magis igitur videtur, quod poſſit Papam eligere, cum habeat poteſtatem maiorem, quam Cardinales, & quodlibet aliud Collegium.

6. E contrario autem cum Cardinalatus ſit de iure diuino in Eccleſia, quod etiam eligere Papam de iure diuino conueniat Cardinalibus, tradiderunt Barbat. *de Cardin. q.* . Alban. *de Card. q.* . Anaſtaſ. Germ. *de Sacrorum immun. l.3. cap.6.* apud Bonacinam *q.1. p.7.* §. 3. *nu.* 1.

7. His nihilominus minimè obſtantibus dicitur, quod poteſtas eligendi Papam per ſe, & ſimpliciter loquendo nulli determinatè competit de iure diuino, ſed iis ſolis competit, quibus à Pontifice hæc talis poteſtas conceditur, vnde nec Romano Clero, nec Cardinalibus, nec Concilio Generali competit determinatè poſſe eligere Papam, ſed hæc poteſtas eſt in ſolo Summo Pontifice eminenter, & tanquam in regulante, & dirigente, vt in facto illi eligant, quos Pontifex conſtituerit electores. Vndè non ab vniuerſali Eccleſia tranſiuit ius eligendi ad Cardinales, nec Cardinales in hoc ſucceſſerunt in locum Eccleſiæ vniuerſalis, ſed eligunt, quia Pontifex Summus eos fecit electores, eo quod hic modus eligendi ſit conuenientior, & quia illi ſoli eligũt, quos electores facit Pontifex. Ita Caiet. *tom. 1. opuſ. tract. 1. cap.* 13. & *tract. 2. par. 2. cap.* 22. Suar. *diſp. 10. de fide ſec. 4. n. 11. & ſeq.*

8. Et quidem quod Concilium, ſeu Eccleſia vniuerſalis non habeat determinatè à Chriſto ius eligendi Pontificem per ſe, & ſimpliciter, & vniuerſaliter ex eo probatur primo, quod non eſt, vndè hoc ex ſcriptura, vel traditione Eccleſiæ, vel determinatione Conciliorum, vel Patrũ teſtimonio habeatur. Sed è contra, & ex ſcriptura, & ex vſu habemus, quod facultas præſcribendi formam electionis Pontificiæ, etiam determinando electores, & aliquos includendo, aliosque omnes excludendo ab hac electione eſt munus Summi Pontificis, qui vt benè aduertunt D. Anton. *p.3. tit. 21.* §. 10. Sylu. *v. electio 3.* Caiet. & Suarez *loco citato,* & contra Regem Angliæ *l.3. cap. 19. num.* 13. Panorm. *in cap. Licet n.1. de elect.* Franc. *in cap. Vbi periculum num. 4. de elect. in 6.* Azor. *p.2. l.4. cap. 5. q.2.* Paris *de reſignat. l.1. q.1. num.* 13. Lauor. *tom. 1. tit. 4. cap. 3. n.* 13. Barboſ. *ad cap. In nomine Dom. liſt. 23. n.5. & ad c. Licet de ele. n.* 11. Caſtell. *de elect. c.10. n.2.* Scort. Theor. 135.

9. Nam, quod Papa poſſit ſtatuere ſuper electione ſucceſſoris, videtur indubitata concluſio, quia S. Petrus, vel ſolus, vel cum alijs Apoſtolis potuit conſtituere formam, & rationem, qua poſt obitum ſuum eligeretur ei ſucceſſor, cum haberet plenitudinem poteſtatis, & adminiſtrationis ad ferendas leges conuenientes Eccleſiæ. Sed hæc lex, ſcilicet de forma electionis Summi Pontificis erat etiam neceſſaria ad gubernium Eccleſiæ, ergo potuit eam condere. Ita Victor. *Relect. 2. propoſ. 9. num.* 22. & ſubdit aliud argumentum, quia ſicuti tota Eccleſia poſſet hanc legem facere, imò facta eſt in Concilijs, ità S. Petrus, quia alias non habuiſſet ſummam poteſtatem. Et quæ dicta ſunt de Petro de ſucceſſoribus ſuis dici debent, quia auctoritas data S. Petro in ſucceſſoribus perſeuerauit, & duratura eſt in finem ſæculi Cordub. *in quæſt. Theolog. lib. 4. q. 1. in primo articulo, verſ. Secundum autem, fol. mihi* 236. & in puncto formæ dandæ

circa

circa electionem dicit Victor. *loco prædicto, propoſ. 11. & 12. num.* 24. & in ſubſtantia ponderat Abb. *in cap. Licet num. 2. de elect.* vbi etiam Anchar. *n.* 1. Io: de Anan. *n.* 2. Butr. *n.* 5. Dec. *n.* 1. & 3. Imol. *n.* 1. Bellam. *num.* 22. *in fine, ver. Quia licet.* Franc. *in cap. Vbi periculum num. 4. de elect. in 6.* Gard. *in Clem. Ne Romani n. 5. eod. tit.* Caiet. *opuſ. 1. de poteſt. Papæ, & conc. p. 1. cap. 13. poſt princip.* Laycell. Conradus *in Templ. omn. Iud. lib. 2. c. 1. de Pontif. Max. q. 2. nu. 6.* Anton. Roſell. *de poteſt. Papæ, & Imperat. §. poſtquam col. mihi 4. fol. 25. at.* vbi plura affert exempla circa mutationem factam per Summos Pontifices, licet priora ſtatuta eſſent conciliaria. Vndè circa hoc non inſiſto; hæreticum enim eſſet de hoc dubitare. Et quod Papa poſſit ſtatuere ſuper electione ſucceſſoris abſque conſenſu Cardinalium eſt etiam indubitatum, quia eorum conſenſus in noua forma danda ſuper electione Pontificis non requiritur niſi de honeſtate, vt dicit B. Ioannes de Capiſtrano *in tract. de author. Papæ, & Concil. p. 2. primæ partis, in tit. de elect. Papæ col. 4. verſ. Et quod fiat talis conſtitutio fol. mihi* 10. *at.* Anton. de Roſell. *loc. ſupra alleg. verſ. Et hoc videtur indubitatum,* vbi quod hanc mutationem Papa poteſt facere abſque conſenſu Cardinalium per text. *in cap. Si quis 6. q. 1.* cum alijs penè innumeris, quæ poſſent allegari. quia Papa eſt ſupra omnia Concilia, & ſicuti ſolus poteſt tollere ſtatuta Concilij, vt notat Gloſſ. *in cap. Vbi periculum in v. Concilio de elect. in 6.* ità etiam poteſt ſtatuere ſuper dicta electione abſque conſenſu Cardinalium, vt latè Paleot. *de ſac. Conſiſtor. conſult. a. 2.* cum pluribus ſeqq. & conſenſus Cardinalium, & ſubſcriptio bullæ operatur ſolum, vt quodammodo ius magis firmum dicatur Butr. plures allegans *conſ. 147. n. 9. & ſeqq. lib. 3.* Eſt enim indubitatum, quod Papa ſolus poteſt totum, quod ipſe ſimul cum Eccleſia poteſt. Nec maior poteſtas ordinis, & iuriſdictionis eſt in tota Eccleſia ſimul cum Papa, quã in ipſo ſolo Papa, qui eſt ſupremũ caput abſolutè totius Eccleſiæ, itaut nullum alium præter Deum habeat Superiorem in terra, neque cum creatur ab Eccleſia, ſed à ſolo Deo ſuam habet poteſtatem, quæ miniſterialiter ab ipſo Papa fluit in Eccleſiam, *cap. Ita Dominus diſt.* 19. vbi dicitur. Huius muneris Sacramentum, ità Dominus ad omnium Apoſtolorum officium voluit pertinere, vt in Beatiſſimo Petro omnium Apoſtolorum ſummo principaliter collocaret, vt ab ipſo quaſi quodam capite dona ſua, velut in corpus omne diffunderet, *cap. in nouo, & cap. Quamuis diſt. 21. & cap. Sacroſanctæ, & cap. Omnes, diſt. 22. & cap. Si Papa diſt.* 40. & latè proſequitur Caiet. *opuſ. tract. 1. &* 2. Victor. *de relict.* & Cordub. *in ſuis quæſt. Theol. lib. 4. q. 4. poſt princ. verſ. in ſecundo ſenſu,* & infrà latiùs in ſecunda ratione *ver. Secundo probatur fol. mihi 274. & fol.* 278.

10. Et additur etiam vrgens ratio, quia ad eam ſpectat dirigere Eccleſiam in omni ſuo iure, cui Deus tradidit vniuerſaliſſimam Eccleſiæ adminiſtrationem, hic verò eſt Pontifex Summus. Eius igitur eſt decernere, & determinare, quæ ad ſecuritatem, & optimam Pontificis electionem conducunt, etiam electores determinando. Et hoc magis explicatur, quia Eccleſia non habet vnde colligat Papatum, niſi ex eo, quod Chriſtus Petro primo promiſit claues Regni Cælorum, deindè eundem Papam conſtituit dicendo *Paſce oues meas* Io. 21. Et quia hoc ſic intelligitur, & intelligi debet, vt Papatus ſit in Eccleſia perpetuus; concluditur, quod debeat eſſe ſucceſſiuus, & quia ſucceſſio, vel carnalis, vel teſtamẽtaria non conuenit, cõcluditur, quod debeat eſſe ſucceſſio electiua, vt põderat Io. à Sãcto Thoma *22. diſp. 2. art. 1.* Neque enim habetur locus in ſcriptura, in quo Chriſtus expreſsè Eccleſiæ tradiderit poteſtatem eligendi Papam. Vndè neq; hæc poteſtas fuit Eccleſiæ conceſſa per ſpecialem legem, ſed ex vi inſtitutionis Pontificatus connaturali lege conſequitur, quod ſit in Eccleſia poteſtas huius electionis. Quod perpetua praxi Eccleſiæ, quæ poſt Petrum omnes Pontifices Petro ſucceſſores elegit. Sed qualis debeat eſſe electio, & à quibus cum non ſit à Chriſto in Euangelio determinatum, & alias ſit quid magnum pertinens ad Eccleſiæ, ſtatum, & incrementum, nihil aliud poteſt colligi, niſi quod hoc ſit commiſſum, & relictum ſub directione eiuſdem Papæ, cui Chriſtus vniuerſalem Eccleſiæ, curam dereliquit. Nam, & alias Eccleſia, vt contradictæ, contra Papam eſt doceri, regi, paſci, non verò regere, & paſcere.

11. Adiungitur tertio, quod Papam eligi à Concilio eſt modus electionis tardiſſimus valdè diſpendioſus, & ſubiectus maximis periculis, & relinquens pernicioſè Eccleſiam per longum tempus viduatam, non fuit ergo conueniens, quod Chriſtus determinaret, vt electio per ſe ſpectaret ad Eccleſiam vniuerſalem, vel ad Concilium. Neque valet dicere quod potuit cõmitti Concilio directio electionis, quia hæc conuenienter debebatur capiti non corpori, & multò facilius, & ſecurius Pontifices Romani, qui ſunt in facto, & plenam notitiam electionis huius habent, poſſunt decernere, quæ circa huiuſmodi electionem conueniunt. Itaque igitur electio formaliter non fuit per ſe commiſſa Concilio, quia non expediebat Eccleſiæ. Nec ei fuit commiſſa ſimpliciter directio eiuſdem electionis, quia hæc competit Papæ, non eſt igitur, vnde dicatur, quod Concilium de iure diuino habet, vt per ſe, & ſimpliciter eligat Papam, ſed eſſe Papæ electorem determinatè eſt juris poſitiui à Papa prouenientis. Et hoc praxis Eccleſiæ probat. quæ praxis a Petro Apoſtolo deſcendit, & poſt Petrum, nullus inquam Pontifex fuit electus a Concilio, etiam ſi Concilio congregato vacauerit Sedes, vt in Concil. Conſtan. & Lateranenſ. ſed poſt Petrum, alij Pontifices electi ſunt a Cardinalibus, ſeù officium Cardinalium habentibus, ſiuè adiunctis alijs Clericis de Clero Romano, vel de alijs nationibus, vt in electione Martini V. in Conc. Conſtant. ſiuè a Cardinalibus ſolis, & hoc ita determinantibus Pontificibus per ſuas Conſtitutiones, inter quas licet aliquæ ſint Conciliares adhuc benè aduerterunt Gemin. *cap. Vbi periculum, §. hoc Sacro n.* 1. & ibi Franc. *n.* 4. quod in huiuſmodi Conſtitutionibus Papa fuit, qui principaliter ſtatuit, & quod Papa decreuit Concilium approbauit.

Papæ

Digitized by Google

Papæ enim eſt leges pro vniuerſali Eccleſiæ bono ſtatuere, & quas Papa conſtitutiones fecit in Concilio potuiſſet extra facere, & non minus totam vniuerſalem Eccleſiam ligaſſent, vt benè docet Caiet. *tom. 1. opuſ. tractat. 1. cap. 12.* Confirmantur ſupradicta ex eo, quod Concilium leges Papæ factas pro dirigenda electione Summi Pontificis, etiam Sede vacante non poteſt mutare, vt benè tradiderunt Caiet. *d. tract. 1. cap. 13.* & Suarez *d. diſp. 10. de fide ſec. 4. num. 13.* quia non eſt inferioris Superioris legem abrogare, & quia huius electionis negotium primò commiſſum eſt *Papæ*. Eius igitur eſt electores Romani Pontificis conſtituere, & illis formam eligendi præſcribere, nulluſque eſt cui determinatè ſimpliciter conueniat eligere *Papam*, niſi quem *Papa* fecit electorem. Et licet in caſu aliquo ſingulari pro vitando Schiſmate Conciliũ Generale Sede vacante poſſit facultatem eligendi *Papam* aliquibus concedere, ſicut fecit Concilium Conſtant. ordinando, vt in electione tunc habenda ipſis Cardinalibus adiungerentur ſex alij Clerici ex ſingulis Nationibus in Concilio exiſtentibus. Nihilominus illud fuit decretum prouiſionale, pro interim, & pro illa vice tantum. Et non fuerunt excluſi Cardinales. Sed ſimpliciter determinare electores *Papæ* ad *Papam* ipſum ſpectat, ſiuè hoc faciat in Concilio, ſiuè extra Concilium. Et in præfato Concilio Conſtant. non fuerunt adiuncti illi electores, niſi de conſenſu Cardinalium.

12. Ideò neque Cardinalibus competit iure diuino eſſe electores Summi Pontificis. Vndè verò hoc Cardinales habuerint incertũ eſt Coccino *in Gloſſam. ad Conſt. Aeterni Patris. Greg. XV. §. Igitur pag. mihi 51.* Sub diſtinctione enim loquitur ſiuè, inquit, authoritatem eligendi Cardinalibus dederit Romanus Clerus, cum tota vniuerſali Eccleſia, prout dare poterat, etiam per conſuetudinem tacitè, ſiue illam Papa Cardinalibus dederit conſentientibus illis, quorum intererat ſaltem tacitè, quæ conſuetudo, cum memoriam hominum excedat, omne firmitatis robur obtinuit, vt in puncto dicunt Bellam. *in cap. Licet nu. 2.* Hoſtien. *num. 6. de elect.* Sed in hoc diſcurſu Coccinus ſupponere videtur, quod de iure electio Papæ ad aliquos ſpectet, ſiuè ſit vniuerſalis Eccleſia, ſiuè Clerus Romanus totus & quod nec Papa potuerit hanc facultatẽ Cardinalibus tribuere, niſi conſentientibus habentibus intereſſe. Illis, ſcilicet, quibus id conuenit de iure. Quod quidem non ſubſiſtit, quia de iure diuino, vt dictum eſt, nulli determinatæ perſonæ, aut Collegio conuenit hæc facultas. Si verò alicui conceſſa fuiſſet ex iure Canonico poſitiuo, potuit Pontifex ex ſua poteſtate illud ius reuocare. Dicendum propterea eſt, quod alia eſt quæſtio, vndè Cardinales habeant, quod ſoli eligant Papam, de qua dicam quæſtione ſequenti, & alia vndè habuerint abſolutè, vt eligerent, & de hac dicam etiam quæſtione ſequẽti, quod eam ſemper habuerunt. Et ab illo habuerunt, à quo illam habuerunt, qui primo poſt Sanctum Petrum elegerunt Linum Primum eius ſucceſſorem. Et non dubito id ex eiuſdem Sancti Petri traditione aduenìſſe, & ex conſequenti, quod Cardinales facultatem eligendi Papam haberet immediatè ex diſpoſitione Romani Pōtificis. Nullus enim eſt in ſcriptura textus, ex quo colligi poſſit, quod Cardinales iure diuino eligant Papam, Nam, & quod in aliquibus Cathedralibus Capitulum eligat Epiſcopum iuris humani eſt. Et Pontifices ſibi reſeruarunt iam ferè omnium Epiſcoporum prouiſiones ablata facultate eligendi ab ipſis Capitulis. Solius enim Papæ eſt alios Epiſcopos in partem ſuæ ſollicitudinis aſſumere, vt habet Caiet *dict. cap. 13.* vbi etiam docet, quod Papa poſſet facultatem eligendi à Cardinalibus auferre, & alijs tribuere, quod & docuit Suarez *loco ſupracitato*. Quãobrem cum Pontificis Romani ſit plenitudo poteſtatis, *cap. Romanorum, & cap. Solitæ de maioritate, & obedientia* eius eſt vniuerſaliſſimè electionem Pontificum dirigere, & à quibus habenda ſit determinare, & ab eo Cardinales habuerunt, & habent ius ſuffragij in Pontificis electione. Turrecrem. *in cap. In nomine Domini diſt. 23. a. 3.* D. Anton. *p. 3. tit. 21. cap. 2. § 7.* Caietan. & Suarez *ſup. cit.* Bonac. *de elect. Pontif. quæſt. 1. p. 1. §. 1. num. 1.*

13. Ad primum ex doctrina Caiet. loc. cit. reſpondetur negando, quod Eccleſiæ, vt contradiſtinctæ Papæ, ſeù vt eſt corpus ſine capite Chriſtus contulerit immediatè poteſtatem eligendi Papam. Hoc quidem Chriſtus conceſſit Eccleſiæ, vt eſt corpus ſuo capiti iunctum, ſed ſic conceſſit, vt tamen hæc poteſtas eſſet principaliter in Papa, vt in regulante, in alijs verò iuxta Papæ diſpoſitionem, quia nec meliori modo potuit committi, quam vt determinatio huius electionis iuxta temporum varietatem, & occaſionum exigentiam ſubderetur directioni, & determinationi Pontificum. Et ſic illis in hac parte competit totam Eccleſiam repræſentare, qui ad hoc deputati ſunt à Pontifice. Nec iura allata in contrarium aliquid probant.

14. Non quidem *cap. Si duo*. Tum quia ille canon loquitur ſolum in caſu particulari, in quo duo temere ſiut intruſi in Pontificatu. Tum quia etiam in hoc caſu nihil ſtatuitur de Concilio, ſed benè ordinatur, quod nullus intruſorum ſit Pontifex, ſed alius qui à Clericis de nouo fuerit electus de conſenſu vniuerſitatis, à Clericis ſcilicet Romanis, ideoque à Cardinalibus quibus alias competit de iure eligere, & ab vniuerſitate plebis Romanæ, cui de more antiquo competebat conſentire. Panorm. *in ſuis quæſt. qu. 1.* Vnde ibi nihil innouatur, ſed ſtatuitur, quod in eo caſu tertius legitimè eligatur ab illis, quibus competit electio. Et ſimiliter in *cap. Si tranſitus ead. diſt.* nihil prorſus habetur, quod faciat pro illa quæſtione. Sed ibi decernitur habendum vt Papam, qui vel unanimiter, vel à pluribus electus fuerit, nimirum ab illis electoribus fuerit electus, quibus de iure competit electio. Quod etiam ex Oſeæ *cap. 1.* adducebatur non probat, cum ibi non ſit ſermo de Chriſtianis, & de Summo Pontifice, ſed de Iudæis, & de regno terreno. Certum vero eſt poteſtatem terrenam eſſe per prius in populo, & ab eo trãſfundi in Principem. Sed poteſtatem ſpiritualem populus non habet, vt latè probant Turre-

crem.

erem. *cap.* 1. *&* 2. *diſt.* 22. & Caiet. *tract.* 1. *&* 2. *de poteſtate Papæ*, nec eam Chriſtus illi tradidit, ſed Petro, & eius ſucceſſoribus, ideo non habet populus Chriſtianus ius eligendi ſibi Papam, niſi ex determinatione eiuſdem Papæ, & prout viſum fuerit eſſe vtile Eccleſiæ.

15. Ad ſecundum dicitur falſum eſſe, quod Apoſtoli elegerint Petrum in caput, & Paſtorem Eccleſiæ, neque hoc aſſeritur *in cap. Sacroſancta diſt.* 22. vbi ſolum habetur, quod Petro à Domino conceſſum eſt, (& ipſi inter ſe id ipſum voluerunt) vt reliquis omnibus præeſſet Apoſtolis, ſenſus verò illius propoſitionis, *& ipſi inter ſe id ipſum voluerunt*, non eſt quod Apoſtoli vel elegerint Petrum, vel eorum conſenſus Chriſti electionem præceſſerit, ſed quod Chriſti electionem, qua elegit Petrum in caput Eccleſiæ, qui ipſis etiam præeſſet Apoſtolis gratam habuerunt conſequenter, & libere receperunt. Et hæc Apoſtolorum voluntas non anteceſſit, ſed ſubſequuta eſt electionem Petri in Summum Pontificem, vt explicat Turrecrem. ibi, & conſtat ex Euangelio, quod non requiſito conſenſu Apoſtolorum Chriſtus Petro dixit Paſce oues meas, & illum Paſtorem vniuerſalis Eccleſiæ conſtituit, & voluit eſſe petrā ſuper qua fundaretur Eccleſia. Non igitur ex eo poteſt dici, quod Epiſcopis competat eligere Papam, quia hoc factum fuit ab Apoſtolis ſed ſicut Apoſtolorum fuit gratam habere conſequenter electionem Petri factam à Chriſto, ita Epiſcoporum eſt libenter in Papam recipere illum, qui ſecundum determinationem ſucceſſorum Petri quibus hoc commiſſum eſt inuenitur electus legitime.

16. Ad tertiam admittitur, quod ius eligendi Papam eſt in Eccleſia iure diuino, & eſt in Eccleſia duraturum inamiſſibiliter, vſque ad mundi finem, ſed tamen determinatio huius iuris ad has vel illas perſonas eſt de iure poſitiuo ex Papæ voluntate, & arbitrio, ideo argumentum nihil aliud concludit niſi quod in caſu, quod nullus iam eſſet in mundo, quem Papa ſua ordinatione feceerit electorem Pontificis, tunc ad Eccleſiam pro illa vice, & per modum cuiuſdam deuolutionis ſpectaret Papam eligere, vt explicat Caiet. *d. tract.* 1. *cap.* 13. ſed hoc eſt habere ius determinatum eligendi Papam per accidens, & in caſu ſingulari, ſeu in caſu qui à 1660. annis numquam accidit, & Deo protegente nunquam eueniet, neque enim defecerunt, neque Deo adiuuãte deficiēt Cardinales in Eccleſia quibus competit ex Pontificis determinatione Papæ electio. Imo bene circa hoc aduertit Iō: à S. Thoma 1.2. *q.* 1. *diſp.* 2. *a.* 5. *fin.* quòd in caſu, in quo nullus omnino eſſet, qui à iure poſitiuo haberet determinate facultatem eligendi Papam non deuolueretur formalis electio ad Concilium, ſed ius pro tunc prouidendi de electoribus, quod eſt illud ius quod habet Eccleſia, & tunc Concilium poſſet eligere, ſi ſibi applicaret facultatem eligendi in quo ſenſu verum eſt, quod habet Suarez *de fide diſp.* 10. *ſec.* 4. *num.* 17. In caſu vero, quod omnes Cardinales deficerent, non ſtatim ſequitur, quod Papæ electio ſpectet ad Concilium, quia non ſtatim ſequitur, quod deficiant omnes, quibus ex Pontificia auctoritate competit Papam eligere, quia deficientibus Cardinalibus omnibus non per hoc deficeret Eccleſia Romana, & Romanus Clerus: etenim inſtitutio eligendi Pontificem, quam non ab alio, quam à Petro Apoſtolo inſtitutam eſſe credendum eſt ex ſupra probatis principaliter continet vt hæc electio ad Clerum Romanum pertineat. Quoniam hic eſt facilior, & ſecurior, & vtilior modus prouidendi Eccleſiæ Romanæ viduatæ, & vniuerſali Eccleſiæ. Quamuis vero Petri ſucceſſores pro temporum exigentia alia decreuerint, & in ſpecie contraxerint vocem actiuam eligendi Papam ad ſolos Cardinales non per hoc abrogauerunt, ſed imo confirmauerunt legem illam primam, per quam ſtatutum fuit, & traditione, & conſuetudine perpetua firmatum fuit, vt Clerus Romanus Papam eligat. Ideo deficientibus Cardinalibus (qui per Dei gratiā nunquam deficient,) & remanente Clero Romano, ad hunc ſpectaret Papæ electio. Verum eſt, quod multi dixerunt, quod in defectu omniū Cardinalium electio pertineret ad Concilium Generale D. Antōn. *par.* 3. *tit.* 21. *cap.* 2. §. 6. Dec. *in cap. licet num.* 5. *de elect. quam ſententiam iuſtiorem dixit* Hoſtien. *in cap. Licet num.* 42. *de elect.* & ibi Card. *num.* 9. *& Louinus vbi ſupra*, *num.* 57. ſed nihilominus ſententiam aſſerentem tunc electionem ſpectare ad Clerum Romanum tutiorem dixerunt Hoſtien. & Card. citati. Et eam habere locum vbi Concilium cum eſſet cōgregatum, vel cum poſſet de facili congregari dixit Antonius de Roſillis de poteſt. *Papæ &* Imper. 4. *Poſtquam*. Et ex quo Epiſcopatui Romano eſt vnitus *Pontificatus* idem ſenſit Bellarm. *lib* 1. *An de Cler. cap.* 10. & idem plures alij tenuerunt, quos refert Sylueſ. *verb. excommunicatio* 9. *num.* 3. & hanc ſententiam æquiorem dixit Coccinus vbi ſupra, quamuis in opinionum conflictu, ipſe cum Antonium de Roſellis dicat quod vbi Concilium eſſet congregatum vel de facili congregandum, ad ipſum ſpectaret electio, ſin minus ad Clerum Romanum.

17. An verò tunc hæc electio pertineret ad Canonicos Lateranenſes alia queſtio eſt, & non valet argumentum, quod electio Epiſcoporum ſpectat ad Capitulum Cathedralium, & Eccleſia S. Ioannis Laterani eſt Cathedralis Papæ; Quia quæ ſtatuta ſunt de electione Epiſcoporum non comprehændunt electionem Papæ, quæ ob ſui eminentiam legibus proprijs dirigitur. Ideo in hoc caſu redeundum eſſet ad antiquam conſuetudinem Romanæ Eccleſiæ, ſecundum quam conſuetudinem, vt patet ex decreto electionis S. Gregorij VII. quod infra *quæſt.* . . . refero, à omnes ij, qui dicebantur Clerici S. Romanæ Eccleſiæ, & præcipue Subdiaconi, & Acolithi, qui etiam dicebantur Cardinales eligebant Papam, qui Subdiaconi nunc ſunt DD. Rotæ Auditores; & Acolithi ſunt DD. Referendarij votantes, ideo ex hoc videtur, quod illis non poſſet negari locus in hac electione. Non poteſt igitur definiri hæc quæſtio niſi attenta conſuetudine antiqua imo traditione Eccleſiaſtica eligendi Pontificem, cui non eſt cenſendum derogatum, niſi in caſu quod ad fine in Eccleſia, qui nunc dicuntur Cardinales. Quamuis dato

hoc

hoc imaginabili caſu tutius eſſet, & ad Schiſma vitandum neceſſarium, vt dubium hoc decideretur per Generale Concilium, vt bene Sylueſter admonet, & alij. Nam in deficientia Pontificis ad Cōciliū ſpectat vis directiua electionis *P*apæ.

18. Ad quartam reſpondetur, & negatur aſſumptum, quod qui poteſt deponere *P*rælatum poteſt illum eligere. Nam falſitas illius aſſumpti euidens eſt in *P*rælatis *P*apa inferioribus, quibus competit aliarum ſibi inferiorum electiones confirmare, & *P*rælatos electos, imò, & confirmatos ex cauſa, & culpa deponere, & tamen non poſſunt ad illas *P*rælaturas eligere. Sed hoc ad electores ſpectat. Sic ſi Generalis ex cauſa deponat *P*rouincialem, non per hoc poteſt eligere alium in *P*rouincialem, ſed ad *P*rouinciam ſpectat nouum ſibi *P*rouincialem eligere niſi in caſu in quo electio ſit deuoluta ad Generalem. Et ratio eſt, quia illa propoſitio, qui poteſt deſtruere poteſt inſtituere, & aliæ ſimiles non ſunt veræ, niſi vbi quis ſola ſua voluntate, & arbitrio poſſit deſtituere, quia ſuæ liberalitatis eſt dare, & non dare, & amplius ſuæ poteſtatis eſt dare, & auferre quotieſcunque voluerit. Sed is qui ſolum eſt iudex, qui ex cauſa poſſit pro culpa deponere, non ſequitur, quod poſſit ſua auctoritate inſtituere, quia ſibi ſolum eſt commiſſum iudicium deponendi pro culpa, non vero electio. Dato igitur, quod Concilium poſſit deponere *P*apam, manifeſtè hereticum, quod tamen neque eſt verum, quia Concilium ſit ſupra *P*apam, vt bene explicat Caiet. *d. tract. 1. art. cap.* 20. Sed quia Concilium habet poteſtatem miniſterialem ad deponendum *P*apam in cauſa hæreſis; ex hoc non ſequitur quod poſſit *P*apam eligere, quia bene rationabile eſt, vt *P*apa non deponatur ex huius, vel alterius iudicio, ſed hoc iudicium Eccleſiæ vniuerſali reſeruetur, cuius *P*apa eſt caput. Ideo etiam ad Concilium ſpectaret *P*apam vel eligere vel electores inſtituere vbi nullus alius eſſet, qui eſſet à Iure humano elector *P*ontificis. Sicut, et in caſu dubio, vbi nullus eſſet certus elector, ſed omnes *C*ardinales dubij eſſent, et quomodocunque eueniret, vt nullus eſſet qui ex Iure *P*ontificio eſſet certus elector *P*ontificis. Et tandè, quia in caſu vacantiæ Pontificatus directio electionis *P*apæ ſpectat ad Concilium. Vbi vero ad vitanda ſchiſmata, et ad certitudinem futuræ electionis, vel ob bonum commune eſſet bonum adiungere nouos vocales ipſis *C*ardinalibus poſſet id fieri et factum fuit *in Concil. Conſtan. in ſeſſ.* 40. de conſenſu tamen *C*ardinalium. *Ad laudem,* inquit, *& gloriam omnipotentis Dei, & ad pacem, & vnitatem vniuerſalis Eccleſiæ, ac totius populi Chriſtiani, & electio futuri Romani, & Summi Pontificis proxime celebranda firmiori auctoritate & plurium roboretur aſſenſu, & ne attento ſtatu Eccleſiæ ſuper dicta electione in poſterum vlla retractio vlluſq; ſcrupulus in mentibus hominum reſideat, ſed ex illa ſequatur vnio certa, vera, pleniſſima, & perfecta fidelium: Sacroſancta Synodus Conſtantien. communi vtilitate penſata, de ſpeciali, & expreſſo conſenſu & voluntate concordi Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium in eodem Synodo perſonaliter exiſtentium, & Collegij eorundem ac omnium nationum præſentis Cōcilij, ordinat ſtatuit, & decernit, quod hac vice duntaxat ad eligendū Romanū & Summū Pontificem vna cum Cardinalibus ſex Prælati, vel aliæ honorabiles perſonæ Eccleſiaſticæ in ſacris ordinibus inſtitutæ de qualibet natione in eadem Synodo pro tunc exiſtentes &c. ipſis Cardinalibus adiungantur.*

19. Cœterum re conſiderata per ſe ſententia, quæ aſſerit, quod eadem eſt ratio cuiuſcunque vacantiæ, & quod quamodocumque Papatus vacet, ſiuè per mortem, ſiuè per renunciationem, ſiuè per depoſitionem, & ſiuè Concilium Generale nōn ſit congregatum, ſiuè ſit actu tempore vacantiæ congregatum, electio Pōtificis ſpectet ad ſolos Cardinales eſt in omni iure fundata. De iure enim diuino per ſe nullus habet vocem in hac electione, niſi ex Summi Pontificis determinatione, at verò per Pontificum Conſtitutiones hoc eſt ſancitum, vt ille ſolus cenſeatur electus legitimè, qui à duabus partibus Cardinalium intra conclaue clauſum exiſtentium fuerit electus, & patet *cap. Licet de elect. cap. Vbi periculum de elect. in 6.* Clem. *Ne Romani de elect.* & ex *Conſtit. Aeterni Patris Greg. XV. & ex Conſtit. Ad Romani Pontific. Vrbani VIII.* Nullum verò dari textum in toto iure canonico, in quo vnquam electio Pontificis fuerit cōmiſſa Concilio, aduertit Iacob, *lib. 6 a. 9.* niſi in præfato caſu electionis Papæ pendente cognitione electionis prætenſæ factæ per metum. Et ratio principalis, quæ adducitur pro contraria ſententia, quia ſcilicet in *cap. In nomine Domini,* ſermo eſt de caſu mortis Pontificis, vnde non debet extendi ad caſum depoſitionis factæ per Concilium non probat. Tum primò, quia diſpoſitio illius capitis principaliter eſt de electione Pontificis, expreſſit verò cauſam vacantiæ, quæ regulariter accidit. Tum ſecundo, quia alij canones, vt patet *cap. Licet de elect.* & in Clem: *Ne Romani de elect.* & in Conſtitutione Gregorij XV. & Vrbani VIII. loquuntur abſolutè de vacantia Pontificatus. Tum tertio quia ratio illa ſupponit falſum, ſcilicet, quod per *cap. Illud in nomine Domini,* ſit data facultas Cardinalibus eligendi Pontificem. Cum tamen In textu illo hæc facultas ſupponatur, & ex Sancti Petri inſtituto officio Cardinalatus annexum fuerit munus eligendi Pontificem, vt habetur ex Steph. Papa in *cap. Oportebat diſt. 79.* & quamuis diuerſæ fuerint formæ huius electionis, nunquã Cardinales fuerunt excluſi à ferendo ſuffragio in ea.

20. Et pro huius confirmatione conſideranda ſunt verba illa ex Epiſtola Nicolai II. in qua Synodum à ſe habitam Romæ refert *cap.* 1. & ſunt iſta. *Primo namque inſpectore Deo eſt ſtatutum, vt electio Romani Pontificis in poteſtate Cardinalium Epiſcoporum ſit, itaut ſi quis Apoſtolicæ Sedis ſine præmiſſa concordi, & canonica electione eorum, ac deindè ſequentium ordinum Religioſorum Clericorum, & Laicorum conſenſu intronizatur, non Papa, vel Apoſtolicus, ſed Apoſtaticus habeatur.* Sic igitur abſolutè Cārdinalibus ſēper conuenit ſuffragium in electione Pontificis. Quod modo ſolis illis competit, etiam ſi Pontificatus vacet

tempore in quo celebratur Concilium. Quod etiam deſiniuiſſe Pium Quartum in Conciſtorio ex Card. Pallauic. *in hiſt. Conc. Tridentin. lib.* 15. *cap.* 13. *in fin.* refert Reuerendiſs. Lucarinus *de Epiſc. regul. cap.* 1. §. 2. *num.* 4. Et ſic de facto cũ vacaſſet Sedes pendente Concilio Lateranen. per mortem Iulij II. qui obijt poſt 5. ſeſſionem dicti Concilij die 26. Februarij anno 1513. electio noui Pontificis Leonis Decimi per ſolos Cardinales intra conclaue exiſtentes facta fuit die 11. Martij eiuſdem anni, & habetur in principio *ſeſſ.* 6. eiuſdem Concilij. Et ideò quod etiam in caſu, in quo Concilium Generale congregatum declaret non eſſe Pontificem in Eccleſia, quod Pontificis electio ſpectet ad ſolos Cardinales, tenent Panorm. ſibi contrarius, *quæſt.* 1. quæ incipit Epiſcopus, Gloſſ. *in cap. Si propter ſua debita, de reſcript. in* 6. *v. vacarent, & in cap.* 1. *in ver. Prædeceſſor, de renunciat. in* 6. Felin. *cap. Ad petitionem de accuſat.* Io: de Anania, quem refert, & ſequitur Iacobatius *lib* 6. *ar.* 9. Turrecrem. *cap. In nomine Domini ar.* 2. *nu.* 7. Alban. de Card. *q.* 35. Azor. *p.* 2. *lib.* 4. *cap.* 2. *qu.* 13 Barboſa *de iure Eccleſiæ l.* 1. *cap.* 1. *nu.* 57. *& cap. In nomine Domini diſt.* 23. *n.* 9. Diana *par.* 5. *tract.* 2. *reſolut.* 73.

21. Ad quintum dicitur enim, qui eſt Superior ex his poſſe quidem eminentiora, non tamen eſt neceſſe, vt formaliter poſſit quidquid poteſt inferior. Angelus eſt potentior animali, & neque tamen poteſt generare alium Angelum cum tamẽ animal poſſit generare aliud animal. Sic Concilium Generale tempore vacantiæ Papatus legitimè congregatum eſt ſuperius ipſo Collegio Cardinalium cum habeat poteſtatem in tota Eccleſia, & ſit Eccleſiæ ſupremum Tribunal. De quo videri poſſunt Albanus de Card. *qu.* 35. 36. *&* 43. Iacobat. *de Concilio l.* 6. *artic.* 9. Manfred. *dec.* 295. Tuſcus *lit. L. concl.* 57. Azor. *p.* 2. *l.* 4. *c.* 2. *q.* 13. Sed ex hoc non ſequitur, quod ipſi Concilio competat eligere Pontificem, quia de iure diuino hoc non conuenit nec Concilio, nec Cardinalibus, de iure verò poſitiuo hoc conceſſum eſt Cardinalibus non Concilio, & ita eſto Concilium ſit Iudex etiam Cardinalium, & poſſit in caſu dubij decernere an ipſi ſint Cardinales legitimi, nõ per hoc Põtificẽ poteſt eligere, quia hoc illi non eſt conceſſum, niſi in caſu in quo non ſint alij Electores à Papa conſtituti.

22. Imò licet Concilium ſit ſuperius Collegio Cardinalium, in hoc tamen, quod Collegium Cardinalium habet à Papa, quod eſt habere ſuffragium in electione Pontificis Collegiũ Cardinalium excedit. Et ità excedit, quod Concilium cum tota ſua auctoritate non poteſt à Cardinalibus auferre ſuffragium in electione Pontificis. Verum quidem eſt, quod aliqui arbitrantur, quod Concilium ex cauſa iuſta poſſit tollere à Cardinalibus hanc poteſtatem, & explicant hanc cauſam, vt ſi depoſito Pontifice ob crimen hæreſis inuenti fuerint Cardinales participes in crimine, aut alia de cauſa ſuſpecti, aut veriſimiliter crederetur offenſionem orituram, aut ſchiſma, vel magnam Eccleſiaſticæ pacis perturbationem. Tunc enim ob commune bonum Eccleſiæ concilium iure poſſet ad tempus, non in perpetuum auferre à Cardinalibus poteſtatem eligendi Papam. Ita ex Alban. Azor. & Diana ſupracitati, & Bonac. *q.* 1. *p.* 1. *num.* 4. Io. à S. Thom. 2. 2. *diſput.* 2. *a.* 1. *fin.* At in hac parte diſtingui debet hoc, quod eſt deponere à Cardinalatu manente priuare voce Cardinalem. Nam vbi Concilium inuenerit aliquem Cardinalem non creatum legitimè, poteſt declarare illum non eſſe Cardinalem. Concilium etiam reſpectu electionis Papæ habet poteſtatem eminentiorem, quam Cardinales, quia poteſt illam pro interim, & prouiſionaliter dirigere, & ideò poteſt illos, qui ſint ipſo iure priuati voce paſſiua, aut inhabiles tale declarare, ſicut, & poteſt priuare voce paſſiua ad Papatum quencumque ex iuxta cauſa, ſeu declarare illum, aut indignũ electione, aut ad illam inhabilem, etiam ſub irritatione electionis ſi contingat eum eligi. Amplius poteſt Cardinales compellere, vt eligant ſeruatis iuribus, & forma à Conſtitutionibus Apoſtolicis præſcripta. Qua ſeruata nullum imminet periculum Schiſmatis, vel aliud graue malum. Si etiam Cardinalis aliquis non haberet requiſita de iure naturali, vt quia eſſet omninò fatuus, poſſet illum impedire ab eligendo. Sed quod manente Cardinalatu Cardinalem naturaliter non impeditum poſſit Concilium priuare voce, ne iuxta formam Canonicam eligat non eſt tam de facili aſſerendum, quia non imminent pericula ſi forma Canonica ſeruatur, & ad eam ſeruandam Concilium poteſt Cardinales compellere. Et alias ratione cenſuræ Cardinales non poſſunt excludi à voce actiua ex Conſtitutione Pij IV. & Greg. XV. Et Cardinales habent ius eligendi à Papa, & ratione hæreſis, vel ſimoniæ priuandi ſunt Cardinalatu. Quod ſi ratione delicti, cui ſit annexa cenſura non poſſunt voce priuari, multò minus id fieri poteſt propter aliud delictum. Et Caiet. *tract.* 1. *c.* 13. benè dixit, quod Concilium non poteſt facere, quod electio nõ pertineat ad Cardinales certos, & indubitatos, cui concordant, quæ habet Suarez *diſp.* 10. *de fide ſec* 4. *nu.* 13.

23. Interim ſi obijciatur, quod Concilium potuit dare, & dedit Cardinalibus ſuffragium in electione Papæ, vt patet ex *cap. In nomine Domini, & cap. Licet, & cap. Vbi periculum, & Clem. ne Romani*; igitur Concilium poteſt etiam ab illis auferre eandem poteſtatem. Reſpondent Azor. & Diana citati admittens conſequentiam cum limitatione, vt ſcilicet Concilium poſſit eam poteſtatem auferre, ſed ex iuxta cauſa. Sed reſponſio deficit valdè. Tum quia Concilia, de quibus eſt ſermo in antecedente, vel ſimilia, etiam ſine iuſta cauſa validè auferrent à Cardinalibus ſuffragium in electione Pontificis. Nam illa Concilia erant animata præſentia Summi Pontificis, qui quidem ſicut dedit, ſic poteſt formam eligendi Pontificem mutare, & ſi mutaret, validè mutaret, vt benè tradiderunt Caiet. *d. tract.* 1. *cap.* 13. & Suarez *diſp.* 10. *de fide ſect.* 4. *num.* 13. Vndè ſi conſequentia argumenti valeret, ſequeretur, quod Concilium ſine Papa poſſet etiam validè, & in perpetuum, & per ſe priuare Cardinales ſuffragio in electione Pontificis.

tificis, quod non eſt verum. Tum ſecundo, quia verè falſa eſt illius argumenti conſequentia. Nam procedit à Concilio ſimul cum capite ſumpto, ad Concilium vacante Papatu congregatum, quod quidem non habet poteſtatem, vt formam à Papa ſtatutam valeat mutare. Nihilominus ſi contingere poſſet, (quod moraliter puto eſſ impoſſibile) quod Cardinales eſſent indubitatè tales, & nihilominus magnum malum nec adiungendo illis alios vocales, vt factum fuit in Concil. Conſtant. nec compellendo eos ad ſeruandam formam canonicam eligendi, nec priuando paſſiua electione hanc, vel alium indignum, nec determinando pro tunc electionem ad genus perſonarum, nec aliqua alia via poſſet impediri, tunc Concilium poſſet pro illa vice Cardinales voce actiua priuare ex boni communis neceſſitate.

24. Addit verò Suarez *d. n. 13. in fine*, quod ſi Cardinales abuterentur poteſtate eligendi, adeo vt in legitima electione Summi Pontificis non conuenirent, tunc electio ad Concilium pertineret. Gloſſ. etiam *in cap. Si duo diſt. 79.* ſentit, quod in caſu, quo Cardinales eligerent contra fas, congregandum eſſet Concilium. Sed in his caſibus compellendi eſſent electores ad eligendum ſeruata forma canonica. Et quatenus obſtinate non conuenirent ad Concilium ſpectaret remedium ponere modo meliori ſibi bene viſo, & ſemper conſultius eſſet non excludere Cardinales ab electione.

Quæ ſint conditiones eligentium Papam.

QVAESTIO VII.

1. QVæritur ſeptimo, quæ ſint conditiones eligentium Papam? Vna eſt principalis, vt ſint S. R. E. Cardinales. Illum enim ſolum cenſendum eſſe Papam legitimè electum, in quem conſenſerint duæ ex tribus partibus Cardinalium S. E. Romanæ habetur determinatum ab Alexandro Tertio in Concil. Later. anno 1550. *cap. Licet de elect.* & confirmatum à Greg. X. in Concil. Lugdunen. anno 1274. *cap. Vbi periculum de elect. in 6.* & à Pio Quarto in ſua Conſtit. *In eligendis*, datam anno 1562. & à Greg. XV. in ſua Conſtit. *Aeterni Patris*, data anno 1621. Et ab Vrbano Octauo in Conſtitut. *Ad Romani Pontificis*, data anno 1625.

2. De officio verò, præſtantia dignitate, nomine, & antiquitate Cardinalium S. R. E. tractare non eſt præſentis inſtituti, niſi pro quanto prædictorum cognitio ad electionis Summi Põtificis notitiam maiorem habendam conducat, Conſulendi ſunt de his Auguſt. Triumph. *in tract. de poteſtate Eccleſiæ.* D. Anton. *3. par. tit. 21.* Turrecrem. *in ſumma de Eccleſ. l. 1.* Barbat. Martin. Laudenſis, Card. Albanus de Card. *poteſt.* Iacobat. *de Concil. l. 5. art. 1.* Azor. *p. 2. lib. 4. cap. 1.* Paleot. *de Sacri Conſiſtorij conſult.* Barboſ. *lib. 1. de iure Eccleſ. cap. 3.* Diana *p. 5. tract. 2.* Iacobus Cohellius *de notitia Cardinalatus*, & alij plures, quos iſti referunt. Hæc pauca ſufficiant in præſenti. Primum, quod eorum officium à Petro Apoſtolo in Eccleſia incępit, imò à Chriſto. Nec crediderim rationabiliter dici id, quod ex Archidiac. Albano, & Soprano tradit Bonacin. *de electi on. Pontif. contr. 1. q. 1. punct. 1. § 1. nu. 2.* ſcilicet, Cardinales ex prima origine inſtitutos fuiſſe ad baptizandos infantes, qui in hanc lucem adducuntur, & ad Sacramenta miniſtranda migrantibus ex hac vita. Huiuſmodi enim non ſunt miniſteria, ad quæ Epiſcopi, & Præsbiteri, aut Diaconi principales inter Clericos ſpecialiter deputandi eſſent, ſed eorum officium fuit aſſiſtere Pontifici, vt coadiutores vniuerſalis adminiſtrationis totius mundi, & vt Conſiliarij eiuſdem in negotijs, & cauſis arduis Eccleſiæ, vt habetur ex Conſtit. 15. Eugenij IV. Vndè eſt, quod vt aduertit Paleot. *de Sacri Conſiſt. conſult. p. 1. q. 6.* Cardinales dicti fuerunt Sacerdotes Leuitici generis Apoſtoli noui teſtamenti, Domini Papæ Conſiliarij, & tandem Sãctæ Rom. Eccleſ. Cardinales. Nam quod dicitur Deut. 17. vt pro difficultate, & ambiguitate iudicij ad Sacerdotes Leuitici generis recurrendum ſit, ad iudicem qui fuerit eo tempore, & obediatur eorum iudicio, intelligendum eſſe de Summo Pontifice, & eius fratribus S. R. E. Cardinalibus, qui ei in executione Sacerdotalis officij coadiutores exiſtunt, tradit Innoc. *cap. Per venerabilem, qui filij ſint legitimi, §. rationib.* & ex eo. Eugen. IV. *in d. Conſtit. 15. Rom. conſ. vlt.* Archid. *in cap. Fundamenta §. decet de elect. in 6.* & ibi Io: Andr. Pànorm. *in d. §. rationibus, & in cap. Ex geſtis de Cler. non reſident.* vbi Hoſtien.

3. Quamuis verò communis ſententia ſit, quod Epiſcopi ſunt illi, qui in Eccleſia ſuccedũt Apoſtolis, hoc non negato concedi etiam debet, quod eiſdem Apoſtolis ſuccedant Cardinales. Epiſcopi enim Apoſtolis ſuccedunt in poteſtate ordinis, & Epiſcopali dignitate, vt tanquam Paſtores ſpecialibus Eccleſijs præficiantur. Sed Cardinales eiſdem ſuccedunt in aſſiſtentia, & totius vniuerſalis Eccleſiæ adminiſtratione, Chriſto enim Apoſtoli aſtiterunt tanquam coadiutores illius, & ſupremi miniſtri, & Eccleſiæ adminiſtratores. Et in hoc officio Apoſtolis ſuccedũt Cardinales Albanus *q. 5.* ex Turrec. *lib. 1. de poteſt. Eccleſ. cap. 80.* & D. Anton. *3. p. tit. 21. §. 2.* Paleot. *de ſacri conſiſt. conſul memb. 5. c. 11. pag. 365.* Iacobat. de Concil. *l. 1. a. 1. n. 252. pag. mihi* 32. Azor. *par. 2. l. 4. c. 1. q. 3.* Barboſ. *l. 1. de iure Eccleſ. cap. 3. n. 2.* Iacobus Cohellius *de notit. Cardin. cap. 1. & 2.* Propterea dicti ſunt etiam conſiliarij, vt probat Roman. Conſil. *vlt. n. 13. cap. conuenientibus 1. q. 7.* & *ex cap. In Parochia 16. q. 1. & ex cap. Eccleſiaſticis 12. q. 2.* Et tandem, quia cum vt Anacletus Papa dixit Epiſ. 3. *cap. 3.* & habetur *cap. Sacroſancta* in fin. *Apoſtolica ſedes* cardo, & caput, vt prædictum eſt omnium Eccleſiarum à Domino, & non ab alio eſt conſtituta, & ſicut cardine oſtium regitur, ſic huius ſanctæ ſedis auctoritate omnes Eccleſiæ (domino diſpenſante) reguntur, ex hac ratione, & ſimilitudine coadiutores ſummi Põtificis dicti ſunt Cardinales, quia ſe regunt, & alios, quia nimirum ad totius Eccleſiæ regimen aſſumuntur Iacobat. *l. 1. a. 1. pag. mihi* 31. Archid. *cap. ſacroſãcta diſt. 22.* Iacobus Cohellius de notitia Card. *cap. 2.*

cap. 2. & eum Vetruuius *lib.* 6. *c* 1. *&* *l.* 9. *cap.* 4. duos cœli vertices, quos Græci polos dicunt; cardines vocet, hinc etiam Cardinalium nomen licet deducere, quia ſicut circa polos cœlum vertitur, ita Eccleſiæ adminiſtratio Cardinalium prudentia, & conſilio nitatur, vel certe, vt poli in cœlo eminent, non aliter cæteris clericis Cardinales præferuntur. Sic enim, & in iure ciuili præfectus prætorio Aſianæ Diœceſis, & *Præfectus* Africæ Cardinales dicebantur, quod cæteris maiores eſſent. Sed etſi Cardinales dicuntur iuxta Vetruuium *lib.* 4. *cap.* 6. quia adnexi, inſerti, & compacti vnde *lib.* 10. *cap.* 11. dixit tigna cardinata, *&* *cap.* 20. capreoli cardinati. Vnde, & iuxta Io. Diaconum *lib.* 3. vitæ S. Greg. *cap.* 16. 18. *&* 15. transferre piſcopum de Eccleſia ad Eccleſiam vocat incardinare, quia illi Eccleſiæ quodammodo inſerebantur, ad quam transferebantur. Sic Cardinales Eccleſiæ Romanæ dicuntur, quia illi adnexi, & inſerti, & quidem tanquam principales, qua ratione Ambroſius, & Ciprianus, & ex eis Theologi primarias virtutes vocant Cardinales, & S. Aug. *lib.* 1. *de bapt. cap.* 6. primarios quoſdam Donatiſtas vocat Cardinales.

4. Horum igitur Cardinalium officium inſtitutum etiam tempore S. *Petri* inde habetur, quod ipſe tres coadiutores ſuos Epiſcopos ordinauit Linum, Cletum, & Clementem, vt ſupra *q.* 4. probatum eſt. Barboſa etiam *d. lib.* 1. *de iur. Eccleſ. cap.* 5. *n. & cap.* 3. *n.* 3 poſt Lauorium *de elect. cap.* 4. *n.* 3. aſſerit *Petrum* 24. *Præſ*biteros veluti Eccleſiæ Senatores inſtituiſſe, & Cletum ex *Petri* præcepto 25. *Præsbyteros* in Vrbe, & 7. Diaconos ordinaſſe, ſed vnde hoc ſumpſerit non refert. Ciaconius tamen in vita S. Cleti inquit, quod ipſe S. Cletus cum viuente *Petro* eſſet eius coadiutor, ex *Petri* mandato ordinauit 25. *Præsbyteros*; Et hoc idem tradidit Bzouius *lib.* 1. ad ann. 98. vbi martyrium S. Cleti refert, ſed & Polidorus Virgilius *lib.* 4. *de inuen. rer. cap.* 9. putat Cardinales fuiſſe expreſſos nomine Præsbiterorum, & Diaconorum, & de his loqui Euariſtum, qui primus titulos Præſbiteris diſtribuit, & inſtituit ſeptem Diaconos. Quamuis autē Bonacina *d. q.* 1. *p.* 1. *§.* 2. *n.* 1. probandam non aſſerat eorum opinionem apud Albanum *q.* 5. qui arbitrantur Papam ſemper habuiſſe Cardinalium cætum, tamen neque ipſe vnde ſic arbitretur validam rationem refert, neque id eſt veriſimile, & parum conuenit determinationi Eugenij IV. *in ſua conſtit.* 15. vbi tradit officium Cardinalium à Petro fuiſſe inſtitutum; vnde colligitur, quod eo tempore Petri fuerit cætus aliquorum, quibus ex officio competebat eſſe Papæ aſſiſtentes, & in vniuerſalis Eccleſiæ adminiſtratione cooperatores. Si enim ſolum Pontifex Petrus tunc modò vnius, modò alterius opera ad libitum vſus fuiſſet, nō fuiſſet officiū cooperantiū Papæ, quia nullus fuiſſet, cui hoc munus competeret ex officio, & ſic non poſſet propriè dici, quod officium Cardinalium fuerit a Petro inſtitutum. Et præterea cum in omni benè inſtituta Republica dentur, qui ex officio aſſiſtant Principi, Imperatori, Regi, Duci ſupremo, illique ſint à conſilijs, & illum adiuuent in adminiſtratione regiminis, non eſt veriſimile, quod Sanctus *Petrus* ſupremus *Paſtor* & Monarcha totius Eccleſiæ non aſſumpſerit ſibi coadiutores, & Senatum Apoſtolicum non inſtituerit, in quo communia, & grauia Eccleſiæ negotia tractarentur, & expedirentur. Vnde dicendum eſt, quod eorum, qui nunc dicuntur Cardinales cætus, & collegium fuerit à S. Petro inſtitutum. Barboſa vbi ſupra Ciaconius poſt vitam S. Higinij de origine Cardinalium Iacob. Cohellius de notitia Cardin. Nec approbo, quod habet Iacobat. *l.* 1. *pag. mihi* 43. ſcilicet, quod tempore S. Petri cum multiplicati fuiſſent *Præsbyteri*, illi diſtinxerit Vrbanos ab alijs ſub nomine Cardinalatus. Nam nedum non habetur, quod tunc nomen Cardinalis eſſet in vſu, ſed neque admitti debet ſola diſtinctio Præsbiterorum vrbanorum ab alijs, ſed quod & inter vrbanos, ſeu præsbyteros, ſeu Diaconos *Petrus* prudentiores, & ſapientiores elegerit, tanquam ſpiritualis Reipublicæ, ſeu melius Monarchiæ Senatores, et in ea adminiſtranda ſibi cooperatores.

5. Quando autem huius Apoſtolici ſenatus viri cæperint dici Cardinales nō eſt certum. Negat Caluinus ſe ante Gregorij tempora Cardinalis legiſſe nomen, et inſuper addit, quod Cardinalium nomen proprium fuerit Epiſcoporum. Sed in vtroque mentitur, vt ſolet, cum conſtet hoc nomen antiquiſſimum eſſe, etiam à tempore S. Siluestri *Papæ* Epiſcopi, *Præsbyteri*, et Diaconi S. R. E. dicebantur Cardinales, vt patet ex 6. Synodo Romana, et habetur *cap. Præſul.* 2. *q.* 5. vt meminit etiam D. Th. 2. 2. *q.* 70. *a.* 2. *ad* 3. et conſiderat Turrecremata *ad d. cap. Præſul.* et poſt Syluеſ. eodem nomine honorati ſunt à Gelaſio Papa *cap. Præsbyteri* 24. *diſtinctione*, et à S. Gregorio *cap. Relatio, & cap. Paſtoralis* 7. *q.* 1. et à Stephano IV. *cap. oportebat diſt.* 79. et ab alijs *Pontificibus* ſequentibus vniuerſaliter. Sed ex Volaterano habentur ſubſcriptiones Io S. R. E. Diaconi Cardinalis tempore Damaſi *Papæ*, et Gulielmi S. Sabinæ Cardinalis tempore Leonis III. et S. Greg. *lib.* 5. *epiſt.* 11. *ad fortun. Epiſ. Neapol. Diaconos Cardinal. nominat. & lib.* 11. *epiſt.* 34. *ad Io. Epiſ. Siracuſ. Præſbiteros Cardinales & Io. Diaconus lib.* 3. *de vita S. Greg. cap.* 7. plures recenſet Præsbiteros Cardinales, quos S. Greg. ad Epiſcopatum promouerat, quod vero Honufrius de Card. *lib.* 4. *cap.* 88. crediderit eos fuiſſe dictos Cardinales, qui in eadem Eccleſia primum locum tenebant, non eſt vndequaque firmum, quia imo in eadem Eccleſia plures fuerunt eiuſdem tituli Cardinales, quia apud S. Gregor. *lib.* 4. *epiſ.* 88. leguntur plures eiuſdem tituli Cardinales ſubſcripſiſſe ſcilicet in titulo S. Balbinæ tres, et duo in titulis S. Damaſi S. Syluеſtri, et SS. Apoſtolorum. Quod verò Barboſa vbi ſupra *n.* 7. *ex præfato cap. Præſul* 2. *q.* 5. velit colligere tunc temporis dignitatem Epiſcopi fuiſſe maiorem dignitate Cardinalitia, quia ad damnandum Epiſcopum Cōcilium requirat plures teſtes, nimirum 72. quam ad damnandum Præsbiterum Cardinalem, ad quem ſufficiunt 44. et ad Diaconum Cardinalem 27. non probat, quoniam, vt ex *D. T.* 2. 2.

*q.*70. *a.*2. ad tertiam explicat Turrecrem. ad dictum *caput Præſul, &c.* ibi non eſt ſermo de quocunque Epiſcopo, ſed de Epiſcopo Cardinali S. R. E. Clericis enim S. R. E. propter eius Eccleſiæ dignitatem illud priuilegium fuit conceſſum propter 3. rationes ibi à D. T. aſſignatas, cui addit Turrecrem. quartam, quia ſcilicet ambitio multorum cauſa erat, vt accuſarentur Cardinales, vt ex eorum depoſitione ipſi loca damnatorum occuparent, vnde ex eo texto non colligitur, quod Epiſcopatus tunc eſſet maior dignitas, quam Cardinalatus.

6. His verò ſic præmiſſis multæ dubitationes ſupereſſunt explicandæ. Prima autem eſt, quinam ſint Cardinales legitimi? Reſpondetur autem illos ſolos eſſe, qui ad tale officium, & dignitatem aſſumuntur à Summo Pontifice. Neque enim Cardinalium Collegium, vel etiam Concilium Generale poteſt Cardinales creare. Et ea ratione, qua Concilium non poteſt Epiſcopos inſtituere, vt tradit Caiet. *tract.* 1. *cap.* 13. neque poteſt creare Cardinales, ſed hoc ſolius ſummi Pontificis eſt munus, vt tradiderunt Gloſſ. *in Clem. ne Romani v. poteſtatis*, Alex. *cap. nullus d. & ibi Præpoſ.* 79. Io. Andr. et Panorm. *in cap. ſanè de conuerſione coniugat* Barbat. *de præſtant. Card. q. vlt.* Martinus Laudenſis *l.* 2. *q.* 1. Cuchus *inſtit. lib.* 2. *tit.* 4. *n.* 21. A. or. 2. *p. l.* 4. *cap.* 1. *q.* 7. Bonacina de elect. Pontificis *q.* 1. *p.* 1. §. 2. 3. Anton. Pagan. et Io. Corraſ. quos refert, et ſequitur Barboſ. *l.* 1. de iure Eccleſ. *cap.* 3. *n.* 12. Et quamuis Iacobatius *l.* 6. de Concil. *a.* 7. *q.* 1. §. *ſic videtur, pag. mihi* 376. et apud Bonac. vbi ſupra Manfredus de Cardinal. *deciſ.* 336. ſenſerint, quod Concilium generale in caſu vrgentis neceſſitatis, cui non poſſit aliter ocurri, poſſit creare aliquos Cardinales, hoc nullo modo eſt admittendum, et quæ varia adducuntur à præfatis extranea ſunt, et diſcurrunt à caſu ad caſum, et multa aſſumunt non vera, et ſupponunt caſum neceſſitatis talem cui non poſſit occurri niſi per creationem Cardinalium, qui caſus non eſt dabilis, vt ſcilicet Cardinalatus ſit vnicum, et ſolum medium ad neceſſitatem temporalem Eccleſiæ ſubleuandam. Quia Concilium ſine eo, quod alicui det titulũ Cardinalatus de ſua natura perpetuum poterit cuicunque dare eam Iuriſdictionem, auctoritatem, facultatem, et poteſtatem, quæ pro interim ſit neceſſaria ad operandum. Et tunc Epiſcopi ob eorum maximam dignitatem benè ſufficientes erunt ad agendum nomine Concilij quidquid erit neceſſarium; nec Concilij talis eſt, per media perpetua prouidere inſtantaneæ neceſſitati in præiudicium auctoritatis Papalis, nec eſt vnde Concilium velit compellere Papam ad habendum pro Cardinali eum, quem ipſe non creauit. Nam et irrationabile eſt cogitare, quod Papa à Concilio poſſit cogi, vt habeat aſſiſtentem, conſiliarium, et miniſtrum, quem noluerit. Nec Concilium ſine Papa habet ius faciendi leges perpetuas totam Eccleſiam obligantes; vt docet optime Caiet. *tract.* 1. *cap.* 12. et ſupra pluries dictum eſt. Quod etiam de Cardinalibus obijci poſſet, quia ſcilicet quod poteſt maius, poteſt minus, ſeu cui conceditur maius, conceditur minus.

7. Quare cum Collegium poſſit eligere Papam, multo magis poterit creare Cardinalem, nullius roboris eſt. Nam primò aſſumpta illa vera ſunt in per ſe connexis, non verò in diſiunctis, et quæ ex libera conceſſione alterius proueniunt. Quia non eſt neceſſe, quod is, qui concedit maius, concedat etiam minus, quia imo maius, et minus ſimul eſt longe maius, quam ſit illud maius diſiunctum à minori: ſic apud Iuriſperitos tritum eſt, in ijs quæ ſpectant ad iuriſdictionem, et præcipue delegatam argumentum à maiori ad minus nihil valere. Sed præterea longè maius, et maioris virtutis eſt creare Cardinalem, quam eligere Papam, licet Papa ſit in immenſum quid maius, quam Cardinalis. Et ratio eſt quia elector Papæ non dat electo Papatum, ſed ſolum nominat perſonam, cui Chriſtus Papatum confert, ſed creans Cardinales non ſolum aptat materiam, et illam deſignat, ſed dat formam, nimirum officium, adminiſtrationem, et dignitatem Cardinalitiam. Ad verò maius eſt dare formam, quam præparare materiam. Solus igitur Papa Cardinales creat Hoſtien. *in cap. licet n.* 26. *de elect. ſpecul. in cap. vbi periculum n.* 14. *de elect. in* 6. et ità ille ſolus eſt Papæ elector, qui eſt Cardinalis à Papa aſſumptus.

8. Dubitatur ſecundo à quo tempore Cardinales Papam eligant. Dicitur verò nunquam fuiſſe Cardinales, quin fuerint Papæ electores. Sed dubium in hac parte ſubminiſtrat *cap. In nomine domini* ex quo videtur probari, quod olim ſoli Cardinales Epiſcopi eligerent Pontificem ibi. *In primis Cardinales Epiſcopi diligentiſſimè ſimul de electione tractãtes, mox Chriſti Clerico Cardinales adhibeant, ſicque reliquus Clerus, & Populus ad conſenſum nouæ electionis accedant.* Videtur in hinc deduci, quod primò ſoli Cardinales Epiſcopi eligerent, deinde verò adhiberent alios Cardinales ad hoc, vt electioni conſentirent, ſicut et adhibebatur populus. Propterea fuit aliquorum opinio, quod tunc in vi decreti Nicolai Papæ II. in dicto *cap. Contenti* non omnes Cardinales ſimul eligerent, ſed quod primò eligerent Epiſcopi Cardinales deinde Cardinales Presbyteri, et demum Cardinales Diaconi, & quod numerabantur ſuffragia Cardinalium non ſingulariter, ſed tantum illa tria corpora, vt ex Albano de Cardin. *q.* 11. & Gambar. in Bull. Iulij II. *n.* 195. & Lauor. *tom.* 1. *tit.* 4. *c.* 5. *n.* 9. tradit Barboſ. *l.* 1. *de iure Eccleſ. cap.* 1. *n.* 55. *& ad dictum cap. In Nomine Domini n.* 6.

9. Verum ex oppoſito videri poteſt, quod electio pertineret ad ſolos *Presbyteros*, & Diaconos Cardinales, non verò ad Epiſcopos propter ea, quæ tradit *Pãdulphus* Subdiaconus apud Baronium de electione Gelaſij Secundi an. 1118. Deſcribit enim *Pandulphus* Gelaſij electionem diſtinctè, & poſtquàm nominatim retulit Cardinales Epiſcopos, *Presbyteros*, & Diaconos, qui conuenerunt, addit, quod aderant & octo alij Diaconi Cardinales, Itemque Nicolaus *Primicerius* Scholæ Cantorum, & Subdiaconi *Palatij*, & alij minoris ordinis Clerici, multi Romani, de Senatoribus, & Conſulibus aliqui, præter fa-

ter familiam noſtram. Poſtquam autem electionem Gelaſij recenſuit, ſubdit. *Approbatur ab omnibus, nec non ab Epiſcopis, quorum nulla eſt prorſus alia in electione Præſulis Romani poteſtas, niſi approbandi, vel contra, & ad communem omnium Cardinalium primum, & aliorum petitionem, electo manus ſolemniter imponendi*. Et videtur hoc confirmari ex decreto Nicolai Secundi in *d. cap. In Nomine Domini* ibi: Cardinales Epiſcopi procul dubio Metropolitani vice funguntur, qui videlicet electum Antiſtitem ad Apoſtolici culminis apicem prouehant conſecrandum.

10. Sed & difficultatem faciunt, quæ narrantur de electione Gregorij VII. Nam ex actibus Vaticanis hæc refert Baronius ad annum 1073. *Defuncto Alexandro Papa, & in Lateranenſi Eccleſia honorificè tumulato, dum Hildebrandus Archidiaconus eſſet in eius obſequijs occupatus, repentè factus eſt in ipſa Eccleſia maximus Cleri, & populi Romani concurſus, clamantium, & dicentium Hildebrandum Archidiaconū Sanctus Petrus elegit. Quod attendens Vgo Candidus Cardinalis aſcendit pulpitum, & præmiſſo breui ſermone concluſit, & dixit. Nos Epiſcopi Cardinales vnanimiter ipſum nobis, & vobis in Paſtorem, & Epiſcopum animarum noſtrarum eligimus*. Ex hoc enim videtur, quod ſolum Cardinalium Epiſcoporum eſſet eligere *Papam*, aliorum verò eſſee conſentire, & petere. Sed nihilominus oppoſitum deduci videtur ex decreto electionis eiuſdem Gregorij VII. quod habetur in Baronio ibidem. Et eſt tenoris ſequentis. *Regnante Domino Noſtro Ieſu Chriſto, anno Clementiſſimæ Incarnationis eius milleſimo ſeptuageſimo tertio, Indictione, & Luna vndecima, decimo Calend. Maij feria 2. die ſepulturæ Domini Alexandri bonæ memoriæ Secundi Papæ; Ne ſedes Apoſtolica diù lugeat proprio deſtituta Paſtore congregati in Baſilica Beati Petri ad Vincula nos Sanctæ Romanæ Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ Cardinales, Clerici, Acolyti, Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri, præſentibus Venerabilibus Epiſcopis, & Abbatibus, Clericis, & Monachis conſentientibus plurimis turbis vtriuſque ſexus, diuerſique Ordinis acclamantibus, eligimus nobis in Paſtorem, & ſummum Pontificem virum religioſum geminæ ſcientia prudentia pollentem, æquitatis, & iuſtitia præſtantiſſimum amatorem, in aduerſis fortem, in proſperis temperatum, & iuxtà Apoſtoli dictum, bonis moribus ornatum, pudicum, modeſtum, ſobrium, caſtum, hoſpitalem, domum ſuam benè regentem, in gremio huius matris Eccleſiæ à pueritia ſatis notabiliter educatum, & doctum, atque pro vitæ merito in Archidiaconatus honorem vſque hodie ſublimatum, Hildebrandum videlicet Archidiaconum, quem amodo vſque in ſempiternum, & eſſe, & dici Gregorium Papam, & Apoſtolicum volumus, & approbamus. Placet vobis? Placet. Vultis eum? Volumus. Laudatis eum? Laudamus. Acta Romæ decimo Kal. Maij Indictione vndecima.*

11. Quantum ex his colligi poteſt, dicendum mihi videtur, quod electio tunc pertinebat nedum ad Cardinales *Presbyteros*, & Diaconos, ſed etiam ad Subdiaconos, & Acolytos, & alios omnes Clericos Sanctæ Romanæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ. Non dico ad omnes Clericos Romæ exiſtentes, & habitantes, ſed ad omnes Clericos, qui gaudebant titulo Clerici Sanctæ Romanæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ. Quod quidem probatur ex eo decreto electionis S. Gregorij Septimi. Nam primò ad omnes illos pertinebat electio *Papæ*, quorum nomine facta fuit illa electio, & qui in eo decreto ſub verbo Nos eligimus compræhendebantur. Hi verò non fuerunt ſoli Cardinales *Presbyteri*, & Diaconi, ſed etiam Subdiaconi, & Acolythi, & Clerici, vt patet ibi: *Nos Sanctæ Romanæ, Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ Cardinales, Clerici, Acolyti, Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri, &c. eligimus, &c.* Nomine igitur omnium horum emanauit decretum per verbum nos eligimus, igitur omnes illi elegerunt. Quod verò ad omnes Clericos ibi præſentes, non pertineret electio, inde colligitur, quod ſit deſtincta mentio Clericorum, vt eorum coram quibus facta eſt electio ab alijs Clericis, qui elegerunt, ibi *præſentibus Venerabilibus Epiſcopis, & Abbatibus, Clericis, & Monachis, &c.* Vnde conſtat duo genera Clericorum ibi fuiſſe, quorum alij qui habebant titulum Clerici Sanctæ Romanæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ elegerunt, alij verò ſolum electioni præſentes fuerunt, & electioni iam factæ conſenſerunt. Et ita iſti Clerici ſicuti, & Abbates, & Monachi non habebant ius ſuffragij in electione, ſed ſolum ſicuti vnus de populo poterant electioni conſentire. Præterea quod electio *Papæ* pertineret ad Clericos Diacono inferiores habetur etiam ex decreto Symachi *Papæ* in Concil. Rom. anno 449. & habetur *cap. ſi quis pecunia diſt. 79.* prout pondero infra *qu. 17.*

12. Dicitur ſecundo, quod præfati Cardinales *Presbyteri*, & Diaconi, ſicut, & alij Subdiaconi, & Accolyti, ſeu Clerici non ſeparatim, ſed vnica electione ſimul eligebant. Qua electione peracta ſtatim ex vi illius electus erat verè *Pontifex*. Nam in præfato vno decreto omnes prædicti ſimul elegerunt vt patet.

13. Dicitur tertio, quod Cardinales Epiſcopi non erant expertes electionis, ſeu poteſtatis eligendi. Sed imò prærogatiuam habebant, & ipſorum erat prius inter ſeipſos tractare de electione, & eligendum nominare, & eligere. *Panorm. cap. Licet num. 6. de elect.* Sed eorum electio ſola non dabat ius electo, niſi inchoatiuè, ſed erat quoddam præambulum, & veluti propoſitio per quam Epiſcopi Cardinales à ſe approbatum proponebant eligēdum reliquis Cardinalibus, & Clero. Totum hoc colligitur ex d. electione S. Gregorij Septimi, & ex decreto Nicolai Secundi. Nam licet Epiſcopi Cardinales non compræhendantur ſub decreto electionis facto ab alijs Cardinalibus, nec illi fuerint in numero eligentium per illud decretum, quia in eo recenſentur, vt illi in quorum præſentia electores elegerunt non vt eligentes, tamen vt ex actis Vaticanis habetur, & refert Baronius vbi ſupra Hugo Candidus Epiſcopus Cardinalis prius nomine omnium Epiſcoporum Cardinalium eundem S. Gregorium elegerat. *Priùs* igitur Cardinales Epiſcopi ſeorſum eligebant ex parte eorum. Et hoc idem probatur ex decreto Nicolai Secundi in quo ſtatuitur, quod Cardinales Epiſcopi diligentiſſimè prius de electione *Pontificis* tractent, & mox reliquos Clericos

Car-

Digitized by Google

Cardinales adhibeant,ſcilicet ad eundem tractatum, & ad ſuffragium in eadem electione præſtandum, cum etiam ex decreto Leonis Papæ ibidem recenſito Epiſcopus à Clericis eligi debeat. Sed hoc idem expreſſius habetur ex Epiſtola eiuſdem Nicolai Secundi, ſupra relata, vbi ait non habendum eſſe pro Pontifice, qui non fuerit aſſumptus ex concordi Cardinalium Epiſcoporum electione,& ſequentium Clericorum. Electio igitur Papæ, & ad Cardinales Epiſcopos pertinebat, qui priùs inter ſe de electione tractantes, quem iudicabant, eligebant, ſicut Hugo Candidus Cardinalis Epiſcopus priùs nomine omnium Cardinalium Epiſcoporum elegit S. Gregorium Septimum, ſed hæc electio præambula erat, & quædã pars electionis, & quidam honor, qui Epiſcopis illis vti dignioribus præſtabatur,ſed poſteà per electionem aliorum Clericorum Cardinalium complebatur electionis actus, & electio tunc populo proponebatur, & eius conſenſus requirebatur, vt ex præfato decreto conſtat.

14. Quantum etiam poſſum ex dicto decreto colligere,nomen *Cardinalis* tunc competebat nedum Præsbyteris, & Diaconibus, ſed etiam Subdiaconibus, & Accolytis, aliiſque Clericis S. Romanæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ. Nam in dicto decreto electionis S. Gregor. VII. omnes præfati Cardinales vocantur ibi: *Nos Sanctæ Romanæ Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ Cardinales, Clerici, Accolyti, Subdiaconi, Diaconi, Præsbyteri, &c.* Qui enim eſſent Cardinales explicatur per enumerationem illam ſequentem ſcilicet Clerici, &c. in qua nedum Diaconi, & Subdiaconi, ſed alij Clerici numerantur. Et hoc idem habetur ex decreto Nicolai Secundi, ibi: *mox Chriſti Clericos Cardinales adhibeant,&c.*vbi abſolutè nominans Clericos, non verò Presbyteros, aut Diaconos ſatis indicat, quod omnibus Clericis S. R. E. competebat nomen *Cardinalis*, omnes enim tales Clerici principalitatem in Clero habebant, & erant regiminis vniuerſalis participes. Et certè quod antiquitus etiam fuerint Cardinales Subdiaconi probat Ciaconus ex eo, quod Fridericus Lotharingius à Victore II. & Hildebrandus Soanenſis à Nicolao II. creati fuere Cardinales Subdiaconi, & vterque ad Pôtificatum aſcendit, & ille Stephanus Nonus, hic Gregorius VII. dictus. Ita ex Ciacono, & Panuino Iacobus Cohellius de notitia Cardin.*cap.7.* vbi ex Baronio ad annum 1117. addit, quod Alexandri Tertij Nuncij fuerunt D. Diaconus S. Georgij,& D. Subdiaconus Apoſtolicæ Sedis, & Gulielmus Tinus in hiſt. Sacra *l. 22. cap. 12.* Ioannem Subdiaconum Cardinalem S. R. E. commemorat. Sed et Syluerium Papam ex S. R. E. Subdiacono Regionario fuiſſe aſſumptum ad Pontificatum refert Ciaconius in eius vita.

15. Quod verò Pandulphus Subiaconus dicebat, quod ſcilicet Epiſcopi Cardinales non habebant ſuffragium in electione intelligi debet reſpectu ſecundæ electionis,quæ ad Presbiteros, & Diaconus inferiores ſpectabat. Nam alias eius dictum tanquam contrarium decreto Nicolai Secundi, in quo continetur, vt Cardinales Epiſcopi priùs tractent de electione, & poſteà adhibeant alios Clericos Cardinales, non eſſet acceptandum. Tractare enim de electione non ſpectat niſi ad eligentes,& adhibere alios ad tractandum de electione non ſpectat niſi ad eos,qui habent in primis ius eligendi. Nam, & tractare de electione non eſt niſi eligere. Vbi enim non eſt expreſſa determinata forma eligendi, (ſicut non erat tunc determinata in electione Pontificis) ſed electio fit per expreſſum voce conſenſum eligentium, idem eſt tractare deliberatiuè de eligendo aliquo, & illum eligere,& ſic eligebatur Papa, & in iure ſub nomine tractatus venit electio, *cap. In cauſis 30. de elect. & d. cap. In nomine Domini d.23.* Ideò ex vi decreti Nicolai Secundi,quod multò ante præceſſerat electionem Gelaſij Secundi, de qua loquitur Pandulphus, quia Nicolaus Secundus fuit electus anno 1059. & Gelaſius anno 1118. Etiam Cardinales Epiſcopi eligebant, & imò prius eligebant, quam alij.

16. Eorundem verò Cardinalium Epiſcoporum munus erat electum conſecrare ad petitionem aliorum Cardinalium, & proprio. Ex quo non poteſt deduci, quod aliorum Cardinalium munus eſſet non eligere, ſed petere electionem, quia aliud eſt electio, & aliud conſecratio. Cardinales alij eligebant, & tamen non conſecrabant, ſed conſecrationem petebant. Epiſcopi verò Cardinales, ac ſi eſſent Metropolitani electum conſecrabant. Et hic eſt modus eligendi expreſſum in *d.cap.In nomine Domini.*

17. Sed non fuit hic modus omninò de nouo inſtitutus ibi à Nicolao Secundo in Concil. Lateranen. ſed erat modus antiquus, quem Nicolaus inſtructus, vt ipſe ait, prædeceſſorum, aliorumque SanctorumPatrum auctoritate confirmauit, Vndè ab antiquo Cardinales quicunque habebant ius ſuffragij in electione Pontificis. Et quia ſine dubio Pontifex ſemper fuit electus à Clericis, & Cardinales inter Clericos Romæ exiſtentes fuerunt principales, certum eſt, quod Pontifex ſemper fuit electus à Cardinalibus. Ordo tamen iſte, vt prius Cardinales Epiſcopi inter ſe tractarent, & eligerent Pontificem forſan non erat ante Nicolaum Secundum. ſed fuit per illum inſtitutus. Antiquitus verò, & alij Epiſcopi Romæ exiſtentes admittebantur ad electionem,vt ſupra ex Sancto Cypriano probatum eſt.

18. Dubitatur tertiò, à quo tempore excluſo reliquo Clero, & Populo ſoli Cardinales Epiſcopi, Præsbyteri, & Diaconi eligant Pontificem? Reſpondetur, quod v q; ad Alexandrum Tertium electio Pontificis à Cardinalibus facta eſt in Eccleſia Clero, & populo præſente: Quam vis verò in electione Alexandri non fuerit præſens tota populi multitudo, quoniam Senatores fecerant, vt portæ Eccleſiæ Vaticanæ in qua celebrata fuit electio clauderentur, electioni tamen fuere præſentes Senatores,& Clerus,& populus. Nam ipſe Alexander Epiſcopus ad Fridericum, & Canonicos Bononienſes, quam per extenſum ponit Baronius *lib. 12.* ad annum 1159. fatetur ſe electum aſſentiente Clero, & populo. Et cum duo ibi electi fuerint, ſcilicet,Alexander Tertius

legi-

Digitized by Google

legitimus Pontifex, & Antipapa Octauianus Cardinalis S. Cæciliæ dictus Victor Quartus. & primus à ſuis paucis adoratus fuerit Victor, reſeratis portis Eccleſiæ populus ingreſſus fuit, & videns Victorem ſedentem illum, vt Pontificem veneratus fuit, vt narrat Ciacconus. Quamuis poſteà veritate cognita multum fauerit pro libertate Alexandri, qui ab aliquibus Senatoribus fauentibus Victori per aliquot dies primum in mole Adriani, ad quã confugerat deindè Tranſtyberim obſeſſus, & detentus fuerat. Vnde poſteà ereptus, in Monaſterio Farfenſi coronatus fuit in fine menſis Septembris 1159. Poſt Alexandrum verò, cum ipſe in Concilio Generali ſtatuiſſet, quod nullus in futurum Pontifex habeatur niſi is, qui à duabus partibus Cardinalium ſit electus, per hanc Conſtitutionem Barboſa *l. 1. de iure Eccleſiaſtico cap. 1. num.* 56. arbitratur excluſum fuiſſe reliquum Clerum, & populum, & totam poteſtatem eligendi eſſe ad ſolum Collegium Cardinalium reductam. Verum licet dici poſſit, quod per hanc Conſtitutionem excluſi ſunt Clerici non Cardinales à ſuffragio dando, ſi prius conſuetudine ipſa non erant excluſi, ſed aliquod ſuffragium in ea habebant, non tamen fuit excluſa præſentia Cleri, & populi, ſed adhuc electio fiebat à Cardinalibus in Eccleſia, & Cęleſtinus Tertius teſte Ciaccono, anno 1191. fuit electus in Baſilica Lateranenſi coram Henrico Cęſare Barbaruſſæ filio, & prout ex Cincio Camerario, qui electionibus Papæ aderat, & cæremonias electionis viderat, refert Baronius ad annum 1191. Tertia die ſcilicet à morte Pontificis iterum omnes Cardinales congregati in Eccleſia Miſſa de Spiritu Sancto cantata tractabant de electione. Et perſcrutata omnium Cardinalium voluntate ab aliquibus de ipſis, in quem maior, & melior pars Cardinalium conueniebat, prior Diaconorum ipſum pluuiali rubeo ammantabat, & ipſi electo nomẽ imponebat, & duo de Cardinalibus maioribus addextrabant vſque ad Altare, vbi proſtratus adorabat. Primicerio cum Schola Cantorum, & Cardinalium cantantibus: *Te Deum laudamus.* Quo facto ab Epiſcopis Cardinalibus ad Sedem ducebatur poſt Altare, & in ea collocabatur, in quã dum ſederet recipiebat omnes Epiſcopos Cardinales, & quos ſibi placuiſſet ad pedes, & poſtmodum ad oſculum pacis. Ita Cencius, qui tamen vbi dicit, quod ille in quem maior, & melior pars conuenerat induebatur pluuiali rubeo, &c. intelligi debet, vt maior pars eſſet illa, quæ ex duabus tertijs partibus conſtabat, cum iam ex Conſtitutione Alexandri Tertij in Concilio Generali Lateranenſi ſtatutum fuiſſet, quod nullus cenſeretur electus Pontifex, niſi in eum conſenſiſſent duæ partes Cardinalium.

19. Habetur verò ex hoc, quod licet electio fieret in Eccleſia præſente populo non fiebat, tamen publicè, ſed per vota ſecreta aliquibus Cardinalibus aliorum vota ſcrutantibus. Conſenſus tamen Cleri, & populi nec tunc, neque nunc fuit omninò, vel eſt excluſus, ſed electio facta populo ſtatim publicatur licet ſeorſim fiat & Papa electus ad Eccleſiam deportatur. vbi populo conſentiente, & vociferante, & acclamante adoratur à Cardinalibus. Innocentium quoque Tertium Cęleſtini ſucceſſorem fuiſſe electum in Eccleſia monaſterij ad ſepta ſolis, vel ad ſeptem ſolia, narrat auctor vitæ illius apud Odericum ad annum 1198. Vbi quoque habetur, quod electio fiebat poſt cantatam miſſam de Spiritu Sancto, aliquibus Cardinalibus ad hoc electis ſcrutantibus ſigillatim vota eligentium Cardinalium, & ea in ſcripta redigentibus, & deindè ſcripta voce Collegio publicantibus. Et poſtea electio ſic facta publicabatur populo, qui cum lætitia Pontifici acclamabat. Quando tamen incęperit hic mos eligendi ſecretè Papam medijs ſcrutantibus eſt incertum, & cum hoc non eſſet de ſubſtantia talis electionis tunc; vndè, & Rota *dec. 289. num. 34. part. 4. rec.* inquit, quod ſcriptura non erat de ſubſtantia electionis Papæ, alias verò rationabile fuerit, quod prius Cardinales populo non audiente inter ſe de electione tractarent, & veriſimile eſt, quod hic modus ſecretæ electionis, vt plurimum ab initio Eccleſiæ fuerit in vſu, & quod electio ſic ſecretè habita publicaretur populo præſenti in Eccleſia. Ab Alexandro igitur tertio, vſque ad Innocentium tertiũ electio Papæ adhuc facta fuit in Eccleſia, Clero, & populo præſente, & cõſentiente. Poſt Innocentium Tertium autem in electione Cencij Camerarij de gente Sabella, qui dictus fuit Honorius Tertius, Cardinales teſte Ciaccono cæperunt ſe includere, vt citiùs, & ſecuriùs Papam eligerent, & ſic cępit excludi pręſentia populi, & Cleri. Quæ præſentia totaliter, & per legém excluſa fuit à Gregorio Decimo in Concilio Generali Lugdunenſi in Conſtitutione, quæ habetur *cap. Vbi periculum de elect. in* 6. in qua ſtatutum fuit, quod Cardinales electuri Pontificem intrà Conclaue clauſum electionem peragant.

20. Dum igitur quæritur quando Cardinales cæperint ſoli Pontificem eligere? Reſpondetur, quod ſi excluſiua excludit conſenſum Cleri, & populi adhibendum poſt electionẽ hic nunquam eſt omninò excluſus, vt benè aduertit Bellarm. *lib. 1. de Clericis cap.* Nam nunc quoque ſtatim peracta electione illa per vnum Cardinalem publicatur populo, & electus ſtatim defertur ad Eccleſiam, & coram populo à Cardinalibus adoratur. Alias verò nunquam populi conſenſus fuit de ſubſtantia electionis, ità vt legitimè electus à Clero non fuiſſet verè Pontifex, ſi populus conſentire electioni noluiſſet. Præſentia verò populi cœpit excludi cum anno 1216. Cardinales cæperunt ſe includere ad Papam eligendum, & primus ſic electus fuit Honorius Tertius. At verò ſi excluſiua *ſoli* excludit reliquum Clerum ab electione, non hæc incæpit à tempore Alexandri Tertij ſtatuentis illum cenſendum Papam, qui à duabus partibus Cardinalium fuerit electus. Nam, & multò antè Nicolaus Secundus ſtatuerat, vt electio fieret ab Epiſcopis Cardinalibus adiunctis alijs Cardinalibus Clericis, Verum quia vt ſupra viſum eſt poſt Nicolaum Secundum, Gregor. Septimus electus fuit etiam à Clericis, Acolytis, & Subdiaconis, qui tamen dicti ſunt Cardinales, dicendum eſt, quod Epiſcopi Præsbyteri, & Diaconi

coni

coni Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſoli cæperunt eligere Papam per excluſionem Subdiaconorum, Acolytarum, & Clericorum, quando deſierunt iſti inſigniri titulo Cardinalis. Nam ex decreto Nicolai Secundi ſoli Clerici Cardinales adiungendi erant Epiſcopis Cardinalibus in electione Pontificis. Et ſic ſaltem â tempore Nicolai Secundi Clerici non Cardinales excluſi ſunt ab electione Pontificis, & certè tunc ſolũ ſtatuta eſt lex, quæ ſolis Clericis Cardinalibus daret poteſtatem eligendi Pontificem.

Dubitatur quarto, an nunc omnis Cardinalis habeat ius ſuffragij in electione Pontificis? Reſpondetur, quod omnis Cardinalis habet in habitu ſuffragium ad eligendum Papam, ſed nonniſi dependenter ab aliquibus conditionibus illo vti poteſt.

22. Et ſi inquiratur, quæ ſint conditiones requiſitæ in Cardinali ad hoc, vt poſſit exercitè Papam eligere? Reſpondetur, quod valde paucæ ſunt. Ex his verò de iure naturæ neceſſarius eſt libertatis vſus expeditus, vt Cardinalis humano modo liberè eligat, quem iudicauerit eſſe eligendum. Hinc eſt, quod Cardinalis fatuus tempore fatuitatis, & ſtultitiæ validè non eligeret. Quod enim in eligentibus eſt neceſſarium de iure naturæ, etiam in Cardinalibus eligentibus Papam eſt neceſſarium.

23. Secunda conditio eſt, vt ſaltem ſit promotus ad ordinem Diaconatus, ſic enim ſtatuit in ſua Conſtit. Pius IV. §. *Statuimus etiam, & declaramus; quod ſi fortè aliquis Cardinalis ſaltem in Diaconatus ordine conſtitutus non fuerit, is nullatenus ad eligendum admitti debeat*. Et idem ſpecialiter ſtatuerunt Sixtus V. & Gregor. XV. nihilominus Cardinales, ſi qui ſunt non Diaconi, â Põtifice illos creante per ſpeciale breue diſpenſantur, vt ex Lauor. *tit. 4. cap. 6. n. 32.* refert Barboſa *l. 1. de iure Eccleſ. cap. 1. num. 75.* Quamuis quia Conſtitutio Pij IV. non irritat votum Cardinalis non Diaconi, ideò ſi talis admittatur ad electionem votum eius non eſſe irritum tenet Bonacina *de elect. Pontif. qu. 1. p. 1. num. 6.* Sed hoc non ſubſiſtit, quia ad hoc, vt votum ſit nullum ſufficit, quod quis non habeat poteſtatem ſuffragandi, quam non habet Cardinalis non Diaconus.

24. Tertia conditio eſt, vt ſit præſens intra Conclaue ad eligendum deputatum, qui enim extra conclaue ſunt, nullum ius ad eligendum habent niſi conclaue intrent, vt decreuit Gregor. X. in Concil. Lugdun. & habetur *cap. Vbi periculum de elect. in 6.* vbi Geminian. & Francus, & alij Canoniſtæ. Et hoc idem expreſsè continetur in Conſtit. *Aeterni Patris*, & Gregor. XV. & ad *Romani Pontificis* Vrbani VIII. & de hac conditione iterum erit ſermo infra, cum de Cõclaui tractabitur, vbi quod electio Papæ non poteſt fieri per Procuratorem.

25. Quarta conditio poſſet addi, quod ſcilicet Cardinalis non ſit Simoniacus ex eo, quod quod elegerit aliquem in Pontificem ſimoniacè, quia talis ex vi Conſtitut. Iulij Secundi *Cum tam diuino. §. Cardinales*, eſt ipſo iure abſq; declaratione priuatus Cardinalatu, niſi reliquis Cardinalibus non Simoniacis infra octo dies poſtquã ab eis requiſitus fuerit illis ſe vniuerit, & iunxerit. Cum ergo iſte talis non ſit Cardinalis non habet vocem in electione Pontificis. Suar. *lib. 4. de ſimonia cap. 57 n. 57.* & alij exiſtimant Bullam Iulij Secundi, non eſſe vſu receptam, vel fuiſſe reuocatam per Conſtit. Pij Quarti in eligendis, quod negant Bonacina *q. 1. p. 1. n. 8.* & alij. Sed de hoc dicendum erit infra cum de ſimoniaca electione erit ſermo. Interim tamen dici poteſt, quod mens Pij Quarti, & poſtea Gregorij XV. fuerit excludere omnem occaſionem diuiſionis. & ſchiſmatis, & quod ex conſequenti voluerint adminus nullam pœnam inhabilitatis ad electionem habere locum in Cardinalibus quantum ad effectum priuandi eos electione ipſo facto, & ideò expreſſerunt ſolum Cenſuras, quia iſtæ incurruntur etiam in conſcientia ante declaratoriam. in alijs autem pœnis, vt in pœna priuationis Cardinalatus, quia non incurritur ante ſententiam declaratoriam non fuit opus illa expreſſione. Et præcipuè in caſu Bullæ Iulij Secundi, in qua decernitur, quod qui elegit primò ſimoniacè ſit liber à pœna, ſi poſtea eligat ſine ſimonia. Et adhuc etiam ſi talis Cardinalis ſimoniacus eſſet in conſcientia, & non poſſit licitè eligere priuatus Cardinalatu non eſſet priuatus electione, quia haberet exterius titulum coloratum donec tolleraretur, & non declararetur ſimoniacus, vel aliquis contra eius votum non exciperet, & eius actus, & actiua electio ratione publici officij eſſet valida.

26. Dummodo igitur quis ſit legitimus Cardinalis mente ſanus, & præſens intra Conclaue, & Diaconus nihil eſt, quod eum impediat ab actiua electione, non ſcilicet, quia ſit creatus de recenti, & nondum acceperit pileum rubrum, vel ei non fuerit os aut clauſum, aut apertũ. Prout ſtatuit Pius V. in decreto, quod refert, & confirmat Greg. XV. *in Cæremon. §. porrò 7.* Azor. *p. 2. l. 4. c. 2. q. 7.* Lauor. *tom. 1. tit. 4. cap. 6. n. 20.* Diana *p. 5. to. 2. reſol. 74.* Bonacin. de elect. Pontif. *q. 1. p. 1. n. 4.* Barboſa de iure eccleſiaſtico *l. 1. c. 1. n. 72.* nec excommunicatio, aut cenſura aliqua quæcunque ſit illa, quia ipſa manet ſuſpenſa reſpectu huius effectus, nec impedit quin Cardinalis poſſit validè eligere, vt declarauit Clemens V. in Clement. *ne Romani* de elect. & Pius Quartus in Conſtit. *in eligendis §. & ne diſſenſionis*, & Greg. XV. in Conſtit. *Aeterni Patris §. volumus etiam*, Silu. *v. excommunicatio 9. n. 6.* Lauor. *tom. 1. tit. 3. c. 3. n. 18.* Barboſa vbi ſupra *n. 31.* Bonac. vbi ſupra. Sed cum Alexander Tertius in Concilio Lateran. vt habetur *cap. Licet de elect.* ſtatuerit, quod contra electum à duabus ex tribus partibus Cardinalium nulla detur exceptio, ſimul ex hoc colligitur, quod nullus defectus, aut culpa, aut irregularitas, aut priuatio vocis, aut inhabilitas eligẽtium poteſt nocere electioni, quia aliter contra electionem factam à duabus partibus Cardinalium poſſet dari exceptio, quod ibi prohibetur.

27. Dubitatur quintò. An Cardinales poſſint ad electionem extraneum admittere? Reſpõdetur ſi id fieret non vitiaret electionem, ſed merè inutiliter fieret, quia electio Papæ ad ſolos

Car-

Cardinales ſpectat, vt ille ſolus ſit cenſendus electus, qui eſt electus à duabus partibus Cardinalium *cap. licet de elect.* Greg. XV. *Conſtit. Aeterni Patris*, &c. cum verò Cardinales alios Cardinales creare non poſſint, nec poſſunt aliquem admittere ad electionem. Bonacin. *vbi ſupra n.* 2. Et tamen ſi id fieret non vitiaret electionem ſi alias electus fuiſſet nominatus à duabus partibus Cardinalium; nam in hoc ſtat modò ſubſtantia electionis, Gregor. XV. *in Conſtit. Aeterni Patris &c. §. quod ſi electio huius modi &c.* & ita cuiuſcunque non Cardinalis ſuffragium eſſet inutile, & tanquam inutile neque prodeſſet, neque obeſſet valori electionis.

28. Dubitatur 6. an Cardinalis in Conclaui iam exiſtens poſſit renunciare voci ſuæ? Lauor. *de elect. cap. 6. n.* 44. hoc negat re non exiſtente integra, ſcilicet quando Cardinales ſunt coadunati, & ſunt in tractatu de eligendo Summo Pontifice; quoniam re non integra tenentur dare votum. Abb. *in cap. publicato n.* 12. *& n.* 45. deducit citatis Hoſt. & Io. Andr. *in cap. cum pridem de renunciat.* & Laud. Card. *q.* 37. Cardinalem in præſentia Cardinalium non poſſe renunciare ſuæ voci, quamuis non obſtante renunciatione adhuc eligere poſſet, quia tale ius eſt publicum cui renunciari non poteſt. Ius publicum *ff. de pactis. Laud. q.* 33. Manfred. *deciſ.* 298. Verum in oppoſitum eſt, quod nullum eſt ius, quod prohibeat electoribus renũciare ſuæ voci. Et quidem Cardinales omnes non poſſunt renunciare electioni Papæ, & hoc eſt ius publicũ Eccleſiæ, cui Cardinales renunciare non poſſunt quia non datur in terris ſuperior, qui poſſit prouidere de Pontifice, & de iure non ſunt alij electores Pontificis, quàm Cardinales. Quamobrem nedum re non integra, & dum iam Cardinales ſunt in tractatu eligendi Papam, ſed abſolutè, & antè etiam ingreſſum Conclauis, ſi tempore debito renuant intrare Conclaue, nedum poſſunt, ſed debent compelli, vt ſaltem aliqui ex illis ingrediantur, vt infrà amplius probatur. Et quamuis iuſtè non poſſint compelli, vt eligant in determinato tempore poſtquam ingreſſi ſunt Conclaue, tamen ſi compellerentur, eſſet compulſio ad exercitium eligendi quę nõ vitiat electionẽ. Verum aliquibus ingredientibus nec alij poſſunt compelli, vt ingrediantur Conclaue, & aliquibus eligentibus alij ſuæ voci poſſunt renunciare. Nulla eſt enim lex, quæ hoc prohibeat. Bonacin. *diſp.* 1. *q.* 1. *p.* 1. *n.* 7. Quamuis verum etiam ſit, quod poſt renunciationem ſi pæniteant admittendi ſunt ad electionem in ſtatu, & terminis, vt de Cardin. tradit Bonac. ibid.

29. Verũ mihi dicendũ videtur, quod de iure cõmuni Cardinales poſſunt renunciare, & ſi aliquis eorum renunciare vellet, & renunciaret, aliorum electio valida eſſet, vt probat ſecunda opinio. Sed ex iure ſpeciali conſtit. Greg. Decimiquinti *Aeterni Patris &c.* quilibet Cardinalis intra Conclaue exiſtens, & nõ impeditus actuali infirmitate ſub pæna excommunicationis conuenire debet manè, & veſpere ad ſcrutinium, quod eſt conuenire debere ad electionem perficiendam dando ſuum ſuffragium; & ita nedum quando Cardinales ſunt coadunati in tractatu, ſed ex quo ſunt in Conclaui tenentur ad ſcrutinium bis in die conuenire. Et certè non conuenit, quod intrà Conclaue maneant Cardinales ſi nolint adeſſe ſcrutinio, & exercitè ſuffragari, quia in Conclaui non admittuntur niſi vel Cardinales electores, vel miniſtri electorum. Quod vero habet Tuſcus litt. *E. concluſ.* 58. *n.* 12. ex Gloſſ. *in cap. licet v. nullatenus de elect.* ſcilicet, quod Cardinales compelli poſſunt, vt concordent, non habet fundamentum, quia immo *in cap. vbi periculum §. præterea* executoribus dictæ decretalis præcipitur, vt non præſumant arctare Cardinales pluſquam in ea decretali præmittitur. Et licet in ea ſtatuatur, vt poſt octo dies ſi non cõcordauerint dentur Cardinalibus ſolum panis, vinum, & aqua, tamen hoc moderatum fuit per Clem. VI. *in conſtitut. licet §. ac etiam*, & conceſſum, vt præter panem, vinum, & aquam poſſint habere vnum ferculũ, ſeu miſſum carnium vnius ſpeciei tantummodo, aut piſcium, ſeu ouorum, cum vno poragio de carnibus, vel piſcibus principaliter non confectis, & decentibus ſalſamentis, vltra carnes ſalitas, & herbas crudas, ac caſeum, fructus, ſiue electuaria. Ex quibus tamen nullum ſpecialiter ferculum conficiatur niſi ad condimentum fieret, & ſaporem. Quod fuit confirmatum à Pio Quarto in *Conſtitutione In eligendis §. Cardinales autem*. Vbi quod nullus Cardinalium in alterius Camera, & de alterius ferculo veſcatur. Magis igitur nec in cibo, nec in aliquo alio arctari poſſunt Cardinales, quam ſit expreſſum in conſtit. Pontificijs. Nullibi autem legitur, quod poſſint compelli, vt concordent. Benè compelli poſſunt, vt aliqui eorũ ingrediantur Conclaue, & de facto per brachiũ ſeculare eos fuiſſe recluſos in electione Honorij tertij, iudicat Bernardus in Chronic. apud Raynaldum ad an. 1216 *n.* 17. ſic dicens. *Vacauit ſedes per vnam tantum modo diem, Peruſinis cauſa electionis Papæ ſtrictiſſime arctatibus Cardinales*, Et de electione Coeleſtini IV. Richardus apud eundem Raynaldum habet *Cardinales, qui in vrbe ad electionem conuenerant per ſenatorem, & Romanos apud Septiſolium includuntur, vt ad creandum Papam inuiti procedant*, & in electione Ioan. XXII. Cardinales à Philippo Comite Andegauenſi innitos in Conclaui parato in Conuentu Prædicat. Lugduni fuiſſe incluſos, narrat Ciacconius.

Vbi habenda ſit electio Pontificis, ſi ipſe extra Romam moriatur.

QVÆSTIO VIII.

1. QVæritur octauo vbi habenda ſit electio Pontificis, ſi ipſe extra Romam moriatur? Poſtquam oſtenſum eſt qui ſint electores conſiderandum eſt de loco huius electionis. Cum aut hic duplex ſit, ſcilicet communis, & priuatus, qui dicitur Conclaue, primò de communi loco eſt queſtio. Eſt verò certum communiter in Vrbe habendam eſſe Pontificis electionem, quia ibi eſt eius ordinaria habita-

Digitized by Google

bitatio, ſed quia contingere poteſt, quod Pontifex extra Romam terminnm vitæ compleat, quæritur vbi tunc habenda ſit futuri Pontificis electio. Reſpondetur autem de hoc loco Nicolaum Secundum in Conc. Laber. ann. 1079. ita diſpoſuiſſe. *Quod ſi prauorum atque iniquorum hominum ita peruerſitas inualuerit, vt pura, ſincera, atque gratuita fieri in Vrbe non poſſit electio, Cardinales Epiſcopi cum Religioſis Clericis, catolicisq; laicis, licet paucis, ius poteſtatis obtineant eligendi Apoſtolicæ Sedis Pontificem, vbi congruerit,* & Gregor.X.in Cocil.Lugdunen.ita ſtatuit *cap. vbi periculum de elect.in ſexto. Hoc ſacro Concilio approbante ſtatuimus, vt ſi eundem Pontificem in ciuitate, in qua cum ſua Curia reſidebat, diem claudere contingat extremum, Cardinales qui fuerint in ipſa Ciuitate præſentes, abſentes expectare &c.* & infrà §.Porrò.*Si quando Romanum Pontificem extra Ciuitatem prædictam, in qua erat cum ſua Curia reſidens, contigerit ab hac luce migrare, teneantur Cardinales in Ciuitate, in cuius territorio, ſiue diſtrictu idem Pontifex obijt conuenire, niſi ſit forſan interdicta, vel contra Eccleſiam Romanam in aperta rebellione perſiſtat, quo caſu in alia viciniori conueniant, quæ ſimiliter, nec ſit interdicta, nec ſit vt prædicitur apertè rebellis.* Clemens verò V. *in Concil. Viennenſis hoc decretum explicauit, & ei aliquid addidit in Clem. ne Romani de elect.* §. *ſanè cum iuxta conſtitutionem prædictam Papa extra ciuitatem in qua erat cum ſua curia moriente, in Ciuitate, in cuius diſtrictu, ſeu territorio moritur, ſit regulariter ſucceſſoris electio celebranda, diſtrictus, ſeu territorij nomine, Diæceſim hoc caſu intelligendam fore cenſemus. Eo autem adiecto, quod ſi in certo loco cauſarum, & litterarum Apoſtolicarum audientia remanente Papam alibi mori contingat, non ibi, ſed vbi prædicta fuerit audientia memorata electio celebretur, etiam ſi eadem audientia tempore mortis huius vacare noſcatur, & niſi forte ante mortem eandem ordinatum eſſet per Papam de Curia transferenda, quo caſu ſeruetur prouiſio Conſtitutionis prædictæ.*

2. Iuxtà verò huius decreti ſeriem Clemens VII. diſceſſurus Roma in ſua conſtit. *Cum chariſſimus.* Data Romæ anño 1528. pridie nonas octobris Pontificatus ſui anno 4. hæc ſtatuit: *Cognoſcẽtes* inquit *ad officium noſtrum pertinere pro ſalute Gregis Dominici nobis commiſſi periculo vitæ nos exponere, & ad Ciuitatem ipſam Bononiæ omni celeritate, & mora ceſſante nos conferre, in Alma tamen Vrbe noſtra cauſarum, & litterarum Apoſtolicarum audientiam relinquentes, ac relinquere declarantes ad effectum, vt ſi ante reditum noſtrum ad Vrbem ipſam nos ab hac luce migrare contingerit, in ipſa Vrbe, in qua audientiam memoratam relinquimus, & non in Ciuitate Bononiæ, ſeu in alio loco, in quo tempore noſtri obitus cum Curia reſideremus, electio Romani Pontificis fieri debeat, niſi ipſa Vrbe tunc interdicta, vel contra Eccleſiam Romanam in manifeſta rebellione perſiſteret, ſeu de impreſſione dubitaretur &c.* Et eandem Conſtitutionem Pontifex idem innouauit alia ſimili conſtitutione incipiente *licet,* & data Romæ anno 1533. Pontificatus anno Decimo.

3. Conſimilem quoque declarationem habuiſſe Clem. VIII. cum Roma verſus Ferrariã eſſet diſceſſurus legitur in actis Conſiſtorialibus in quibus lecta fuit eius conſimilis conſtitutio ſub die 30. Maij 1598. prout refert Coccinus in Gloſſam ad Conſtitut. Gregor. XV. §. *hac noſtra* pag. 158. à tergo. Et idem Pontifex, quod in ea occaſione, & diſceſſu audientia remaneret Romæ, declarauit in ſua Conſtitut. 52. §. 1. in qua in Legatum Vrbis inſtituit Inicum de Aualos Cardinalem de Aragonia ſub die 3. Aprilis 1598. & idem etiam ſub die 10. eiuſdem menſis, & anni declarauit in breui, in quo declarauit, quod officiales, & Curiales tàm ſequentes Sanctitatem ſuam, quàm Romæ remanentes eſſent verè Curiales, & Curialium priuilegijs potirentur. Sed & priùs conſimilem declarationem habuerant in deputatione Cardinalis de Monte Epiſcopi Portuenſis in Legatum Vrbis Clemens VII. Kal. Octob. 1529. vt habetur in eius Conſtitutione impreſſa in quodam Bullario antiquo fol. mihi 69. & in deputatione Vincentij Cardinalis Neapolitani in Legatum Vrbis Paulus Tertius diſceſſurus Placentiam verſus in ſua Conſtitutione 16. in nouo Bullario.

4. Circa huiuſmodi Conſtitutiones autem aliqua ſunt conſideranda. Et quidem primò aduertendum eſt, falſam eſſe, & communiter reprobatam opinionem Gloſſæ in *cap. in nomine Domini, in verb. fieri in Vrbe,* vbi voluit locum eſſe de ſubſtantia electionis Papæ, ita vt ſi alibi fiat, quàm in loco determinato per iura electio ſit nulla. Nam leges hanc nullitatem non imponunt, & alias nec de iure communi locũ nõ eſſe de ſubſtantia electionis docuerunt in dicto *cap. in nomine Domini* Archid. *num.* 17. Bellarm. *num.* 11. Gemin. *num.* 16. Turrecrem. *num.* 18. Card. Alex. *col.* 6. Barboſa *num.* 12. *& in cap. vbi periculum de elect. in* 6. Archid *col.* 2. Io: Andr. *num.* 1. But. *num.* 12. Gemin. §. *hoc ſacro num.* 4. Franc. *n.* 7. *& in Clemen. Ne Romani* §. *ſanè* Card. *num.* 1. Vital. *num.* 44. Anchar. *num.* 6. quos ſequitur Campanil. *in diuerſ. Iur. Canon. rub.* 7. *cap.* 6. *num.* 55. Quod tamen eſt intelligendum, niſi Papa aliud decernat, ſicut fecit Clemens VII. in ſupracitata eius Conſtitut. determinando electionem irritam ſi fuiſſet habita alibi, quam ipſe in ea Conſtitutione decreuerat.

5. Tamen magna neceſſitas eſt obſeruandi ſtatuta præfata ad fugiendas diſſenſiones, & ſchiſmata, & Cardinales præſentes in eo loco ſecurè tempore à lege ſtatuto poſſint eligere Papam, abſque eo quod abſentes, vel de iure, vel ex prætextu quocunque poſſint excipere contra electionem, & agere de contemptu.

6. Conſiderandum eſt ſecundo quod ex *d.* §. *quod ſi prauorum cap. in nomine Domini diſt.* 23. bene Præpoſ. *num.* 7. deducit, quod ſi contingat electionem puram, ſinceram, & gratuitam non poſſe haberi in Vrbe, vel in aliquo loco, Cardinales tenentur exire locum, & ad alium habilem accedere, & exeuntes habent poteſtatem eligendi Pontificem non tamen ſi minor pars ſit illa, quæ exeat. Nam licet de iure communi vbi locus electionis non eſt tutus maior pars non poſſit obligare minorem ad ibi eligendum, ſed imò tunc minor pars poſſit maiorem cogere ad hoc vt in loco tuto fiat electio Gloſ. *in cap. bonæ* 23. *in ver. ſecurè de elect.* Panorm. *ibid. num.* 1. *&* 2.

In

Digitized by Google

In electione tamen Papæ in his caſibus in quibus ex accidenti neceſſitate mutandus ſit locus, aut tempus electionis iudicio Sacri Collegij negotiū eſt deliberandum, & ſtandum eſt eius deliberationi, vt probo infra. Ideo ſub prætextu neceſſitatis, aut metus non licet minori parti contra deliberationem Collegij exire, & locum electionis mutare.

7. Conſiderandum eſt tertio quod cum modo ad electionem Pontificis non admittantur niſi Cardinales, & quidem ſine differentia inter Epiſcopos, & alios, ideo in caſu, in quo non poſſet haberi electio in loco tuto, prout in *d.* §. *Quod ſi prauorum*, diſponitur, tunc non ad alios Clericos, aut Laicos, ſed ſolos Cardinales indifferenter ſpectaret, vt ſcilicet ad locum habilem accedentes ibi Pontificis electionem haberent.

8. Hoc etiam conſiderandum eſt, quod in quocunque caſu ſemper iura petunt, quod hæc electio fiat in Ciuitate, vt ex citatis teſtibus patet, vnde ſi Papa moriatur in Diæceſi habenda eſt electio in Ciuitate ipſa, vt benè per Caſtrenſem *conſil.* 60. *per tot. lib.* 1. & *Decian. conſ.* 33. *num.* 101. *lib.* 3. & ideo non poſſet electio fieri in Oppido ſed in Ciuitate, in qua eſt Cathedralis, & reſidet Epiſcopus in cuius Diœceſi eſt locus, ſibi obijt Pontifex. Et nihilominus ſi in Oppido inſigni intra Diæceſim diem vltimū obiret Pontifex, poſſe ibi haberi ſucceſſoris electionem aduertit Franc. *cap. vbi periculum* §. *ſanè de elect. in 6. num.* 3. Sicut ſi Papa moriatur in Diæceſi, in qua non ſit Ciuitas, quia *v. g.* ſit deſtructa, Card. in Clem. ne Romani §. *ſanè in princ.* & Anchar. *in verſ. porrò v.* 3. dicunt, quod electio Papæ habenda ſit in Ciuitate viciniori, & Anchar. *ibid. num.* 1. putat idem dicendum eſſe ſi Papa moriatur in diſtrictu alicuius loci inſignis, vt ſcilicet in eo habenda ſit electio, quia pro Ciuitate habetur, & idem ſi Caſtrum non eſſet de alicuius territorio, ſed de per ſe haberet priuilegia. Et licet caſus videatur omiſſus, non tamen habetur pro omiſſo, cum ſit ſimilis expreſſo: Oldrad. *conſ.* 223. *num.* 33. Vbi quod quando caſus venit ex interpretatione, & non ex extenſione etiam in odioſis habetur pro expreſſo, Signorel. *conſ.* 14. *num.* 3. maximè cum militat eadem ratio Anchar. *conſ.* 350. Dec. *in cap.* 2. *num.* 76. *de probat.* Et tunc in Ciuitate ſubrogata debent ſeruari omnia quæ ſeruari deberent in alia Ciuitate, Anchar. *in cap. Vbi periculum* §. *Porrò, in fin.*

9. Nunc verò non eſt amplius diſputandum de territorio vel diſtrictu Ciuitatis. Quoniam Clemens V. declarauit ſub illis nominibus nunc intelligi diæceſim, & ità non debet attendi temporale dominium alicuius Ciuitatis, ſed eius ſpiritualis extenſio, & Diæceſis, vt ſi Pontifex decedat alicubi attendi debeat ad cuius Vrbis Diæceſim ſpectat locus, & in ea Ciuitate habenda ſit electio.

10. At quid dicendum ſi Papa moriatur in loco nullius Diæceſis, ſeu in loco nulli vbi ſubiecto? Barboſ. *d. quæſt.* 3. *num.* 4. tenet, quod tunc electio habenda eſt in loco iudicato opportuniori à Cardinalibus, & citat inter alios Gemin. *in cap. vbi periculum*. Qui aliter ſentit §. *Porrò, num.* 1. docens tunc electionem habendam eſſe in loco magis propinquo. Et hoc dicendum eſt. Nam ſolus locus propinquior in hoc caſu eſt locus, ad quem abſentes cenſeantur citati de iure.

11. Sed quid dicendum in caſu, in quo Pontifex mortuus eſſet in mari? Gloſſ. *in princ.* & *in verb. territorio*, putat inſpiciendum eſſe an Ciuitas aliqua diuidat etiam mare, & partim ſibi de iure conuenire prætendat, & tunc inquit electionem fieri debere in ea Ciuitate, ad quam ſpectat illa pars maris, in qua Pontifex vita functus fuit, alias verò in Ciuitate propinquiori. Et idem ſenſit Gemin. *ibi* §. *Porrò num.* 2. Francus abſolutè aſſerit, quod in vicinìori Ciuitate habenda ſit electio Papæ in illo caſu. Et hoc, probabiliùs dicitur. Aduertit etiam Barboſa, *cap. vbi periculum num.* 6. & Couar. & Rebuff. quod nomine Ciuitatis venit portus.

12. Sed iam huiuſmodi difficultates, vt plurimum ceſſant ex diſpoſitione Clem. *Ne Romani*, diſponentis, quod non vbi moritur Pontifex, ſed vbi manet audientia cauſarū, & literarum Apoſtolicarum fieri debeat Pontificis Succeſſoris electio. Et ſic nec Territorium, nec diſtrictus, nec Diæceſis attendi debet, ſed audientia Apoſtolica, vt ibi celebretur electio vbi reſidet cauſarum Apoſtolicarum audientia. Et ità deciſum fuiſſe Romæ in morte Pij II., qui obijt Auenione, Curia exiſtente Romæ ex Card. Alex. refert. Bonacin. *quæſt.* 3. *num.* 4. meritò autem ità fuit determinatum, vt electio habeatur in loco, vbi eſt Papæ audientia, quia ibi Papa mori videtur, dum moritur; nam vbi quis tenet familiam, videtur habere domicilium, quod non mutatur, niſi dum tota familia transfertur *l. prædia marittima ff. de fund. inſtruct.* vbi Bartol. habet, quod quando quis recedit relicta familia, & rebus non videtur habere animum transferendi domicilium. Non enim videtur diſceſſiſſe, qui de proximo eſt reuerſurus, quia fingitur ibi reſidere propter animum redeundi Barbat. in Clem. *ne Roman.* §. *eo tamen num.* 1. Card. *num.* 2. Panorm. *in cap. Cum dilectus nu.* 5. *fin. de Cler. non reſiden.* Gemin. *in cap. vnico num.* 2. *eod. tit. in 6.* Io: de Platea *in l. quoties in num.* 4. *C. de priuil. Schol. Rebuff. eodem tract. priuil.* 2. *num.* 1.

13. Hic tamen caſus exceptus fuit, ſcilicet, ſi Pontifex ordinaſſet Curiam eſſe transferendā ad alium locum, & antequam de facto translata eſſet mors Pontificis accideret, quia tunc ſeruanda eſſet lex Gregor. X. vt Papa eligeretur in ea Ciuitate, in cuius Diæceſi exiſtens Papa moreretur. Quod verò Gemin. *num.* 3. & Franc. *num.* 5. dixerunt curiam eſſe vbi eſt Papa, id intelligitur de loco vbi Papa habitat, non verò vbi Papa ex aliquo accidenti reperitur. In idem verò coincidunt Curia, & audientia, & ibi eſt Curia vbi eſt audientia, etiam ſi ibi non ſit Papa prout dixerunt Couaru. *pract. cap.* 4. *num.* 10. Garzias *de benef. par.* 5. *cap.* 1. *num.* 388. Perez apud Barboſam *in d. Clem. num.* 17. Verum Curiam diſtingui ab audientia conſtat ex præfata Conſtitut. Clem. VII.

In tribus tamen caſibus non eſt habenda electio vbi eſt audientia, ſcilicet ſi ille locus ſit

interdictus, ſecundo ſi ſit rebellis Sedi Apoſtolicæ apertè, & perſiſtenter. *cap. vbi periculum* §. *Porrò*, & tertio ſi ibi timeatur de impreſſione, Clem. VII. in Conſtitut. *Cum chariſſimus* ſupra relata. Vrgente tamen neceſſitate electionis poſſe eam haberi etiam in loco interdicto docent Iacobat. *lib. 4. art. 4. num.* 94. Bonac. *quæſt.* 3. *num.* 4. Electionem etiam factam contrà prohibitionem in loco interdicto eſſe validam benè docuit Gloſſ. *in cap. vbi periculum v. interdicto*. Et contra Gloſſ. *in c. in nomine Domini verb. fieri in Vrbe*, dixerunt ibid. Turrecrem. *nu.* 18. Gemin. *num.* 10. Bellarm. *num.* 11. Archid. *num.* 17. Card. in Clem. *ne Romani* §. *ſanè num.* 2. & 3. Vital. *num.* 48. & 49. 50. & 51. Anchar. ante finem: & tenent DD. docentes locum non eſſet de ſubſtantia electionis, quos ſupra retuli.

14. Quod ſi iu loco vbi eſt audientia eſſent ſolum duo Cardinales, imò vnus ſolus expectatis alijs ad tempus præſcriptum illi, vel ille eligere poſſet Gemin. *ibid. num.* 4. Sed de hoc infrà dicam vberius. Et attendi etiam debet, quod cum ex Conſtitut. Gregor. XV. ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ debeat celebrari miſſa de Spiritu Sancto ante electionem, hoc non poſſet fieri in loco interdicto ſine graui peccato, niſi in caſu tantæ neceſſitatis, quæ excuſaret ſaltem à miſſæ celebratione.

15. Quid verò dicendum ſi Papa cederet Pontificatui? In idem coincidunt, & paria ſunt Papam obijſſe, & Papatui eum renunciaſſe, Gloſſ. *in d. Clem.* §. *ſanè n.* 1. Gonzalez *ad reg. Cancell.* 8. §. 5. *prohem. num.* 27. Viralin. *n.* 3. & 4. Imol. *n.* 39. Accidit prorſus vacantiæ Papatus, quod ſit ex hac, vel illa cauſa, nec eſt in ſe alterius rationis, & neceſſitatis ſi proueniat vel ex morte vel ex ceſſione anteceſſoris, vnde hoc non variat modum electionis. Nam & Papa qui renunciauit habetur pro mortuo. Quæri tamen opportunè hic poteſt, an in caſu, in quo Papa renunciet vbi & quando dicatur vacare Papatus? Pendet autem huius queſtionis reſolutio ab ea, an ad validam Papæ renunciationem ſit neceſſaria acceptatio Cardinalium. Si enim hæc eſſet neceſſaria, Papatus vacaret vbi, & tunc cum Cardinales renunciationem acceptarent ad *text. cap. 2. de prob. in 6.* etiam ſi Papa eſſet abſens, quia tunc ſi Papa conſtitueret Procuratorem vbi iſte renunciaret, & Cardinales acceptarent vacaret Papatus Io. Andr. *in d. cap. 2. num. 2. de probat. in 6.* Rota *dec. 1. num.* 5. *de rerum permut. in nouis*. Verum quid quid voluerit Hugo ſentiens Papam debere renunciare in manibus Cardinalium, dicitur, quod cum Papa non habeat Superiorem in terris, ſufficit, quod renunciando mentem ſuam, & voluntatem demonſtret Eccleſiæ, vbicumque, & coram quibuſcumque id faciat, & ſe eſſe priuatum adminiſtratione declaret. Vincent. quem refert, & ſequitur Io. Andr. *in cap. 1. de renunc. ante finem* Archid. *ibid. in fin.* Gemin. *n.* 10. Et ideo ibi, & tunc vacat Papatus, vbi, & quando Papa declarat ſe illi renunciaſſe. In caſu vero depoſitionis vacaret Papatus vbi, & tunc cum ferretur ſententia depoſitionis, ſeu declarationis eius hæreſis incorrigibilis, ſiue ibi Papa eſſet, ſiue eius Procurator, ſiue ille contumax abeſſet, quia tunc haberetur pro præſente Verall. *dec.* 48. & 327. *p.* 3. Panuin. *de poteſt. & offic. Capit. Sede vacante prælud. 7. num.* 12.

16. Si autem fiat quæſtio de loco loci hunc eſſe Palatium Apoſtolicum, vbi electio habetur in loco habitationis Pontificis cum ſua Curia dicitur in *cap. vbi periculum* §. *Hoc ſacro*. Sed ſi extra illam Ciuitatem electio ſit habenda domus Epiſcopi, vel alia ad beneplacitum Cardinalium eligi debet. Hoc vero aliqui ità intelligunt, vt ſit omnino de ſubſtantia, & ita quod electio etiam ſi habita in Conclaui clauſo irrita ſit, ſi extra Palatium Apoſtolicum Conclaue ſit conſtructum. Quod probant, quia cum Gregor. XV. *in Conſtitutione Aeterni Patris* inhęreat Conſtitutioni Gregor. X. de eo Conclaui loquitur, dum irritat electionem habitam extra Conclaue de quo loquutus fuit Gregor. X. dum ſtatuit electionem, & Conclaue conſtituendum eſſe in Palatio Apoſtolico. Sed hoc nullum habet fundamentum, & eſt contra communem ſenſum DD. volentium, quod locus non ſit de ſubſtantia electionis. Et Gregor. XV. vult, vt electio non habeatur niſi in Conclaui clauſo, ſed de loco Conclauis nihil decernit. Et dato, quod inhæreat Conſtitutioni Gregorij X. *in Concil. Lugdunen.* nihil ex hoc concluditur. Nam cum ex vi dictæ Conſtitutionis non ſit de ſubſtantia electionis, quod Conclaue fiat in Palatio Apoſtolico, vt aduerterunt Vital. *in Clemen. ne Romani* §. *ſanè num.* 45. Archid. *in cap. In nomine Domini diſt.* 23. *num.* 17. & ibi Bellam. *num.* 11. Gemin. 16. Turrecrem. *num.* 18. Card. *Col.* 6. Gloſſ. *v. in vrbe. Et in cap. vbi periculum* Gemin. §. *hoc ſacro num.* 4. & apud eum Paulus de Eleazaris Gloſſ. ibidem *in v. decem diebus*. Et ibi Archid. *col.* 2. Io. Andr. *num.* 4. Butr. *num.* 12. Franc. *num.* 7. Barboſ. *de iur. Eccleſ. l.* 1. *n.* 108. Campanil. *in diuerſ. iur. com. rub 7. c. 6. num.* 55. Bonacin. *de elect. Pont. q. 3. num.* 5. nec Gregorius XV. aliud pro hac parte decreuit, ſed ſolum voluit, quod electio facta non in Conclaui clauſo ſit irrita relicto iuri communi regulandum vbi Conclaue ſit conſtruendum.

17. Nihilominus tamen merito queri poteſt an Cardinales peccent grauiter, & alicui pœnæ ſubdantur ſi leges præfatas de loco, & loco loci electionis non ſeruent, ſed vel extra Ciuitatem vbi eſt Papæ audientia, vel extra Palatium Apoſtolicum eligant? Reſpondetur autem certum eſſe, quod ex iuſta cauſa Cardinales ſine aliqua pœna eligere poſſunt Pontificem vbicumque illis bene viſum fuerit. Nam primo leges ipſe plures caſus excipiunt, vt quando Ciuitas ſit interdicta, vel rebellis, *cap. vbi periculum* §. *porro de elect. in 6.* & ſi locus non ſit tutus, ſed timeatur impreſſio *cap. in nomine Domini* §. *Quod ſi pravorum diſt.* 23. Clem. VII. in conſtitutione *cum chariſſimus*, ſupra relata. Huiuſmodi autem iura exemplificatiuè loquuntur non reſtrictiuè, quia iuſta cauſa ſemper cenſetur excepta *cap. de cætero, de ſentent. excommun.* Archid. *in cap. vbi periculum*, loquens in caſu illius textus *col.* 3. *in verb. idem incideret de elect. in 6.* Butr. *ibid. num.* 8. Et verè abſurdum eſſet, quod ex legiti-

ma

Digitized by Google

ma cauſa non poſſet variari electionis locus, & alias conſtitutio non debet intelligi vt abſurdè loquatur Baldi *conſ.* 358. *num.* 4. *l.* 1. Vnde eſt quod iura illa intelligi debent, vt ſint loquuta exemplificatiuè, & non ſint limitationes illæ ad illos caſus reſtringendæ *l. ſcire oportet* §. *oportet ff. excuſ. tutor.*. Rom. *conſ.* 295. *num.* 6. Sed ad ſimiles caſus ſunt extendendæ, cum exempla declarent & aperiant regulam *l. præter alias* Iulianus §. *quoties ff. de collat. bon.* Oldrad. *conſ.* 244. *num.* 14. *vol.* 5. Et ſicut digitus rem oſtendit, ita exempla operautur ad ſimiles caſus §. *ſed cum magis Inſtit. de grad. affin. l.* 1. *ff. de preſcrip.* Bald. *conſ.* 358. *&* 4. *lib.* 1. Vnde certum eſt, quod eſt in arbitrio Cardinalium, vt ex iuſta, & rationabili cauſa mutent conſuetum, & ſtatutum locum electionis Papæ, & quod hæc cauſa habet latitudinem, vt accipiatur ſpectatis circunſtantijs temporis, loci, tam reſpectu Sacri Collegij, quam ſingulorum Cardinalium. Puto tamen non eſſe cauſam iuſtam niſi illam quæ ad bonum commune conducat, & præcipuè ad bonum electionis.

18. Sed ſi mutatio loci fiat ſine cauſa aliqui ſentiunt, quod attenta grauitate materiæ, & vi verbi ſtatuimus ſit peccatum mortale, ſed diſtinguere bonũ eſt. Nam mutatio loci loci facta de conſenſu maioris partis Cardinalium non videtur notabilis, ſeruatis alijs legibus, parum enim intereſt, quod Conclaue bene clauſum, & ſecurum fiat in Palatio Apoſtolico, vel in aliquo Monaſterio, vbi electioni nullũ ſit præiudicium. Si vero mutetur locus, primo hoc poteſt eſſe contra iuſtitiam, & in præiudicium abſentium, qui vel ad locum mutatum peruenire non poſſunt pro eo tempore, pro quo ad locum ſtatutum perueniſſent, vel forſan in incertum ibunt & poſt varia itinera detinebuntur, ne perueniant ad locum electionis tẽpore oportuno, niſi conuenienter vocentur, & oportunè ad locum mutatum, vel ſi etiam mutatio non fieret conſentientibus omnibus, ſed aliquibus repugnantibus, vel ſcandalum adeſſet, & diſſenſio vitanda, & periculum alicuius ſchiſmatis, aut contentionis pacẽ communem turbantis, & cõcordi electioni damnũ inferẽtis. Vnde vix dari poteſt caſus, in quo ſimilis mutatio ſine cauſa fieri poſſit pacificè, vel ſine boni communis præiudicio, aut aliquorum Cardinalium iniuria. Ideò merito dicitur, quod in hac parte lex præcipiens obligat ad mortale. Sed queſtio iſta eſt ſuperflua, quia non eſt moraliter poſſibile, quod Cardinalium Sacrum Collegium imprudenter, & ſine iuſta cauſa velit contrà legem præſcriptum locum pro tali electione ſtatutum mutare. Nihilominus tamen contra talem mutationem nulla eſt in Conſtitutionibus Apoſtolicis lata pœna. Quamuis data ſit poteſtas executoribus Conſtitutionum Apoſtolicarum, vt eas quantũ etiam ad hanc partem faciant obſeruare.

Qualis debeat eſſe ſtructura Conclauis.
QVÆSTIO IX.

1. VBi de communi loco, ſeu etiam loco loci, in quo habenda eſt *Papæ* electio dictum eſt, remanet videnda eiuſdem loci qualitas, quæ eſt clauſura, vnde eſt quod locus iſte nunc dicitur Conclaue. Et quidem conuenienter. Nam ſecundùm DD. Conclaue dicitur, quod pluribus Clauibus clauditur, vel ad quod per plures itur *l. quod & claui ff. de damn. infert. l. quoniam vnum C. de cuſtodib. reor.* Addit. ad Gloſſ. *in cap. Vbi periculum in* §. *hoc ſacro in v. Conclaue de elect. in 6.* & ibi Butr. *nu.* 15. Monach. *nu.* 6. Archid. *col.* 2. A quo autem tempore vſus Conclauis inceperit Lauor. diſputat. *var. lucubrat. til.* 3. *cap.* 1. Sed diſtinguendo dicitur, quod ſi quæramus à quanto tempore Cardinales incæperint habere electionem in aliquo loco ſecreto, & clauſo tempore electionis. Ciaccon. aduertit in vita Honorij III. tunc Cardinales incępiſſe tempore actualis electionis ſe claudere in aliquo loco, quod fuit anno 1216. Quod verum puto ſi loquamur de inceptione, quæ in ſequentibus electionibus habuerit tractum ſucceſſiuum, & tranſierit in praxim. Nam alias, & electio Gelaſij II. anno 1118. habita fuit clauſis electoribus in Monaſterio ad Palladium. Et electio Alexandri III. anno 1159. licet in Eccleſia habita fuit ianuis clauſis, licet in præſentia Senatorum aliquorum. Sed ſi loquamur de Conclaui in quo electores claudantur, vt ibi die noctuque maneãt, donec Pontificem elegerint, hoc habuit initium ex Conſtitut. Gregor. X. anno 1274. quæ per Hadrianum Quintum fuit ſuſpenſa, & per Ioann. XX. dictum XXI. ſuſpenſio præfata fuit confirmata, & ſic Nicolaus III. Martinus II. dictus IV. Honorius IV. Nicolaus IV, & Celeſtinus V. ſine recluſione Conclauis electi fuerunt. Sed Cæleſtinus Quintus Conſtitutionem Gregorij renouauit, & Bonifacius Octauus eam ratam habens in 6. Decretalium poſuit. Ciacon. *in vita Ioann. XXI.* Lauor. *tract.* 4. & ſic ſtatutum Gregor. X. in Concil Lugdun. quod habetur *cap. Vbi periculum de elect. in 6.* à tẽporibus Cæleſtini Quinti, & Bonifacij VIII. vigorem habuit, & habet. Et locus iſte, in quo Cardinales congregantur dicitur Conclaue, quia clauditur, eiuſque ingreſſus firmatur, ne poſſint extranei ingredi, vel intus exiſtentes egredi, donec *Papa* fuerit electus, Gloſſ. *cap. Vbi periculum v. Conclaue* Gemin. §. *hoc ſacro nu.* 2.

2. Hoc igitur Conclaue importat habitationem clauſam, & cuſtoditam, quam aſſumendam ex aliquibus exiſtentibus in *Palatio* Apoſtolico dicitur *cap. Vbi periculum* §. *hoc ſacro* ibi. *In eodem vero Palatio vnum Conclaue.* Verum hoc non eſſe de ſubſtantia electionis, itaut ſi hoc Conclaue fabricaretur, aut clauderetur in alio Palatio, vel Monaſterio, vel domo, electio valida eſſet, docuerunt ad *cap. In Nomine Domini diſt.* 2. Archid. *num.* 17. Bellam. *num.* 11. Gemin. *n* 16. Turrecrem. *n.* 18. Card. *col.* 6. Gloſſ. *& in Vrbe ad cap. Vbi periculum de elect. in 6.* Archid. *col.* 2. Io. Andr. *num.* 4. Butr. *nu.* 12. Gemin. §. *hoc ſacro nu,* 5. Barboſa *de iure Eccleſ. l.* 1. *c.* 1. *num.* 108. Campanil. *in diuer. iur. commun. rub.* 7. *c.* 6. *nu.* 55. Bonac. *de elect. Pontif. qu.* 3. *num.* 5.

3. Intrà hoc Conclaue habitationis Cardinalium nullus debebat eſſe interiectus paries,

Digitized by Google

qui lectum, & propriam habitationem vnius Cardinalis ab aiio diſiungeret, imò uec velamen interponi poterat, ſed omnes Cardinales ſimul in communi habitare debebant ex decreto *d. cap. Vbi periculum* §. *hoc ſacro* ibi. *In eodem autem Palatio vnum Conclaue nullo intermedio pariete, aut velamine omnes inhabitent in communi.* Verum hoc moderatus fuit Clemens VI. in ſua Conſtitut. *Licet* §. *liceat etiam eis ex decentia honeſtatis habere in clauſura huiuſmodi cũ in lectis quieſcendi cauſa, vel dormiendi eſſe voluerint duntaxat intermedia, ſeu velamina ſimplicium tantummodo cortinarum.* Et modò vſus eſt vt ſingulis Cardinalib. cõcedatur cellula ex pãnis violacei coloris, ſtipitibus ligneis ſuſtentatis confecta, Antiquitus tamen ſolum Cardinales à præmortuo Pontifice creati pannis violacei coloris cellas adornabant. De cætero Conclaue intus debet eſſe apertum, & patens, & ità vt tota habitatio ſit communis, ſeu vt dixit Gregor. X. Vt omnes Cardinales habitent in communi. Vide Condil. *de poteſt. Eccleſiæ c.* 24. & Lauor. *variarum lucubrat. tract.* 3. *cap.* 1.

4. Tamen exteris debet eſſe clauſum vndique, & omni ex parte, & ità vt nedum nemo poſſit ingredi, vel egredi, niſi ſibi ianua apetiatur, ſed etiam, vt nec qui intra Conclaue ſunt poſſint colloqui cum extra exiſtentibus, vel intra, aut extra aliquid tranſmittere. *Cap. Vbi periculum* §. *hoc ſacro* ibi: *Quòd ità claudatur vndique, vt nullus illud intrare valeat, vel exire. Nulli ad eoſdem Cardinales aditus pateat, vel facultas ſecretè loquendi, cum eis, nec ipſi aliquos ad ſe venientes admittant, niſi eos, qui de voluntate omnium Cardinalium ibi præſentium pro iјs tantum, quæ ad electionis negotium pertinent, vocarentur. Nulli etiam fas ſit ipſis Cardinalibus, vel eorum alicui nuncium mittere, vel ſcripturam.* Et ità vſus obtinuit, vt locus Conclauis vndique claudatur, & nedum portæ, ſed etiam feneſtræ obſerentur, & nedum lignis, ſed muris, vel in toto, vel in parte, prout opus eſt, claudantur.

5. Permittitur tamen vna feneſtra ad cibum intromittendum ſed talis, per quam nullus poſſit ingredi, vel egredi, *Cap. vbi periculum*, §. *hoc ſacro*, ibi: *In Conclaui tamen prædicto aliqua feneſtra competens dimittatur per quam eiſdem Cardinalibus ad victum commodè neceſſaria miniſtrentur, ſed per eam ad eos nulli patere poſſit ingreſſus*, Conſtituitur hæc feneſtra cum Rota ad modum feneſtrarum monialium. Sed quamuis Gregor. X. in ſingulari loquatur, ob multitudinem tamen Cardinalium plures huiuſmodi feneſtræ diſponũtur. Quibus omnibus ſua cuſtodia deputatur.

6. Adeò autem clauſum debet eſſe Conclaue, vt claudi debeant etiam propinquæ habitationes ſupra, vel infra, vel à lateribus exiſtentes, ex quibus qui extra Conclaue ſunt, poſſunt alloqui Cardinales, vel verbis, vel nutibus, vel aliquid intra Conclaue intromittere. Pius Quartus in Conſtitutione *In eligendis*, §. *Poſt Conclauis verò ingreſſum interdicimus, & expreſsè prohibemus ſub officiorum, & beneficiorum priuationis pœna, atque etiam ſub alia arbitrio Gubernatoris ad cuſtodiam Conclauis deputari ſoliti infligenda, ne quis immediatè ſupra, aut infra Conclaue, ſeù à lateribus habitare, vel morari poſſit. Quæ loca muris claudi, & à Præſidentibus cuſtodiæ Conclauis, ac à dicto Gubernatore ſæpiùs viſitari debeant, &c.*

7. Intra verò Conclaue cellulæ Cardinaliũ eodem modo, & in eadem magnitudine componuntur, & compoſitę ſorte diſtribuuntur, nulla prorſus alicuius habita ratione. Et itaut illas non mutare, nec ampliare poſſit. Pius Quartus in dicta Conſtitutione *In eligendis*, §. *mandamus quoque, quod Cellæ Conclauis Cardinalibus ſorte diſtribuantur, nec liceat eas etiam infirmitatis prætextu mutare, aut deſuper ædificare, vel illas dilatare, ſed quilibet etiam Decanus ſit ſua ſorte contentus.* Et hoc idem cõfirmatur in Ceremoniali Greg. XV. §. *Ne diuina*.

8. Clauditur autem hoc Conclaue iuxta formam deſignatam à Greg. XV. *in Cæremon.* §. *Cardinales autem ingreſſi Conclaue non exeant veſpere reuerſuri, ſed in ipſo omninò permaneant, ipſumque Conclaue poſt ter iuſſu Cardinalis Decani perſonatam Campanulam, videlicet prima vice circa primam horam noctis, ſecunda circa ſecundam, & tertia circa tertiam excluſis omnibus, qui in Conclaui remanere non debent, intus, & extra claudatur, & claues S.R.E. Camerario, & Magiſtro Cæremoniarum, & Prælatis cuſtodibus Conclauis iuxta ſolitum aſſignentur.* Non igitur vna, ſed pluribus clauibus obſerari debet Conclaue, & non tantum ab vna parte, ſed ab vtraque, & intus, & foris, Camerario, & magiſtro Cæremoniarum, & Prælatis ad hoc deputatis claues cuſtodientibus.

9. Quando autem Conclaue pro clauſo haberi debeat dicitur in Cæremoniali, §. *Deinde accenſis funalibus tres Cardinales, capita ordinum, & Camerarius vna cum Magiſtro cæremoniarum latebras, & angulos omnes Conclauis diligenter perquirunt, ne quis ex iјs, qui eſſe in Conclaui prohibentur, intus remanſerit. Et infra in* §. *Quoniam autem ex Gregoriana Conſtitutione ad actum electionis ſub pœna nullitatis deuenire non poſſunt Patres, niſi clauſo Conclaui: tres Cardinales, & Camerarius eiuſdem conſtitutionis executores deputati prouidebunt, vt ſtatim poſt clauſum Conclaue, diligens per aliquos fiat inquiſitio ſuper ipſa clauſura, eaque in effectu reperta, curabunt, vt de ea publicum fiat documentum per Magiſtrum cæremoniarum rogandum, & poſt huiuſmodi documentum, etiam ſi Conclaue in totum, vel pro parte de facto apertum fuiſſe reperiatur, ſemper tamen clauſum, & pro clauſo cenſeri, & haberi debet ad effectum validitatis electionis, donec de conſenſu duarum partium Cardinalium præſentium per ſecreta vota apertum eſſe declaretur. Hæc tamen declaratio electioni, quæ ante ipſam facta fuerit nullatenus præiudicare debet, neque ob ipsã declarationem, præcedens electio impugnari poteſt.*

40. Viſitanda igitur eſt clauſura Conclauis, & itaut de ea ſtatim fieri debeat publicum Inſtrumentum rogatum per Magiſtrum Cæremoniarum. Viſitanda eſt clauſura per Cardinales. Sed duplex viſitatio iniungitur vna ſcilicet ad videndum an aliquis ex prohibitis eſſe in Conclaui remanſerit, & hæc fieri debet per Cardinales capita ordinum, Camerarium, & Magiſtrum Cæremoniarum; & alia ad videndum ſi Conclaue ſit clauſum, & hæc decernitur, vt fiat per aliquos deputandos â prædictis Cardinalibus. Dubita-

Digitized by Google

bitari autem primo poteſt, qui ſint iſti Cardinales? Ad quod reſpondetur, quod iſti ſunt tres Cardinales, qui iuxta ſancita in Conſtitutione *Aeterni Patris* Gregor.XV. §. *Vt autem*, ſunt illi, qui congregationibus habendis præpoſiti ſunt. & qui iuxta Conſtitut. *In eligendi* Pij Quarti, §. *Statuimus*, ſunt Cardinales, capita ordinum, qui ante ingreſſum Conclauis ſunt præpoſiti congregationibus habendis, & quorum officiũ durat per tres dies poſt ingreſſum Conclauis, vnde in Cærimoniali, §. *Deinde*, expreſsè nominentur iſti Cardinales capita ordinum, & iniungitur, vt illi ſimul cum Cardinali Camerario, & vna cum magiſtro Cæremoniarum viſitent latebras, & angulos Conclauis.

11. Sed cum iſtis Cardinalibus committatur, vt ipſi perſonaliter inquirant, an in latebris, vel angulis aliquis extraneus repetiatur, cur illis non committitur, vt pariter per ſe ipſos viſitent clauſuram, ſed ordinatur, vt hæc fiat per deputatos ab ipſis? Id factum puto, quia cum de huiuſmodi clauſura confici debeat inſtrumẽtum publicum, ideòque adhibendi ſint teſtes pro Inſtrumenti validitate, & fide propterea deputandi fuerunt aliqui, qui de clauſura inquirerẽt, vt iſti tanquam teſtes oculati fidem de ea facere poſſent. Quia alias notario non creditur deponenti de facto non geſto coram teſtibus. Rota *dec.5.l.3* coram Puteo, *& dec.624. nu. 10. p.1. & dec.605.n.12.p.3.recent.*

12. Et ità non ſufficit, quod per vnũ fiat hæc inquiſitio, quia vnus teſtis non probat cũ in ore duorum, vel trium ſtet omne verbum. Et quia Conſtitutio in numero plurali loquitur, dicendo aliquos, qui numerus ſaltem dualitatem requirit, nec vno contemnatur. Oldrad. *conſ.215. num. 4.* Signarol. *conſ.92.nu.2.* Imola *conſ. 101. num.2.* Quamuis verò dictio aliquos duos ſaltem requirat, tamen etiam poteſt intelligi de pluribus vltra duos *l.qui plures*, vbi Gloſſ. *in v. plures ff.de vulgar. & pupill. & in l. et ſi reſtituatur, §. fin. ff.de iudic.* Bald. *conſ.101. num.6. l. 3.* Pro adimplemento tamen Conſtitut. Gregor. in præſenti caſu duo ſufficiunt, *cap. Pluralis de reg. iur.* Cald. *conſ. 11. in princ. de iure patron.* Bald. *conſ.101.n.5. & conſ.502.n.6.*

13. Sed quid dicendum ſi Cardinales in nominando huiuſmodi Inquiſitores diſcordent? Si maior pars illorum conueniat illi ſtatur *l. 2. C.quando, & quibus quar.1. lib. 10.* Oldrad. *conſil.11. 2.2.* Sed ſi Cardinales ſint ſingulares in electione poterunt omnes ſingulariter nominati è Cardinalibus facere inquiſitionem. Cum nãq; aliqui ſunt nominandi, licet ſufficiant duo, tamen non repugnat, quin etiam ſint tres, vel quatuor, vel plures. Si tamen aliquis ex nominatis excluderetur à maiori parte non credo, quod admitti poſſet, quia non poſſet dici deputatus à Cardinalibus ille, quem maior pars illorum reijceret.

14. Huic verò inquiſitioni ſimul cum ipſis deputatis à Cardinalibus debet adeſſe magiſter Cæremoniarum, qui debet de clauſura ab Inquiſitoribus inuenta, & recognita conficere publicum inſtrumentum. Si enim ipſe non eſſet præſens rogaretur de actu præterito, & notarii verba eſſent purè enunciatiua, quibus non creditur. Butr. *conſ.32.* Card. *conſ.10.n.7.* Alex. *conſ.147. nu. 5.l. 6.* Verall. *dec.285 n.2. & 295.p.3.*

25. An verò ſit de forma, vt de clauſura reperta rogetur magiſter Cærimoniarum, vel ſufficeret alius notarius. Dici poſſet ſufficere, quia quod inſtrumentum hoc rogetur per Magiſtrum Cæremoniarum non videtur eſſe de forma. Nam de forma quidem eſt, quod fiat inquiſitio ſuper clauſura per deputatos à Cardinalibus, qui ſunt capita ordinum, & Camerarium, & quod de reperta clauſura conficiatur inſtrumentum publicum, ſed quod huius facti detur Magiſter Cæremoniarum videtur dictum ad benè eſſe, quia Magiſtri Cæremoniarum ſunt notarij, & in Conclaui nullus alius eſt, qui vel ſit notarius, vel pro officio notariatus ſit in Conclaui introductus, ſed ad hoc officium Magiſtri Cæremoniarum aſſumuntur. Verum ſi alius notarius adeſſet, qui rogaretur, validum de clauſula conficeret documentum.

16. An etiam ſufficiat Magiſter Cæremoniarum rogari ſuper inſtrumento ab alio ſcripto, quamuis hoc ſufficere negauerint. Alex. in *conſ.129. nu.4. l.1.* Bald. *conſ.307. n.2.l.5.* & in *l.1. §. Ne autem, nu. 12. C.de caduc.toll.* tamen quod, ſufficiat ſubſcriptio cum atteſtationũ Magiſtri Cæremoniarum, quod manu ſibi fida documentum fuit ſcriptum, quod ipſe facere non potuit alijs negotijs impeditus habetur ex text. *cap. Inter dilectos*, vbi Butr. *nu.27.de fide inſtrum.* Caſt. *conſ.209.v.1.* Alex. ſibi contrarius *conſ.147 n.6.l.2. & conſ.50.n.5.l.5.*

17. Hoc autem totum optimo iure ſancitũ fuit. Cum enim ex vna parte electio facta Cõclaui non clauſo ſit irrita ex Conſtit. Greg.XV. §. *Quod ſi electio*, Ex alia verò parte contingere poſſit, vt Conclaue aperiatur etiam occultè, parata eſſet via exceptionibus contra electionem, & imò diuiſionibus, & Schiſmatibus, his vel illis excipientibus, & dicentibus electionem factam Conclaui non clauſo. Ideo ſtatutum fuit, vt Conclaue claudatur, & quod de clauſura conſtet pe publicum inſtrumentum, & quod hoc ſtante apertura Conclauis ſubſequuta non vitiet electionem, niſi per duas partes Cardinalium declaratum fuerit Conclaue fuiſſe apertum. Vt igitur apertura Conclauis non vitiet electionem neceſſe eſt, quod ſit poſt confectum inſtrumentum de clauſura. Quare ſi aperto Conclaui fieret electio, & non conſtaret prius de clauſura per inſtrumentum factum à Magiſtro Cæremoniarum electio eſſet nulla vigore Conſtitutionis *Aeterni Patris*, & non ſuffragaretur illi Rituale, quia eius forma non fuiſſet ſeruata. Rom. *conſil. 23. in fin.* Bal. *conſ.137. n. 2. l.3.*

18. Caſu igitur, quod contingat Conclaue eſſe apertum poſtquam factum eſt inſtrumentũ de eius clauſura per Magiſtrum Cæremoniarũ, debet declarari apertum a Collegio Cardinaliũ præſentium in ipſo Conclaui, & hoc per vota ſecreta, & quidem per conſenſum duarum ex tribus partibus eorundem Cardinalium. Et mihi videtur conſiderandum, quod non nocet, quidem validitati electionis apertura Conclauis, ſi accidat poſt clauſuram in rei veritate poſitam,

& poſt

& poſt viſitationem, & inſtrumentum de ea factum, ſed ſi in rei veritate nunquam Conclaue fuit clauſum etiam ſi de eius clauſura ſe rogauit Magiſter Cæremoniarũ, & de ea cõfecit inſtrumentũ, nõ videtur iuuare ad vitandã nullitatem, quia & Conſtitutio *Aeterni Patris* requirit, quod Conclaue ſit clauſum, & Cæremoniale pro forma neceſſaria, ad hoc vt apertura non noceat, requirit copulatiuè duo, ſcilicet, & quod Conclaue fuerit in effectu clauſum, & quod de clauſura factum fuerit publicum inſtrumentum. Nihilominus contrarium dici debet. In hoc enim caſu negligentia, vel dolus eorum quibus commiſſa eſt clauſura, & clauſuræ viſitatio non debet nocere Collegio eligenti bona fide, & ſine dolo, & qui tenetur ſtare publico inſtrumento teſtanti de clauſura, neque enim Conſtitutio Greg. XV. & Cæremoniale aliud requirunt à Collegio Cardinalium. Licet enim Conſtitutio Greg. XV. requirat clauſura in rei veritate adeſſe, ad effectũ tamen validitatis electionis ſufficit, quod Collegio conſtet de facta viſitatione clauſuræ, & de clauſura per publicum documentum magiſtri Cæremoniarum. Sic enim ſi etiam poſt inſtrumentum factum frangatur clauſura, non vitiatur electio, niſi iterum conſtet de fractione per decretum Cardinalium.

17. De hora vero, quando Conclaue ſit claudendum dicitur, quod de ordine Card. Decani pulſetur ter campana, ſcilicet, circa primã, & poſtea circa ſecundam, & poſtea circa tertiam horam noctis. Ordinare autem, quod Conclaue claudatur ſpectabit ad Cardinales capita ordinum, & ad Camerarium ex Conſtit. Pij Quarti in §. *Statuimus*, cum de hoc nihil ſtatuatur in Cæremoniali, ibi vero ſtatuatur, quod præfati Cardinales curam claudendi Conclaue habeant,

Qualiter, & à quibus cuſtodiendum Conclaue.

QVÆSTIO X.

1. RESpondetur, quod à Gregorio Decimo in Conſil. Lugdunenſe ad cuſtodiam Conclauis, & vniuerſaliter ad defenſionem, & executionem ſtatutorum in *d. cap. Vt Capitulum. de elect. in 6.* deputati fuerant Domini, alijque Rectores, & officiales illius Ciuitatis, in qua electio Pontificis celebratur, §. *Præterea, quia parum eſt iura condere, niſi ſit, qui eadem tueatur, adijciendo ſancimus, vt Domini, alijque Rectores, & officiales Ciuitatis illius, in qua Romani Pontificis electio fuerit celebranda auctoritate noſtra, & eiuſdẽ approbatione Concilij poteſtate ſibi tradita præmiſſa omnia, & ſingula plenè, & inuiolabiliter ſine fraude, & dolo aliquo faciant obſeruari.* Verum hæc aliqualiter moderatus eſt Pius Quartus in Conſtitut. *In eligendis ſic dicens* §. *ſtatuimus etiam quod tres Cardinales antiquiores vnus videlicet ex quolibet ordine vna cum Camerario poſt Pontificis obitum reliquos Cardinales congregandi, & occurrentes neceſſitates in Congregationibus generalibus proponendi, & vt Conclaue benè vndique claudatur, curandi ius habeant. &* §. *ſequenti. Ipſorum autem officium tertia die poſt Conclauis ingreſſum omnino expiret, eorumque loco tres alii ſequentes in ordine quolibet tertio quoque die cum eodem Camerario in eadem poteſtate ſuccedant*, & infra §. *Quia vero parum eſſet iura condere, niſi forent, qui executioni ea demandarent ſtatuimus, & ordinamus, vt Prælati Rectores Officiales vrbis, ac Principum Oratores Illuſtres viri, quos omnes a Collegio pro cuſtodia Conclauis eligi continget (eligere autem Collegium debebit eos, qui ad id magis idonei videbuntur) præmiſſa omnia plenè, & inuiolabiliter, & ſine fraude & dolo aliquo obſeruari faciant, de quo corporale iuramentum coram ipſo Collegio ante ingreſſum Conclauis, & quoties opus fuerit præſtare teneantur, quæ quidem niſi fecerint, vel ſi in eis dolum, & fraudem commiſerint prædictas pœnas, & cæteras in dicta Conſtitutione Gregor. X. contentas incurrant.*

2. Itaque in terminis Conſtitut. Pii IV. hæc facultas eſt conceſſa Prælatis, Rectoribus, Officialibus, Oratoribus, Illuſtribus viris, at non abſolutè, ſed ijs qui à Collegio Cardinaliũ fuerint electi. In hoc .n. Pius IV. moderatus eſt decretũ Greg. X. in præfato §. *Quia*, Nã Pius de Dominis nullam mentionem habet, ſed ſolis Prælatis, Rectoribus Officialibus, Oratoribus Principum, & Illuſtribus viris electis à Collegio Cardinalium præcipit, & mandat excutionem obſeruantiæ Clauſuræ Conclauis. Nec obſtat, quod Pius IV. videatur loqui ſolum dum electio fit Romæ quia inquit Rectores, & Officiales Vrbis, nomine vero Vrbij abſolute dictio venit Roma. Nã infrà §. *Ac præſentes*, dicitur: *Ac præſentes noſtras vbicunq; electionem Summi Pontificis etiam ſi extra Vrbem fieri contingerit locum habere, & obſeruari debere.* Et ideò vbicunque ſeruari debet, vt ijs ſolis competat, exterior cuſtodia Conclauis, & executio præfatæ Conſtitutionis. Et Pius IV. confirmat conſtitutiones præcedentium Pontificum, vbi ſua illis non obſtat vt in §. *Volumus autem circa finem* ibi. *Quorum conſtitutionibus, & pœnis in eis contentis, vltra præmiſſa per hanc noſtram Conſtitutionem derogare non intendimus.* Sed quantum ad præmiſſa in d. conſtitutione derogauit illis Conſtitutionibus præcedentium Pontificum, & ideò Domini Ciuitatum nullum ius amplius haaent cuſtodiendi Conclaue niſi in terminis Cap. Vbi periculum. Interminis autem Conſtitut. Pij IV. ſeu pro executione eorum quæ ſpecialiter decernuntur in Conſtitutione Pij IV. hoc ius nec alijs competit, niſi fuerint electi à Collegio Cardinalium.

3. Sed & Gregor. XV. in Conſtit. *Aeternis Patris* eiuſdem executores deputauit Cardinales tres in quolibet ordine antiquiores, & Camerarium in §. *Vt autem huiuſmodi noſtra conſtitutio inuiolabiliter obſeruetur, tres Cardinales, qui ſingulis diebus congregationibus habendis præpoſiti ſunt, & cum iis S. R. E. Camerarius illam in omnibus, & per omnia obſeruari procurent, & faciant.*

4. Dubitatur autem primò An per executores datos in Bulla *Pij IV.* cenſeãtur reuocati alij per Greg. X. ſtatuti, ſeu per executores datos à Greg. XV. ſint omnes alij reuocati. Videtur enim, quodità dici debeat. Nam cum poſterior Pontifex confirmet Conſtitutiones aliorum, & illis addat, dum ſtatuit executores ſuæ conſtitutionis ſimul conſtituit eos exequutores aliarum conſtitutionum antecedentium, quas confirmat,

firmat,

firmat, quia hoc modo iam illæ conſtitutiones
confirmatæ ſunt pars conſtitutionis, in qua illi
confirmantur, eorumque executores ſuut illi,
qui eiuſdem conſtitutionis confirmantis alios
executores dati ſunt, & ſic alij executores vi-
dentur reuocati, ne detur vel ſuperfluitas, vel
confuſio inter illos.

5. Reſpondetur nihilominus deſtinguen-
do, & dicitur primo, quod circa diſpoſita, vel
moderata, & alterata per poſteriores Conſtitu-
tiones executores conſtituti à Greg. X. *in cap.*
vbi periculum nullam habent iuriſdictionem. Nã
in conſtitut. Greg. X. *cap. vbi periculum in 6.* inter
alia ſtatuitur, & præcipitur, quod executores
ibidem dati non præſumant arctare Cardinales
vltra id, quod illis permittitur. At verò illis
non permittitur arctare Cardinales in ijs, de
quibus ibi nihil diſponitur, neque circa ea ibi-
dem diſpoſita, ſed per ſequentes Pontifices alte-
rata; igitur illi circa huiuſmodi nullam habent
executionem,& iuriſdictionem. Quia verò Con-
ſtitutionum Pij IV. & Gregorij XV. ijdem ſunt
aliquo modo executores, ſed non omninò, quia
Conſtit. *Pij* IV. executor Præcipuus eſt Collegiũ
Cardinalium, & Conſtit. Gregor. XV. execu-
tores ſunt Cardinales capita ordinum, & ſuc-
ceſſiuè de triduo in triduum tres Cardinales an-
tiquiores in quolibet ordine ſimul cum Came-
rario. Dicendum eſt, quod immediata execu-
tio circa ea, quæ per Gregor. XV. fuerunt diſ-
poſita vel mutata; ſpectat ad præfatos quatuor
Cardinales. Verum non per hoc derogatum eſt
illi Superiori iuriſdictioni, quam habet totum
Collegium Cardinalium, vt procuret, quod exe-
cutioni dentur Conſtitutiones *P*ontificiæ.

6. Dicitur ſecundo quod circa diſpoſita per
Gregor. X. & non mutata, adhuc Collegium
Cardinaliũ cui commiſſa eſt executio Conſtitut.
Pij IV., & executores per idem Collegium de-
putati habent cumulatiuè iuriſdictionem. Ratio
huius dicti eſt, quia cum in Conſtitut. Pij IV.
confirmetur *C*onſtitutio Gregor. X. in ijs, in
quibus iſta illi non contrariatur; Igitur execu-
tores *C*onſtitutionis *Pij* IV. ſunt etiam executo-
res *C*onſtitutionis Greg. X. Sed nihilominus non
per hoc fuerunt excluſi executores dati à Greg.
X. quia iuriſdictio data poſtea ſuis executori-
bus à *P*io IV., cum non conſtet de contraria
mente *P*ontificis cenſetur data cumulatiuè, non
autem priuatiuè Rom. *conſ.* 373. *n.* 1. & addit
Felin. *in cap. Paſtoralis num.* 1. *de off. ordin.* Rota
ex ſententia *C*ardinalium interpretum *C*oncilij
in Piſcienſis iuriſdiction. 15. *Iunij* 1590. *coram*
Plato, *&* *in montis Regalis iuriſdictionis* 27.
Nouembris 1606. *coram Coccino*. Et ità etiam
executores dati per Gregor. XV. cumulatiuè ha-
bent iuriſdictionem, vt exequuntur, vel faciant
exequi omnia diſpoſita in præcedentibus Con-
ſtitutionibus. Sacrum verò Collegium adhuc
ſuperiorem habet iuriſdictionem, & vniuerſa-
lem, vt faciat exequi omnia ad electionem Papæ
ordinata, & per Summos Pontifices diſpoſita.

7. Dicitur tertio quod cum huiuſmodi exe-
cutores non ſint dati inſolidum, executio ſpe-
ctat ad omnes ſimul, niſi aliquis eorum velit ab-
ſtinere *cap. final.* §. *fin. de teſtam. in* 6 Bald. *conſ.*
287. *num.* 4. *lib.* 4. Angelus *in l. Imperatores* §. *Si*
magiſtratus de appellat. Iaſon. *in l. vn. ad fin. Cod.*
quando non petatur port. Ex quo enim vnus execu-
torum nolit fungi officio ſuo non cenſetur alter
prohibitus exequi ſine illo, niſi hoc ſit expreſſe
dictum. Bald. *conſ.* 147. *num.* 2.

8. Ex his colligitur primò qui ſint iſti exe-
cutores. Nam in terminis *C*onſtitutionis Gre-
gor. X. ſunt omnes Domini, Rectores, & offi-
ciales illius *C*iuitatis, in qua habetur electio
Summi Pontificis. Et iſti executores in termi-
nis *d. cap. vbi periculum* coram *C*lero, & populo
ad hoc ſpecialiter congregato audito Papæ obi-
tu præſtare debent corporale iuramentum, hoc
eſt tactis ſcripturis, Anchar. *in d. cap. vbi peri-*
culum col. 3. Gloſſ. *ibid. in v. corporale & in verſ.*
præſtito Gem. *num.* 3. Si tamen aliquis eorum eſ-
ſet Sacerdos ſufficeret, quod iuraret tacto pecto-
re, Gloſſ. *in c. fin. de iuram. calum. in fin. caſus.* Alciat.
in rubr. de iure iur. n. 35. Specul. *de teſtibus* §. *ſequi-*
tur. 4. *nu.* 5. quod obſeruari faciant plenè,& inuio-
labiliter, & ſine fraude, & dolo aliquo quæ illis
committuntur. Sed in terminis Conſtitutionis
*P*ij IV. hoc iuramentum preſtari debet coram
Collegio Cardinaliũ ante ingreſſum *C*õclauis,&
toties quoties opus fuerit. Sed quia à *C*ollegio
*C*ardinalium non eſt ſingulis Prælatis, aut offi-
cialibus Vrbis, aut Oratoribus, ſeu Illuſtribus
Viris commiſſa vniuerſalis cuſtodia *C*lauſuræ
*C*onclauis, ſed pro parte, ideò quilibet illorum
tenetur preſtare iuramentum pro ea parte, quæ
ſibi fuerit commiſſa. Prælatis enim verb. gr.
non competit defenſio militaris, quia ipſi non
exercent militiam, ſed competit diligens vigi-
lantia, ne aliquod intromittatur in *C*onclaue.

9. Nam Prælatorum officium in cuſtodien-
do Conclaui deſcribitur à Pio IV. in eadem
Conſtitutione §. *Prælati quoque ad cuſtodiam Con-*
clauis deputati ſub pœna periurij & ſuſpenſionis à
diuinis maxima, & exquiſita diligentia vtantur in
inſpiciendis, ac perſcrutandis epulis, & alijs rebus,
& perſonis Conclaui intrantibus & de eo exeuntibus
ne ſub earum rerum velamine litteræ, aut notæ, vel
ſigna aliqua tranſmittantur. Quod ſi tale quid in-
uentum fuerit, familiares Cardinalium, aut alij de-
linquentes pœnam priuationis officiorum, & benefi-
ciorum, ac inhabilitatis ad obtenta, & obtinenda in-
currant. Et vlteriùs per Gubernatorem carceribus
mancipentur, exinde niſi de mandato noui Pontificis
minime relaxandi, ſed eius arbitrio acriùs puniendi
omni facultate Collegio Cardinaliũ in fauorem quorũ-
cunque, qui in præmiſſis, vel eorum aliquo delique-
rint omninò interdicta. Prælatis igitur competit
diligentiſſime inſpicere,& perſcrutari cibos,res,
perſonas, intrantes & exeuntes, ne ſub velami-
ne ipſorum litteræ, notæ, ſigna tranſmittantur.
Et aliquibus ex iſtis iuxtà ſancita in Cæremo-
niali Gregor. XV. §. *Cardinales autem*, dari debent
aſſeruandæ claues exterioris partis portæ Con-
clauis.

10. Sed ſecularibus præcipuè conuenit de-
fenſio Conclauis, & vt non permittant, quod
fiat vis aliqua *C*onclaui, Clauſuræ, vel *C*ardina-
libus intra Conclaue exiſtentibus ſed Cardinales
libera ſecuritate poſſint Papam eligere.

11. Colligitur etiã ex præcedentibus quan-

Digitized by Google

ta ſit & ad quæ horum executorum ſe extendat iuriſdictio. Et quidem loquendo primò in terminis Conſtit. Greg. X. aduertendum, quod in ipſa confirmantur Conſtitutiones præcedentiũ Pontificum ad electionem Papæ ſpectantes, quæ fuerunt tres, ſcilicet Conſtit. Symmachi Papæ *in cap. ſi quis, diſt. 79.* & Nicolai II. in Concil. Later. & habetur *cap. In nomine Domini diſt. 23.* & Alex. III. in Concil. Lateran. & habetur *cap. licet de electione* vnde horum executorum iuriſdictio videri poteſt extendi ad omnes iſtas conſtitutiones. Verum conſiderandum eſt, quod & eorundē iuriſdictio limitata eſt primò ad tempus vacantiæ Sedis Apoſtolicæ, vt patet ex verbis *d. cap. vbi periculum* §. *Præterea ibi Officiales Ciuitatis illius, in qua Romani Pontificis electio fuerit celebranda*. Patet igitur, quod hæc iuriſdictio eſt limitata ad tempus celebrandæ electionis, quod eſt tempus vacantiæ Sedis. Ideo horum executorum iuriſdictio non ſe extendit ad Conſtit. Symmachi Papæ, quæ diſponit de ijs, quæ mortem Pontificis antecedunt, nec ad contenta *in cap. In nomine Domini in* §. *quod ſi prauorum* vbi conceditur facultas eligendi extra Vrbem. Tunc enim ad illos ſpectaret executio, qui eſſent Domini, aut Rectores, ſeu officiales loci, in quo celebraretur electio, & non ad officiales Vrbis nec ad contenta ibidem *in* §. *Planè*, in quo diſponitur de ijs, quæ ſpectant ad Pontificem iam electum ſicut, *& in* §. *Quod ſi quis*, Vnde hæc ſpectant ad tempus, in quo iam horum executorum expirauit auctoritas. Secundò verò limitata eſt horum executorum auctoritas ad diſpoſita in Conſtit. Gregor X. & non mutata per ſubſequentes Pontifices, & ità vt expreſſe illis ſit prohibitum arctare Cardinales vltra id, quod ex vi dictæ Conſtitutionis illis permittitur. Et ideò non ſe extendit horum iuriſdictio ad contenta *in cap. In nomine Domini* §. *Quapropter*, vbi agitur de forma eligendi Papam, quia illa forma eſt iam mutata. Se verò extendit ad Conſtit. Alexand. III. *in cap. licet*, pro quanto eorum eſt procurare, vt Papa eligatur à duabus tertijs partibus Cardinalium, & quod electus à minori numero non acceptetur. Sed tamen vbi hoc non ſit notorium, ſed ſit dubium tale, quod Iudicis indigeat declaratione, ad tales executores id non ſpectat decernere, quia de hoc non fuit cautum *in dicto* §. *Præterea*; imò de hoc non agitur in iſtis Conſtitutionibus. Et dictis executoribus non competit niſi id quod illis permittitur in d. Conſtitut. Greg. X. in qua quia multa continentur mutata per ſequentes Conſtitut. Pontificum, reſpectu talium nulla eſt horum executorum facultas.

12. In vi verò Conſtitut. Pij Quarti executoribus iſtis non competit niſi illa talis, ac tanta, quæ illis tribuitur à Sacro Collegio Cardinalium, vltra quam ad nihil poſſunt ſe extendere, ſed S. Collegij iuſſa tenentur implere.

13. Viſitari etiam debet ſæpius Conclauis clauſura intus quidem per Cardinales, extra verò per Gubernatorem Vrbis, & Prælatos. Sic enim ſtatuit Pius IV. in Conſtitutione. *In eligendis* §. *teneantur quoque Cardinales pro tempore deputati Cellas Cardinalium, & alia Conclauis loca ſæpius viſitare, & diligenter perquirere ne in ipſius Conclauis muris, aut laquearibus, ſeu pauimentis vetita foramina fiant &c.* & infra: *Qui quidem Gubernator, & Prælati ſub periurij pœna in hoc inuigilare, & opportunè prouidere debeant, ne ſcilicet vetita foramina penetrantia intra Conclaue fiant.*

14. Vnum verò ſingulare, & præcipuum his Conclauis Cuſtodibus eſt commiſſum, ſcilicet ne permittant omnes Cardinales exire, vel ſi exierint compellant eos redire, prout decreuit Clemens V. in Concil. Vienen. & habetur in Clemen. *Ne Romani* §. *Porrò ſi Romano non electo Pontifice Cardinales omnes ſimul, vel ſucceſſiuè quod abſit exire contingeret Conclaue deputatum eiſdem, ij ad quos pertinet executio conſtitutionis prædictæ illos, & ex ipſis quibus infirmitas corporis, aut nota debilitas excuſationem non dabit, idem Conclaue quam citò poterunt reintrare compellant. Pœnas in dicta conſtitutione contentas, niſi hoc fecerint incurſuri.* Si autem iſti, quibus eſt commiſſa cuſtodia Conclauis poſſunt compellere Cardinales, vt redeant multò magis, ſi id præuiderint, poſſunt, & debent impedire, ne omnes exeant, niſi adeſſet iuxta cauſa exeundi, vel nō ingrediendi, quia tunc Cardinales non ſunt cogendi Lauor. *tr. 3. c. 6. n. 19.* Hanc verò compulſionem debere eſſe non niſi verbalem ex Imol. in Clemen. *Ne Romani*, & Manfred. *deciſ.* 288. tradit idem Lauor. *d. tract. 3. cap. 6. n.* 15. Sed & Barbat. in d. Clemen. *Ne Romani n. 6.* poſt alios, ſentit quod Cardinales compellendi ſint per requiſitionem verbalem, non autem per impulſionem corporalem. Quia *per d. cap. vbi periculum* §. *Præterea* decernitur hos Dominos temporales non poſſe arctare Cardinales vltra quam præmittitur in eadem conſtitutione, in qua huius corporalis impulſionis nulla fuit facta mentio. Et cum iuriſdictio illis conceſſa ſit limitata, & contra ius ſtrictè eſt accipienda, & non extendibilis. Anchar. *in d.* §. *Præterea in verſ. item nota* cum tamen poſt mortem Clementis V. Cardinales inter ſe diſſidentes egreſſi fuiſſent è Cōclaui in Ciuitate Carpentoratenſi poſito, vbi Clemens V. diem vltimum obierat, & per duos annos, & amplius electionem Pontificis diſtuliſſent, nec eſſet ſpes, vt ad præbendum Eccleſiæ nouum Pontificem conuenirent. Philippus Comes Pictauienſis, qui poſteà fuit Galliarum Rex prudenti aſtutia ſub prætextu Comitiorũ omnes Cardinales Lugdunum perduxit ſub pacto iuramento firmato, vt indè poſſent liberè ad eorum arbitrium diſcedere. Sed vbi Lugduni fuerunt omnes inuitos in Conclaue ordinatum in Conuentu Prædicatorũ induxit, illiſque minatus eſt nunquam ſe eos liberos relicturum, niſi Pontifice electo, vnde poſtea 41. die ingreſſus Ioannem XXII. Eccleſiæ ſummum Præſulem dederunt. Quod factum Religioſum fuiſſe, iuramentique vinculum piè fuiſſe fractum dixerunt D. Anton. 3. *p. tit. 21. cap. 4. ante* §. 1 Bzouius, & Odericus ad annum 1316. Ciacon. in Ioann. XXII.

15. Sed ex quo non conceditur hæc poteſtas compellendi Cardinales ad reditum niſi omnes exierint, benè deducit Gloſſ. *in v. omnes* quam ſequuti ſunt Laudenſ. de Cardin. *q. 14.* Pa-

nin.

uin. *de offic. cap. Sede vacante præl.* 5. *n.* 8. Manfred. *deciſ.* 296. Alban. *q.* 27. Lauor. *tr.* 3. *c.* 6. *n.* 16. Barboſ. ad d. Clem. *n.* 26. Quod ſi ex Cardinalibus aliqui remanent in quacunque parua quantitate etiam ſi vnus ſolus remaneat illi, vel ille poſſunt Papam eligere, ideo non eſt neceſſe compellere Cardinales exeuntes ad hoc vt redeant ad Conclaue, niſi exierint omnes, quia reſidet facultas eligendi Papam in non exeuntibus, vel non exeunte.

16. Tandem aduertendum, quod huiuſmodi executoribus imponuntur pœnæ graues ſi muneri ſuo deficiant. Nam *in d. cap. vbi periculum* §. *Præterea* ſic decernitur. *Quod ſi præmiſſa diligenter non obſeruauerint, aut fraudem in eis, vel circa ea commiſerint, cuiuſcunque ſint præeminentiæ, conditionis, aut ſtatus, omni ceſſante priuilegio, eo ipſo ſententiam excommunicationis incurrant, & perpetuo ſint infames, nec vnquam eis portæ dignitatis pateant, nec ad aliquod publicum officium admittantur. Ipſos inſuper feudis, & bonis cæteris, quæ ab eadem Romana Eccleſia, vel quibuslibet alijs Eccleſijs obtinent, ipſo facto decernimus eſſe priuatos, ita quod ad Eccleſias ipſas plenè, ac liberè reuertantur, adminiſtratorum earundem Eccleſiarum arbitrio ſine contradictione aliqua diſponenda. Ciuitas verò prædicta non ſolum ſit interdicto ſuppoſita, ſed & Pontificali dignitate priuata.* Et in Conſtitutione Pij IV. §. *Quia verò* concluditur, & dicitur; *Quæ quidem niſi fecerint, vel ſi in eis dolum, & fraudem commiſerint prædictas pœnas, & cæteras in d. Conſtit. Greg. X. contentas incurrant.* Quamobrem conſtitutio illa Greg. quantum ad perſonas cõpræhendit ſolos Dominos, Rectores, & Officiales, ſed tamen hos omnes etiam Imperatorem, & Reges ligat, & omni priuilegio derogat, & cenſuram, & pœnas latæ ſententiæ continet materia verò Cenſuræ, & pœnarum eſt duplex, ſcilicet, vel non procurare, vt ſancita in d. Conſtitut. ſeruentur, vel in hoc munere adhibere dolum, & fraudem. Aduertit verò Caiet. in ſumm. *v. excom. cap.* 54. quod Domini, & officiales non obligantur niſi ad diligentiam adhibendam, vt dicta Conſtit. Greg. obſeruetur Bonac. etiam *de Cenſur. in partic. diſput.* 2. *qu.* 10. *p.* 1. *n.* 3. arbitratur, quod hæc excommunicatio afficiat præfatos Dominos, aut officiales, ſi non faciant obſeruari Conſtit. & Cæremoniale Greg. XV. quod verum non eſt, quia imò præfati executores nullam iuriſdictionem habent reſpectu eorum, quæ per Pium IV. aut Greg. XV. ſtatuta ſunt, cum ipſi executores proprios ſuarum Conſtitutionum conſtituerint. Addit verò Syluest. *v. excommun.* 9. *n.* 35. præfatos non ſubdi his pœnis, ſi fuerint impediti iure, vel facto ne præcepta ſibi perficiant.

Qui poſſint, & debeant ſimul cum Cardinalibus ingredi Conclaue.

QVÆSTIO XI.

1. Tempore ſtatuto ingredi debent Cardinales Papã electuri, ſed nõ poſsũt ingredi ſoli, quia neceſſe eſt ingredi, qui illis miniſtrẽt, & alia ſpectantia ad electionem, & interiorem cuſtodiam exerceant, occupatis Cardinalibus in electione Pontificis.

2. Gregorius X. *cap. vbi periculum*, conceſſerat, quod Cardinales ſeruum vnum introducere poſſent, & ex neceſſitate duos. Sed Clemens VI. conceſſit, vt duo introduci poſſent, quod & permiſit Pius IV. addens pro infirmis tertium in §. *Quilibet autem Cardinalium in Conclaui duobus ſeruientibus Clericis, vel laicis contentus ſit, infirmis autem, & grauiter affectis à maiori parte Collegij per ſecreta ſuffragia tertius ad ſummam indulgeri poſſit.* Gloſſa *in cap. vbi periculum v. neceſſitas*, aduertit Podagricis concedi poſſe plures ſeruos. Lauor. *tract.* 3. *cap.* 7. *num.* 8.

3. Horum autem ſeruientium qualitates ab ab eodem Pio IV. deſcribuntur in §. *Qui ſeruientes familiares domeſtici, & continui commenſales ipſius Cardinalis, & ab anno ante fuiſſe, & tunc eſſe debeant, & non mercatores, miniſtri Principum, Domini temporales & Iuriſdictionem habentes, neque fratres, aut nepotes Cardinalium, etiam ſi expenſis eorum viuerent. Et de qualitatibus conclauiſtarum, Cardinales deputati ante Conclauis ingreſſum diligenter inquiſitionem habere, & eos approbare, ac poſt ingreſſum denuò diligenter prouidere debeant.* In omnibus diſpoſitionibus præfatis permittitur, quod Conclauiſtæ ſint vel Clerici, vel laici, Dubium verò eſſe poteſt, qualiter in præſenti ſumatur nomen Clerici, an ſcilicet ſumi debeat in magis ſtricta ſignificatione, ſecundum quam ſub nomine Clerici non veniunt Epiſcopi *cap. Sedes*, vbi Butr. *num.* 3. & 9. & Imol. *num.* 2. *de reſcript.* nec in dignitate Eccleſiaſtica conſtituti, vt Abbates Archidiaconi, & huiuſmodi Panorm. *in rubr. de vita, & honeſtate Clericorum num.* 9. & *in cap. bona* 1. *num.* 2. *de poſtul. Prælat.* Dec. *in cap. cum non liceat num.* 18. *de præbend.* nec etiam Canonici, Gloſſ. *fin. in cap. cum tibi de ſentent. excomun.* nec Monachi, Panorm *in c.* 1. *nu.* 7. *Ne Clerici, vel Monachi, & in c.* 1. *n.* 3. *de Inſtit. & in cap.* 1. *num.* 9. *de iuram. calum.* Felin. *in cap. non dubium num.* 3. *de ſent. excom.* Rom. *conſ.* 259. & 418. Belſet. *diſq. Cleric.* §. 2. *num.* 26. Vnde iuxta hanc ſignificationem ſumpto nomine Clerici Cardinales non poſſent ſecum in Conclauiſtas aſſumere Epiſcopos, Archidiaconos, Abbates, Canonicos, Regulares Religioſos, nec Prælatos aliquos, vt Prothonotarios Apoſtolicos, Auditores Rotæ, Clericos Cameræ, qui ſub ſtricta ſignificatione huius nominis Clerici non veniunt. Et ita hanc partem, quantum ad Prothonotarios participantes, & quantum ad monachos tenuit in manuſcripto Gloſſ. *ſuper conſtitution.* Gregorij XV. Reuerendiſſimus Coccinus.

4. Sed dicendum eſt in præfatis Conſtitutionibus nomen Clerici ſumi latiſſimè, vt adequatè diſtinguitur contra laicum. Sumitur enim, vt contraponitur laico, diuiſio enim hæc ſumi debet, vt adequata, & per duo membra oppoſita data, & ita vt nomen Clerici accipiatur, vt diſtinguitur contra laicum, & Clericus dicatur quiſquis eſt ad Dei obſequia mancipatus, *cap. Clericos* 21. *diſt.* Et quidem quod nomine Clerici in iure veniant, ne dum Clerici primæ ton-

ſuræ *d.cap. Cleritos, & cap. cum contingat de ætat. & qualit.* & alij in minoribus ordinibus conſtituti, *d. cap.Clericos, cap.Clericum 72. diſt. cap. De perſonas 12.q.1.* Panorm. *in rubr. de honeſt. cleric.* Roland. *conſ.16.nu.10.* & alij etiam in ſacris ordinibus Diaconatus, & Præsbyteratus conſtituti, *cap.Cleros, cap.Clericum 72.diſt.& cap.Duo ſunt 12.q.1.* Sed etiam Canonici, *cap. Cum tibi*, & ibi Panorm. *nu. 1. & 3.* & Butr. *de verb. ſignif. cap. Per exemptionem de priuil. in 6.* Panorm. *in c. Bonæ num. 2. de poſtul. Prælat.* Felin. *in cap. Non dubium num. 1. de ſent. excom.* & etiam Prælati Epiſcopi, Archiepiſcopi, Primates, Patriarchæ, & alij cuiuſcunque dignitatis Eccleſiaſticæ ſint *d. cap.Clericos.* Panorm. *in rubr. de vita, & honeſtat. cleric. num.8.& 9. & in d.cap.Cum tibi num. 4.* & ibi Buttrius *de verbor. ſignif.* Bellet. *diſquiſ.cleric. §.2. num.5.* & etiam Monachi, & regulares. Panorm. *in c.1. num.7. Ne Cler. vel Monachi, & in cap.1.nu.9.de iuram.calumn.* Felin. *in cap Cum non dubium nu.3.de ſent.excom.* Sylueſ. *v. Clericus n.2.* Bellet. *vbi ſupra nu.10.* Barboſ. *in appel. Cler.7.* Et tandem in materia indifferenti ſub nomine Clerici tam ſæculares, quam Regulares. Caſtr. *conſ.337.l.1.* Tuſc. *lit.C.concl.377.nu.2.& 3.* Barboſa *vbi ſup. nu.2.*

5. Quod verò etiam in præſenti ſic ſummi debeat nomen Clerici ex hoc etiam colligitur, quod non eſt veriſimile, quod Pontifices voluerint, quod illi, qui ſub ſanctiſſima ſignificatione nominis Clerici non veniunt, eſſent peioris conditionis, quam ſint laici. Tum ſecundo, quia nec verũ eſt, quod materia dictarũ Conſtitutionum in hac parte ſit ſtricta, quia licet quitum ad numerum perſonarum ſtrictam habeat interpretationem, quia numerus expreſsè determinatur etiam in clauſula *Tertium ad ſummum indulgeri poſſit*, tamen quantum ad qualitatem horum famulorum Pontifices eas conditiones, quas voluerunt, expreſſerunt, & ex quo ſimul cum Clericis admiſerunt Laicos, ſatis clarè expreſſerunt, quod res indifferens ſit, quales famuli aſſumantur, dum tamen alias qualitates expreſſas habeant. Vnde dicendum nullam eſſe ex hac parte limitationem, ſed & Prælatos, & Clericos quoſcunque ſeculares, vel Regulares, & Laicos aſſumi poſſe in Cardinalium ingredientium Conclaue famulatum, ſi alias qualitates habeant à iure requiſitas. Vndè nec excludi poſſunt Religioſi laici. Quamuis enim contrarium ſenſerit Reuerendiſſimus Coccinus citatus quia iſti licet dicantur laici reſpectu Regularium Clericorum, tamen reſpectu ſecularium laici non ſunt. Nihilominus dicitur, quod non poſſunt excludi, ſed vel veniunt nomine Clerici, ſub quo etiam compræhenduntur Monachi, ſeu regulares omnes, vel veniunt nomine laici, cum nulla ſit aſſignabilis ratio, vndè iſti poſſint eſſe famuli Cardinalium extra Conclaue, & non intra, ſi habeant alias qualitates ad hunc famulatum neceſſarias.

6. Conditiones verò horum famulorum neceſſariæ, vt poſſint eſſe famuli intra Conclaue duæ in primis ſunt, nimirum, quod alias ſint familiares, domeſtici, & continui commenſales Cardinalis, pro cuius famulatu ingreſſuri ſunt Conclaue. Secundò, quod tales fuerint per annum ante ingreſſum Conclauis. Quantum ad primam conditionem conſideratur, quod ad hoc, vt aliquis dicatur continuus commenſalis Cardinalis tria requiruntur, ſcilicet mens, pes, & dens. Requiritur primo mens, quia ſcilicet ex mente, animo, & pacto inſeruierit Cardinali verè tanquam famulus, & non ſolum honoris gratia. Sed hoc non ſufficit, ſed requiritur, quod etiam dens, ſcilicet portio victus illi tanquam famulo ſit diſtributa. Et neque hoc ſufficit, ſed ſimul requiritur pes, ſcilicet actualis ſeruitus, & obſequium Cardinali præſtitum, vt ex textu *in cap.final.de verb. ſignif.* probat Sarnen. *in regula de impetrand.benef. per obitum familiaris Cardinal. q.13.per tot.* quem ſequitur Reuerendiſs, Coccin. *loco ſupracit.*

7. Altera verò conditio familiaris, ſcilicet, vt per annum ante ingreſſum Conclauis fuerit perpetuus commenſalis Cardinalis aliquam patitur limitationem. Nam ſi aliquis Regularis famulos commenſales non habens paulò ante mortem Pontificis creatus fuerit Cardinalis, non poteſt ille introducere commenſales per annum antea, cum per integrum annum ante nullos habuerit famulos commenſales; imo forſan nullos habeat adhuc ante Conclauis ingreſſum, ſi fortè nondum familiam aſſumpſit, ſeu conduxit. Et ita in facti contingentia, cum per Paulum V. creatus fuiſſet Cardinalis Eminentiſſimus Fr. Deſiderius Scalea Ordinis Prædicatorum die 11. Ianuarij 1621. Pontifex vero obierit die 28. eiuſdem menſis, & anni permiſſus ei fuit in famulum Conclauis tam D. Ioannes Bona Aſtèſis, qui eius familiaris famulus, & commenſalis non erat, licet eius eſſet amicus, & fuerat familiaris Cardinalis Bernerij ex eodem Ordine aſſumpti. Et forſan præfatus Cardinalis Scalea, qui adhuc viuebat in domo Eminentiſſimi Cardinalis Millini nondum familiam conduxerat. Vbi ergo Cardinalis de recẽti creatus non habeat antiquos commenſales, vel vbi Cardinalis ex quacunque alia cauſa tempore mortis Pontificis non habeat aliquem ex antiquis famulis, in eo caſu dandus erit ei famulus, vel famuli apti ad eius obſequium ex ijs, quos actu habet, ſi aliquos aptos habeat, vel aliunde ad arbitrium Sacri Collegij illi prouidendum erit.

8. Quantum etiam ad aliam conditionem harum familiarum, vt ſcilicet non habeant iuriſdictionem aduertit Reuerendiſſimus Coccinus, in manuſcripto, quod defuncto Clemente VIII. Auditor Cardin. Bartholomæi de Ceſis fungebatur officio ſecundi Collateralis, & cum dubitatum fuiſſet an poſſet admitti ad Conclaue, quoniam tunc eius iuriſdictio ſilebat ex Clem. *Ne Romani, §.Sanè*, fuit admiſſus in Conclauiſtam, vnde ex hoc colligitur, quod Conſtitutio intelligi poteſt de habente iuriſdictionem, quæ actu non ſileat.

9. Ex iſtis autem famulis duo conceduntur pro ſingulo Cardinali, & ad ſummum tres pro Cardinalibus malè affectis, aut infirmis. Diſtinguuntur vero mala affectio, & infirmitas, quia mala affectio eſt receſſus in ſtatum præter naturam ex quacunque id fiat affectione, Galenus *claſſ.6.*

claſſ. 6. l. 1. de curand. ratione per ſanguinis emiſſionem *cap. 3.* ſed infirmitas eſt habitus corporis contra naturam *l. 1. ſ. ſed ſciendum de edil. edict.* Aul. Gell. *noct. attic. l. 4. c. 2.* Hoſtien. *in ſum. de cleric. ægrot. l. 1.* Zachias *in quæſt. medicolegalibus l. 1. tit. 1. q. 9. n. 74.* Quod explicatur dicendo ſecundum Galenum *lib. de Sympt. diff. cap. 1. claſſ. 3.* morbus eſt ſtatus naturalis mutatus actiones lædens, & ideò in iure ſub nomine infirmitatis venit quæcunque corporis diſpoſitio, quæ naturales motus impedit, vt qui ea vexatur non poſſit rebus proprijs incumbere *d. l. prima ſ. ſed ſciendum eſt de ædilibrio edicto & l. quantum ff. de iudic. & l. podagræ C. qui morbo l. 10.* Zachias loco citato. Ad hoc vero, vt Cardinali detur tertius famulus non eſt neceſſe, quod proprie ſit infirmus, ſed ſufficit, quod ſit male affectus grauiter tamen. In dubio autem an aliquis ſit infirmus, vel grauiter male affectus ex arbitrio boni viri iudicãdum erit per ſacrum Cardinalium Collegium, res enim hæc arbitraria eſt. Panorm. *cap. Quoniam frequenter n. 19.* vt lite non conteſt. Barbat. *in l. p. n. 45. ff. ſol. matrim.* Bald. in Authen. ſed ſi quis ab aliquo *n. 13. C. de teſt.* Socc. Sen. *conſ. 244 col. 4. lib. 2.* Senes tamen, qua ſenes ſunt non veniunt ſub nomine infirmorum, vel grauiter affectorum, quia ſenectus eſt diſpoſitio ſecundum naturam. Sic copia pituitæ, quæ in ſenibus abundat iuxta Galen. comm. 3. Aphor 30. non eſt in eis morboſa, vt ex Iouber. in libell. de quart. Febr. *cap. 12.* dixit Zachias loco citato *n. 77.* Sic enim eſt carere dentibus, quod in iuuentute morboſum eſſet, non eſt in ſene morboſum, neque ob eam cauſam morboſus dici poteſt *l. cui dent. ff. de ædilit. edict.* quam refert Gellius vbi ſupra. Nihilominus licet ſenectus propriè non ſit morbus, negari tamen non poteſt, quod ſenes non infirmentur facilius, vt benè probauit Alexand. Petronius in Dial. de re medica Dial. 7. per totum. Nam & Eccleſiaſt. *cap. vlt.* ſenectus vocatur tempus afflictionis, vnde facillimum eſt quod ſenes, vel ſint infirmi, vel ſaltem grauiter male affecti, & propterea quod illis tertius famulus concedi poſſit.

10. Cum verò Conſtitutio Pij Quarti conceſſionem huius Tertij famuli remittat arbitrio Sac. Collegij, ità tamen vt per duas tertias partes Cardinalium præſentium id approbetur, benè aduertit Reuerendiſſimus Coccinus id intelligendum de duabus tertijs partibus Cardinalium tunc præſentium in loco vbi vocatur, nec abſentes eſſe computandos. Innoc. *in cap. Eccleſia veſtra vel 2. de elect.* Panor. *in cap. quia propter, de elect. num. 5.* Vltra tertium verò nullus poteſt concedi, cum Conſtitutio determinata ad certam quantitatem non comprehendat alium, & dicat tertius ad ſummum concedatur *l. hoc legatum ff. de legat. 3. l. in delictis ſ. extraneus ff. de nox. l. Titius ff. de teſtam.* Bald. *conſ. 329. num. 1. vol. 1.*

11. Præter ſeruos autem Cardinalium plures alij ingrediuntur pro communi miniſterio, ſiue in ſpiritualibus, vt Sacriſta, Magiſtri Cæremoniarum, & Confeſſarius, ſiue in temporalibus, vt Medicus, Chirurgus, Aromatarius quos recenſet Pius IV. in Conſtitutione. *In eligendis ſ. Sacriſta quoque cum vno Clerico coadiutore in officio Sacriſtiæ, duo quoque magiſtri Cæremoniarum Conclaue ingrediantur, miſſis celebrandis, & alijs, quæ ad ipſos pertinent vacaturi. Adſit præterea vnus Religioſus pro confeſſionibus audiendis. maiori parte Cardinalium per ſecreta ſuffragia eligendus, vnus Collegij Secretarius tantum, duo Medici, vnus Chirurgus, vnus Aromatarius, cum vno aut duobus ſeruientibus, vnus faber lignarius, vnus cæmentarius, duo barbitonſores cum vno aut duobus ſeruientibus. Item octo, aut decem ſeruientes publicæ vtilitati, & commoditati omnium veluti pro lignis portandis, pro verrendo Conclaue, & ſimilibus neceſſarijs miniſtrandis, qui omnes à Collegio Cardinalium non tamen ex familia alicuius Cardinalis per fabas ſecretas eligantur, ità tamen, vt is obtineat, qui plura vota tulerit, & eis ſalaria de publico perſoluantur. Quod ſi vltra præfatas perſonas in Conclaui aliquis inuentus fuerit expelli ſtatim debeat. Et ſi quis vſpiam ſe occultaſſe deprehendatur ignominioſè expellatur, & infamia notetur, & officijs, atque beneficijs priuetur. Conſcij verò ſub eadem pœna illos Collegio reuelare teneantur, præmium reportaturi ſi id indicauerint.* His vero additi ſunt duo alij in Cæremoniali Gregorij XV. *ſ. Deinde accenſis;* ibi. *Quibus adduntur duo alij, vnus famulus pro magiſtris Cæremoniarum, & alij pro Secretario Sacri Collegij.*

12. Cum etiam ſint plures Magiſtri Cæremoniarum, duo primi ingrediuntur de iure, ſed alij duo, vel tres ingrediuntur ex priuilegio ſibi conceſſo dum inſtituuntur. Putat verò Coccinus, quod Sacriſta non poſſit aſſumere in coadiutorem Religioſum ſui ordinis, ſed debere aſſumere Clericum, quia, vt dictum eſt putat Religioſos non poſſe eſſe Conclauiſtas, ſed contrarium ſupra probatum eſt. Aduertit etiam Lanor. *tract. 3. cap. 7. nu. 8.* quod vbi in Conclaui ſint plures Cardinales infirmi, & præcipuè podagra laborantes, numerus baiulorum poteſt augeri, quamuis dicatur, quod ſumantur ex eis octo, vel decem ad ſummum, quia Pontifex reſpexit id, quod ordinariè ſufficere viſum eſt, non tamen negauit id, quod præter ordinarium neceſſitas poteſt petere. Confeſſarium vero poſſe aſſumi aliquem Clericum ſecularem cenſet idem Coccinus, quia & Clerici ſeculares veniunt ſub nomine Religioſi, quamuis in hoc communis vſus ſit attendendus, qui eſt vt aſſumatur aliquis Regularis.

13. Iſti igitur Conclauiſtæ oppoſitam conditionem habere debent ab illa, quam habent famuli Cardinalium, vt ſcilicet non ſint de familia alicuius Cardinalis, & vlterius à Sacro Collegio per vota ſecreta eligi debent, ità tamen, vt is obtineat, qui plura vota tulerit, vt ex verbis Conſtit. Pij IV. ſupra relatis conſtat. Seruus tamen magiſtrorum Cæremoniarum actu vni ex illis debet inſeruire, & per ſex menſes ante debet fuiſſe eius continuus commenſalis. Quod & de famulo ſecretarij Sacri Collegij decernitur in Cæremon. citato ibi: *Hac tamen conditione adiecta, vt famulus magiſtrorum Cæremoniarum actu vni ex illis inſeruiat, & per ſex menſes ante fuerit eius continuus commenſalis, quæ conditio in famulo Secretarij ſimiliter exigitur.* Et ità iſti duo famuli

non

Digitized by Google

non eliguntur à Sacro Collegio, ſed à magiſtris Cæremoniarum aſſumuntur, non tamen ſine approbatione Cardinalium deputatorum ad examinandas ſimilium famulorum conditiones. Qualitates autem morales neceſſarias Conclauiſtis ad longum deſcribit Lauor. *d. cap. 7. à n. 9.* Breuiter dicitur neceſſe eſſe, vt ſint viri induſtrij, ſagaces, ſolertes, prudentes, manſueti, patientes, ad tractanda negotia pares, & ſuper omnia ſuo Domino fideles, inſuper corpore fortes, ſano, & ſtaturæ mediæ, ne facile notari poſſint ſi ſint vel perlongi, vel perbreues.

14. Poſtquam vero Conclauiſtæ ingreſſi ſunt Conclaue, & illud de ſero circa tertiam horam noctis fuerit clauſum, vt dictum eſt; die ſequenti poſt prandium ſit recognitio Conclauiſtarum, vt decernitur in Cæremoniali §. *deinde accenſis* ibi. *Omnium autem iſtorum Conclauiſtarũ poſt prandium diei ſequentis ſit recognitio, ne quis inter illos fortè eſſet ex ijs, qui in Conclaui eſſe non poſſunt, quæ recognitio, vt certiùs fiat iubentur Conclauiſtæ omnes intrare Capellam, & poſteà ſigillatim recenſentur.*

15. Quod ſi contingat aliquem ex illis ob infirmitatem exire, nunquam amplius redire poteſt, ſed illico alius loco ipſius introducitur, vt ſtatuit Pius IV. in d. Conſtitut. *In eligendis §. Conclauiſtæ verò, & quicunque alij ſeruientes Conclaue ex cauſa infirmitatis manifeſtæ, & notabilis à medicis medio iuramento probatæ, & de conſenſu deputatorum, quorum etiam conſcientiam deſuper oneramus, & non aliter exituri, nullo modo reuerti poſſunt, ſed eorum loco alij eodem prorſus tempore quo infirmi exibunt, ingrediantur.* Ex quo etiam colligitur, quod Conclauiſtæ ob ſolam neceſſitatem infirmitatis, & quidem manifeſtæ, & notabilis, & à Cardinalibus deputatis media congrua informatione approbatæ, exire poſſunt. Cũ dicatur eos non exituros aliter quã ex cauſa infirmitatis iuratæ à medicis, & de conſenſu deputatorum. Et ex his colligitur, quod Cardinales iſti deputati debent ex ſe conſiderare atteſtationes medicorum, an ſubſiſtant, & ſit eis præſtanda fides, vt habetur ex allegat. per Panor. *in fin. §. is autem de offic. delegat. in fin. quamuis in dubio ſtandum ſit peritis in arte.* Iſtis etiam Conclauiſtis ad exitum non ſufficit mala corporis affectio, ſed requiritur infirmitas, vbi tamen adſit periculum, vel mortis, vel grauis infirmitatis poterunt Conclauiſtæ exire, aliter Conſtitutio diſponeret contra charitatem, quod non eſt admittendum. Suarez *tom. 4. in 3. p. diſp. 35. ſer. 3. num. 5.* Sanchez *l. 3. in* Decal. *cap. 16. n. 10.* In alio etiam caſu poſſunt exire, ſcilicet ſi Cardinalis Dominus moriatur. Tunc enim non eſt cauſa vnde illi in Conclaui remanere debeant, & imò ex vi Conſtitutionum illis prohibitum eſt remanere, cum amplius nec familiares ſint alicuius Cardinalis nec Officiales Conclauis. In alio etiam caſu Conclauiſta egreſſus poteſt redire intra Conclaue, ſi egrediente Cardinali egrediatur, & ipſe, quia Cardinali redeunte, & ipſe redire poteſt.

Quæ culpa ſit violare Clauſuram Conclauis per colloquia, nuncios, & litteras.

QVAESTIO XII.

1. Violatur clauſura verbis, ſcriptis & factis. Verbis quidem Nam prohibitum eſt extraneos loqui cum Cardinalibus vel Cardinales loqui cum extraneis. Imo abſolute colloquia inter eos, qui ſunt intra, & extra Conclaue ſunt prohibita. Nam primo in *cap. vbi periculum §. hoc ſacro de elect. in 6. dicitur. Nulli ad eoſdem Cardinales aditus pateat, vel facultas loquendi ſecretè cum eis, nec ipſi aliquos ad ſe venientes admittant, niſi eos, qui de voluntate omnium Cardinalium ibi preſentium pro ijs tamen, quæ ad electionis negotium pertinent, vocarentur. Nulli etiam fas ſit ipſis Cardinalibus, vel eorum alicui nuncium mittere, vel ſcripturam. Qui verò contrafecerint ſcripturam mittendo, vel nuncium, aut cum aliquo ipſorum ſecretè loquendo, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant. Et Pius IV. in Conſtitut. In eligendis §. Clauſo Conclaui nulli ad colloquium etiam extra portam Conclauis, etiam Principum Oratores, niſi ex magna, & vrgenti cauſa à maiori parte Collegij approbanda admittantur.*

2. At nedum verbis, ſed nuncijs, & litteris loquimur, vnde eſt prohibitum etiam mittere nuncium, vel litteras Cardinalibus in Conclaui exiſtentibus, vt ex verbis *cap. vbi periculum apparet*, & ex d. Conſtit. Pij IV. §. *litteras verò, aut cuiuſuis generis ſcripta, ad eos, qui in Conclaui erunt, ſeu nuncium, notam, aut ſignum mittere, ſeu recipere, aut contra è Conclaui ad eos, qui foris erunt nullo modo liceat, qui contrafecerint, quacunq; dignitate, etiamſi Cardinalatus honore præfulgeant, pœnæ excom. latæ ſent. ſubiaceant, abſoluendi facultate præterquam in mortis articulo ſoli Pon. Max. reſeruata, à quo nihilominus pro qualitate delicti, vltra dictam excommunicationem pu[n]iendi erunt.*

3. Plura autem occurrunt explicanda circa huiuſmodi ſtatuta, & quidem primò dubitatur, an vniuerſaliſſimè omne colloquium, & cuiuſcunque ſcripturæ tranſmiſſio ſit prohibita per præfatas Conſtitutiones, vel potiùs ſolum illa vel illæ quæ electionem Pontificis concernunt, & ad illam ordinantur. Duplex eſt in hac parte ſententia. Nam omne colloquium, & ſcripturam cenſendam eſſe prohibitam, & ſubiectam pœnis dictarum Conſtitutionum cenſet Bonacina *de elect. Pontif. diſp. 2. quæſt. 4. num. 10. cui conſentit* Barboſ. *l. 1. de iure Eccleſ. cap. 1. n. 68. fin.* Et probatur primo. Tum quia Summus Pontifex ad præcauenda pericula prohibet mitti, vel recipi litteras, vel ſcripta cuiuſuis generis. Tum quia ſicut prohibetur, quælibet locutio cum Cardinalibus, ità etiam cuiuslibet ſcripturæ tranſmiſſio. Tum tertio quia prohibitum eſt mittere nuncium, notam, & ſigna etiam ſi illa ſigna ſint nota ſolum mittenti, & illi ad quem mittuntur.

4. Sed quod prædicta non vrgeant tenent DD. infra citandi. Nam illud dictum textus, &

cuiuſuis

cuiuſuis generis ſcripta non reſpicit materiam litterarum, ſed formam, & modum ſcribendi, non enim omnẽ ſcriptũ dicitur littera,& ideòPiusIV. vt omnem modum ſcripturæ excluderet, dixit litteras verò, aut cuiuſuis generis ſcripta ſiue ſcilicet ſcriptura littera dicatur, ſiue liber, ſiue papyrus, ſiue ſchedula, ſiue quocunque alio nomine nuncupetur nec mittatur, nec recipiatur. Neque eſt verum, quod prohibita ſint omnia colloquia cum ijs, qui ſunt intrà Conclaue. Et ex quo in *cap. vbi periculum* ſola prohibetur facultas ſecreto loquendi cum Cardinalibus ibi *vel facultas ſecretè loquendi cum eis*, & intrà, *aut cum aliquo ipſorum ſecretè loquendo*, benè colligitur, quod non fuit intentio inſtituentium Conclaue, vt Cardinales, & alij adſtricti eſſent legibus clauſuræ monialium, aut carceratorum ob grauiſſima crimina, & ita vt cum ijs, qui ſunt extra Conclaue nullam communicationem habere poſſent etiam in non pertinentibus ad negotium electionis Pontificis, quæ eſt vnica cauſa incluſionis. Ideo DD. infra citandi dicunt, quod colloquia, litteræ, notæ ſigna, ſcripta prohibita ſub pæna excommunicationis ſunt illa, quæ concernunt negotium electionis, non verò quæ continent alia negotia. Quia illa, quæ alia negotia continent ſunt extra finem legis, & clauſuræ, qui eſt vt non fiat præiudicium libertati, & ſanctitati electionis per promiſſiones, minas, ſubornationes, ſuaſiones, fictos rumores, & huiuſmodi, ſcripta verò alia negotia ab electione continentia nullum præiudicium illi inferre valent. Nec obſtat ſi dicatur quod ſi admitteretur, vt intrà vel extra mitti poſſent ſcripturæ, poſſet eſſe, quod etiam mitterentur ſcripturæ concernentes electionem, & illi præiudicium inferentes, & quod propterea omnis ſcriptura eſt interdicta ad hoc periculum vitandum, quoniam dicitur primò, quod vbi litteræ ſint apertæ, & modo non ſecreto, ſed palam miſſæ, ceſſat hoc periculum. Et ſi etiam ſint clauſæ, aut ſecretò tranſmiſſæ ſufficienter periculo prouiſum eſt per impoſitam pœnam excommunicationis ſcribentibus, & recipientibus ſcripta concernentia negotium electionis, & per communes leges Conclauis, & Cuſtodes deputatos, quibus incumbit, vt litteras ſecretas ingredi vel egredi non ſinant, & colloquia ſecreta non admittant. Et ità quod colloquentes, & litteras aut ſcripta non concernentia negotium electionis mittentes, aut recipientes non ſint excommunicati tenuerunt Caſtro Palaus *tom. 6. diſp. 3. p. 18. num. 6.* Lauor. *tom. 1. tit. 3. cap. 2. num.* 10. & 11. Diana *par.* 12. *de collocut. tempore Conclauis reſol. 9.* Et Ioſephus Gibalinus in Synopſi de Cenſur. *v. electio num. 6.* Et nihilominus admonet Palaus conſultum eſſe ab huiuſmodi collocutione, aut litterarum miſſione abſtinere. Tum ratione ſcandali, Tum quia ſaltẽ in foro exteriori, mittens dum veritas non manifeſtatur talis excõmunicationi ſubiectus erit.

5. Dubitatum verò fuit antiquitus, an ad incurrendam excommunicat. Gregor. X. *in cap. vbi periculum* neceſſe fuiſſet, quod mittentes litteras vel nuncium mitterent illas ſecretè, & ità vt mittentes publicè non incurrerent. Et ratio difficultatis erat, quia ibi dicitur: *Qui verò contrafecerit ſcripturam mittendo, vel nuncium aut cum aliquo ipſorum ſecretè loquendo ipſo facto &c.* Videtur enim, quod verbum *ſecretè* referri debeat nedum ad loquutionem, ſed etiam ad litteras, & nuncium, & ſic quod ſolum prohibitum ſit mittere litteras, vel nuncium ſecretè. Et ità textum intellexerunt Io: Andr. Geminian. & Archid. Syluеſ. *v. excommunicatio 9. n. 34.* Angel *eod. caſu 23.* Tabien. *eod. 5. caſu n. 16.* Sed alij expreſſe è contra conſiderantes quod prius abſolutè dictum fuit. *Nulli etiam fas ſit ipſis Cardinalibus, vel eorum alicui nuncium mittere, vel ſcripturam.* Et poſtea additum fuit. *Qui verò contrafecerit ſcripturam mittendo, vel nuncium,* contra ſcilicet prohibitionem iam factam, quæ abſoluta fuit dixerunt aduerbiũ ſecretè, quod in clauſula ſequenti ſubiũgitur, dũ dicitur, aut cũ aliquo ipſorũ ſecretè loquẽdo, reſpicere ſolũ loquutionẽ: Et ita non ſolos ſecretè loquẽtes cũ Cardinalibus eſſe excõmunicatos ex vi dicti Canonis, ſed omnes ſiue ſecretè ſiue palã mittentes ſcripturas, aut nuncium eidem ſententiæ ſubijci, cum etiam modus loquendi per nuncium, aut litteras regulariter ſit ſecretus, docuerunt Caiet. *v. excommunicatio cap.* 55. Palud. *in 4. d. 18. q. 3. a. 2. cap. 5.* S. Antonin. *p. 3. tit. 25. c. 4.* Martin. de Ledeſ. *2. 4. q. 26. a. 2. §. vndecima.* Nauar. *cap. 17. n. 121.* Coccinus *in d. manuſcripto* Gloſſa. *pag. mihi* 269. Tolet. *lib. 1. cap. 38. n. 1.* Suarez de Cenſ. *diſp. 13. ſect. 4. n. 1.* Sayr. *l. 3. cap. 31. n. 3.* Filliac. *tom. 1. tr. 14. cap. 2. q. 2. punct. 34. n. 4.* Caſtro Palaus *tom. 6. diſp. 3. p. 33. v. 1.* Serius de Cenſur. *diſp. 3. diff. 3. q. 2.* Giballinus in Synopſi cenſurarum *v. electio n. 6.* Diana. *p. 12. de colloc. temp. Conclauis reſol. 8.*

6. Sed hodie hec litis locum non habet, quoniam Conſtit. *Pij* IV. abſolutè, & generaliter prohibet omnem miſſionem litterarum quaruncunque aut nuncij ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ. Vnde hæc eſt vniuerſalior illa, quia illa comprehendebat ſolos exteros mittentes litteras, vel nuncium ad Cardinales Caiet. *v. excomm. cap.* 55. Suarez *de cenſ. diſp. 25. ſect. 4. n. 2.* hæc verò afficit omnes tam intra, quam extra, & tam mittentes ad Cardinales, quam ad quemcunque alium, & tam ad intra Conclaue exiſtentem, quam ad exiſtentem exterius ab exiſtente intra Conclaue. Palaus *de cenſ. diſp. 3 p. 33. n. 1.*

7. Dubitatur tertio an ſint prohibitæ collocutiones, & ſcripta, quæ ordinantur ad bonam electionem futuri Pontificis. Affirmat Diana *par. 12. de colloc. temp. concl. reſol.* 5. Tum quia quando lex fundatur non in præſumptione, ſed in periculo delicti, deficiente delicto adhuc obligat lex, vt fert communis opinio. At verò in noſtro caſu Conſtitutiones Pontificiæ non fundantur nec præſumunt delictum, ſed periculum delicti, igitur etiam ceſſante delicto, ſi quis ſcribat, vt faueat bonæ electioni, adhuc lex prohibens ſcripturas valet, & obligat. Et confirmatur, quia nimis durum eſt in re tam graui relinquere iudicium de ceſſatione legis non ſolum Eminentiſſimis Cardinalibus, ſed etiam ſecularibus, vt poſſint impunè ſcribere, & colloqui cum ipſis, quoties probabiliter exiſtimarent di-

ctas

ctas collocutiones, vel litteras conducere ad electionem bonam Pontificis, & ideo non adeſſe in illis abuſum, ſed ceſſare finem legis, tum quia hoc ſtante vnus ſcriberet vnum, & alius oppoſitum, & vnuſquiſque diceret, quod ceſſat finis legis: Tum quia ſi hæc opinio eſſet admittenda, ſacrum Conclaue, & eius Rotæ magis frequentarentur, quam poſti Paſquini, & conſtitutiones Pontificiæ tam arctæ deſeruirent de vento, & in fumum tranſirent, & electio Pontificis vſque ad Calendas Græcas differretur. Propter hæc autẽ Diana huic parti affirmatiuæ adheret, quam certam arbitratur, & contrariam refellendam decernit.

8. Verum in contrarium adduci poſſunt illi, qui loquentes de prohibitione ſubornationum in electionibus Prælatorum aſſerunt prohibitas eſſe per Pontificum decreta ſolas ſubornationes malas, quos in tractatu de electione retuli *c. 5. q. 4. n. 45.* Et videtur hoc poſſe confirmari videndo prius, quæ ſit electio bona, ſupponendum eſt enim illam ſolam eſſe electionem bonam, quæ excludit indignos, & in concurſu dignioris excludit minus dignos, & in concurſu digniſſimi omnes alios. Et propterea illa ſola collocutio, aut ſcriptura condncit ad electionem bonam, quæ deſeruit ad excluſionem indignorum, vt includatur dignus, vel ad excluſionem minus digni vt dignior includatur, vel vt includatur digniſſimus, quod totum de iure diuino faciendum eſt. Solum in vno caſu, in quo plures ſint æquè digni, nec digniorem habeant, datur libertas à iure diuino, vt vnus ad arbitrium eligentium eligi poſſit. In quo tamen caſu retardare electionem vnius ad ſummum Pontificatum, vt eligatur alius eſt per ſe malum, & Eccleſiæ perniciosum, niſi dilatio adeo parua ſit, vt ſit pro nihilo computanda, vndè verbis, vel ſcriptis retardare electionem vnius, vt eligatur alius æquè dignus retardando electionem non eſt cooperari bonæ electioni, ſed malæ, quia electio retardata mala eſt, ſi non adeſt iuſta cauſa excuſans moram, hæc verò non eſt incluſio æquè digni, cum alius æquè dignus prius notabiliter potuit eligi. Imò præſcindendo etiam ab omni nocumento, quod poſſit prouenire Eccleſiæ, procurare electionem vnius digni præ alio digno nõ eſt actio poſitiuè bona. Et licet non ſit ex ſua ſpecie mala, tamen nec eſt bona, ſed indifferens, & quæ alias ex circunſtantijs poteſt fieri, & bona, & mala, & eſſe actus virtutis, vel vitij, ſi in indiuiduo omnibus penſatis ſumatur. Licet enim bonum ſit procurare electionem digni, quo nullus eſt dignior procurare tamen electionem digni præ alio digno non eſt quid determinate bonum, vel malum, quia ad bonum Eccleſiæ indiferens eſt, quod hic, vel alius æquè dignus præſit.

9. Aliud etiam conſiderari poteſt, an ſcilicet indignitas alicuius, & alterius maior dignitas ſit certa, vel dubia; nam & dubia dicenda eſt, nedum ſi non adſit motiuum probabile inclinans iudicium practicum ad vnam partem, ſed manet anceps intellectus neſciens ſe determinare. Sed etiam ſi ſolum opinatiuè, & probabiliter adhæret vni parti cum tali alterius partis formidine, quæ moralem certitudinem tollat. Tunc enim neque intellectus eſt certus, quia & oppoſito probabiliter adhæret, & vtramque partem probabilem, ideoque, in incertam putat.

10. His præmiſſis hæc ſecunda ſententia vera eſſe videtur, vbi ſimus in caſu periculi probabilis, quod promouendus ſic certò moraliter indignus excluſo digno, vel minus notabiliter dignus excluſo digniori, nam tunc rationabile videtur per colloquia huiuſmodi, & ſcripta modo poſſibili agere pro incluſione digni ad excluſionem certò indigni, vel pro incluſione dignioris ad excluſionem certò minus digni non eſſe per ſe loquendo peccatum, nec ſub lege poſitiua collocutiones, & ſcripta prohibente compræhẽſum, aut ab ea prohibitum. Neque enim hoc pendet ex eo principio, quod lex non obligat, vbi ceſſat finis legis, ſed ex illis, quod lex non obligat ad id quod eſt contra finem legis, & quod non poteſt inferior contra legem ſuperioris, & quod lex humana revereri debet legem diuinam, & illi ſubordinari, & ex ea limitari, & explicari. Quæ certa ſunt ex ijs, quæ habentur à D.Th. *p. 2. q. 91. ar. 3. & q. 95. ar. 2. & q. 96. a. 6.* & tradunt ibi DD. cõmuniter modò Cardinales ex diuina lege tenentur ab electione excludere indignos, & in cõcurſu digniores minus dignos, & hoc lex omnis Canonica intendit, & vult. Et quilibet fidelium, ſi non ex officio, vt Cardinales, ſaltem ex charitate boni communis tenentur pro poſſe huic electioni bonæ cooperari ad reiectionem electionis malæ; igitur ſi ad hoc conducant colloquia, & ſcripta illa non videntur à lege poſitiua interdicta, quia nec lex intendit militare contrà ſe ipsã & ſuum finem; nec intendit impedire meliorem electionem, ſed malam; nec prætendit ſubuertere legem diuinam, ſed illam tueri, & confirmare.

11. Itaque quoticſcunque imminet mala electio, & quod electio imminens ſit mala, eſt certum moraliter, quia eſt certum, quod eligendus eſt indignus, vel minus dignus in concurſu dignioris, qui habetur in promptu etiam ſi periculum non ſit certum, ſed probabile, cum tamen ſit certa moraliter malitia electionis imminentis, agere colloquijs, & ſcriptis ad impediendam malam electionem, vt habeatur bona, non videtur eſſe peccatum, nec humana lege prohibitum, cum ſit finis ab humana lege intentus, & à lege diuina id exigatur. Et timor probabilis mali communis ſufficiat ad hoc vt moueat voluntatem honeſtam ad bonum commune promouendum.

12. Imò licet non immineat periculum alicuius malæ electionis determinatæ, nihilominus ſi ſpectatis circunſtantijs, & attenta naturæ fragilitate, & paſſionibus, & affectibus humanis, & maximè ſi ſciatur, quod ab omnibus lex non obſeruetur, & quod non deſint qui ab extrinſeco tractant, agunt, ſuadent, vnde omnibus penſatis vtile eſt, & neceſſarium ſcire occultos aliorum tractatus, & machinamenta, ſeu ea accidentia, quæ adueniunt, & quorum notitia eſt valde neceſſaria, aut valde vtilis ad dirigendam electionem, & itaut ex ſimilium ignorantia poſſent vocales errare in electione. Et itaut omnibus in indiuiduo bene penſatis certum ſit iudicati valde vtile eſſe, ſeu, quod in idem tandem coincidit,

dit, neceſſarium ad decernendum ſine errore, quid ſit Eccleſiæ vtilius videtur quod in conſcientia peccatum non ſit in ſimili caſu loqui, vel ſcribere, aut audire, & recipere ſcripta miſſa, vel ab intra, vel ab extra, & quod in hoc caſu lex poſitiua in conſcientia nõ prohibeat huiuſmodi Colloquia, aut ſcripta. Militat enim ſemper eadem ratio, quia lex non præbet impedimentum fini à ſe intento. Et hoc videtur conſiderandum, quod vbi lex præcipit rem de ſe indifferentem, ex eo quod multi ea abutuntur, & ad hoc principaliter, vt operatio aliqua quæ eſt de iure naturali & diuino fiat prout lex naturalis, aut diuina præcipit fieri, tunc lex illa non prohibet illam actionem indifferentem in eo caſu, in quo illa eadem actio, vel in rigore à lege naturali, aut diuina præcipitur, vel certè ſecundum eam exigitur ad hoc, vt operatio ex ipſa lege naturæ, aut diuino præcepto fiat prout eadem lex præcipit, quia aliter lex poſitiua, vel prohiberet id quod lex naturalis, aut diuina præcipit, vel eiuſdem legis naturalis, aut diuinæ obſeruantiæ impedimentum poneret, & quod intendit deſtrueret. Vbi igitur in indiuiduo penſatis omnibus huiuſmodi colloquia, aut ſcripta neceſſaria ſunt, aut valdè vtilia ad hoc vt electores ſciant dirigere ſe ad electionem habendam prout lex diuina præcipit, illa in foro conſcientiæ non videntur prohibita à lege poſitiua.

13. Poteſt hęc quęſtio explicari ex motiuo iã tacto. Nã cũ leges grauiſſimè prohibeanr ſubornationes votorũ, nihilominus DD. vt probaui loc. ſup. citato diſtinguunt ſubornationem bonam, & malam, & aſſerunt nõ prohiberi ſubornationem bonam, quæ tendit ad hoc, vt excludantur indigni, & minus digni ptæ dignioribus, vt ſatis ibi probatum eſt. Ita hic diſtingui debent colloquia bona, & bona ſcripta à malis, & dicendum ſine dubio illa eſſe bona, quæ tendunt ad hoc vt Eccleſiæ quantum fieri poteſt optimo modo prouideatur de optimo Pontifice. Et iſta nedum non ſunt prohibita, ſed poteſt dari caſus tantæ neceſſitatis, vt teneatur Cardinales ex vi diuinæ legis ſcribere extra Conclaue, etiam ſe exponendo alicui periculo propter commune bonum Eccleſiæ.

14. Sed vbi ſolum ageretur de includendo potius hoc digno, quam alio non eſt ità facile, vt huiuſmodi procuratio, per colloquia, aut ſcripta ſit bona Nam certè ſi per hoc tardatur electio, licet huiuſmodi procuratio non ſit mala ex obiecto eſt mala, & Eccleſiæ pernicioſa ex circunſtantia, & ideo ſine dubio cadit ſub legis prohibitione. Et idem dicendum, ſi is cuius electio intenditur, licet appareat ex aliquo motiuo dignior, tamen hoc non eſt moraliter certum, ſed dubium, quia non intereſt Eccleſiæ diù differre electionem Papæ, vt eligatur is, de quo non eſt certum, quod ſit notabiliter dignior, & Eccleſiæ vtilior. Adde, quod vbi agitur de æquè dignis, parum intereſt Eccleſiæ, quod hic, vel ille eligatur, ideò non habet hic locum diſcurſus ſuprapoſitus, quia nec eſt obligatio aliqua Iuris diuini, contrà quam non valeat lex humana. Nec Eccleſiæ communis vtilitas præponderat bono, quod lex humana prætendit.

15. Et nihilominus etiam in hoc ſenſu oppoſita ſententia non caret ſua probabilitate, quia non eſt improbabile, quod vbi lex prohibet aliquod de ſe indifferens ad bonum, & malum ſub graui pœna, ex eo quod homines eo abutuntur, & per illud ponitur impedimentum libertati & honeſtati alicuius actionis neceſſariæ de iure naturali, aut diuino, tunc lex ſub illa graui pœna non prohibeat niſi abuſum illius actionis. Et quia colloquia, & ſcripta concernentia electionem Papæ de ſe non ſunt mala, ſed ſunt prohibita propter abuſum, & ne quis impediat libertatem, & honeſtatem electionis Pontificis ideò nõ videtur improbabile aſſerere, quod huiuſmodi colloquia, vbi non ſunt impeditiua electionis & aliquod damnum non inferant Eccleſiæ, non ſiot prohibita ſub pœna excommunicationis; leges enim pœnales benignam ſemper recipiunt interpretationem *cap. In pœnis 49. de reg. Iur. in 6.*

16. Et eo magis ſuperius dicta videntur probabilia, quia lex poſitiua ſuum effectum habet, etiamſi in conſcientia non prohibeat præfatas operationes. Nam in foro externo, in quo recta agentis intentio non de facili innoteſcit, qui inuentus fuerit, aut colloquia habuiſſe, aut nuncium, vel ſcripturas miſiſſe ad intra, vel extra Conclaue, punietur tanquam legis tranſgreſſor, niſi clarè probet rectitudinem, & neceſſitatem ſui facti, quod certe erit difficillimum; Vnde lex tantæ virtutis eſt, vt retrahere valeat quemlibet cordatum virum à ſui tranſgreſſione, niſi ex cauſa verè iuſta, & ſine ſcandalo, & cum maxima cautela, quod ſufficit ad exterioris gubernij pacem, & ad humanarum actionum prudentem directionem.

17. Et dicta eo magis veriſimilia videntur, quod prioris ſententiæ motiua ſolutionem ſatis manifeſtum videntur admittere. Nam ad primum dicitur primò, quod aſſumit non cauſam pro cauſa. Neque enim ſententia poſita fundatur in hoc, quod ceſſante fine legis in particulari ceſſet legis obligatio, ſed quia lex poſitiua non obſtat legi diuinæ, nec prohibet, quod illa, vel præcipit, vel dictat agendum. Item lex poſitiua non præcipit id, quod finem ſuum tollit ſicut obſtare, & tollere videtur, ſi non liceret vti colloquijs, & ſcriptis externis tunc cũ ſunt neceſſarij vel valdè vtiles ad optimã Papæ electionẽ. Dicitur ſecũdò, quod adhuc non improbabiliter fundatur hęc ſententia in illo principio abſolutè ſumpto, ſed in hoc, quod lex pœnalis prohibens abuſũ alicuius rei indifferẽtis quia pœnalis eſt, non ſe extendit ad vſũ licitũ, & ſine ſcandalo illius rei; lex verò prohibẽs præfata colloquia ſub pœna excommunicationis eſt lex pœnalis, ideò ſe extendit ad abuſiua colloquia, nõ ad illa, quæ non ſunt mala, & ad electionem rectam, & honeſtè factam conducunt.

18. Et ad primam confirmationem dicitur, quod lex naturalis, & diuina illa eſt, quæ hominibus relinquit iudicium de actionibus in indiuiduo, & quid hic, & nunc conueniat in ordine ad rectum finem, & ad perficiendum id, quod lex naturalis, aut diuina præcipit, ad rectè operandum coram Deo, cum hoc iudicium ſupplere non poſſit lex humana, cum nullus hu-

manus legiſlator ſit, qui omnes caſus in ſingulari poſſit prouidere, vt bene docet D. Th. *p. 2. q. 96. art. 6. ad 3.* Et ideò non eſt durum, ſed rationabile quod Cardinales qui ſunt viri doctiſſimi, & prudentiſſimi, & etiam ſeculares, qui vbi in tanto negotio ſe ingerunt non ſunt de plebe; ſed viri induſtrij, & prudentes, in ſingulari conſiderent; quid lex diuina præcipiat, & ad quid ſecundum etiam præſcriptum canonum lex poſitiua pœnalis ſe extendat. Ad ſecundam confirmationem dicitur quod non intereſt; ſed potiùs vtile eſt, quod vnuſquiſque ſcribat, quæ opportuna putat ad optimam Papæ electionẽ, licet hæc contraria ſint, vt ex eorum collatione quod melius eſt accipiatur. Ad tertiam confirmationem dicitur, quod non ſequitur inconueniens illatum. Vbi enim, & pro foro externo lex obligat taliter, quod forum externum præſumit colloquia præfata, & ſcripta eſſe contrà legem, & vt talia illà habet, & punit, niſi probetur illorum neceſſitas, & rectitudo, & recta agentis intentio, quæ difficillimè probari poſſunt; poterit quidem eſſe, vt ſecretò, & cum maxima cauthela huiuſmodi colloquia habeantur, aut ſcripta mittantur, at certè non eſt timendũ, quod lex contemnatur, & paruipẽdatur.

19. Dubitatur quarto an Cardinales loquentes cum aliquo extra Conclaue de rebus ſpectantibus ad electionem incidant in excommunicationem? Affirmatiuam partim eſſe ſatis probabilem tenet Diana *par. 12. de collocut. temp. Concla. reſol. 2.* & ità quod ait, quod ipſe conſuleret DD. Cardinalibus illi adhærere. Fundamenta ſunt, quia legis mens magis eſt attendenda, quam verba, vt ex *l. ſcire ff. de legib. & alijs legibus* Sotd. Ferrett. Hurtada, Lopez ab eo citatis conſtat, ſed mens Pontificum fuit, vt ob electionem Pontificis Cardinales ab omni communicatione externa abſtinerent, vnde expreſſè excommunicarunt mittentes litteras, aut nuncium, igitur multo magis dicendum eſt prohibuiſſe ſub eadem pœna collocutionem, cum lingua magis vrgeat, quàm calamus. Secundo quia in Conſtit. Pij Quarti §. *clauſo*, & §. *litteras dicitur*. Clauſo Conclaui litteræ, & ſigna ſimiliter prohibentur. Vbi notanda vox ſimiliter, quæ eſt repetitiua ex Ruino, & Surdo, & inducit diſpoſitionem ſimilem præcedenti ex Card. Seraphino *deciſ. 1384. num. 1.* igitur cenſura data in dicto §. *litteras*, cadit etiam in eos, qui intra Conclaue exiſtentes loquuntur cum extraneis de rebus ad electionem ſpectantibus, cum vtrobiq; ſit par ratio. Tertio quia regula iuris eſt *cap. cum quis de reg. iur. in 6.* quod abſurdum ſit, vt cum vni vna via prohibeatur, altera concedatur, vt ex Pechio, Valeſio, Vela, & Sanchez conſtat. At hoc eueniret in caſu noſtro. Nam ad euitandam omnimodam communicationem cum alijs denegaretur via per litteras, & concederetur ſine incurſu cenſurarum per colloquia. Quarto quia quamplures DD. ſunt quia aſſerunt, quod etiam in lege pœnali ex identitate rationis ſit extenſio legis pœnalis, igitur à fortiori in caſu noſtro lex prohibens ſub excommunicatione litteras prohibet etiam colloquia.

20. Sed oppinio contraria vera eſt, quia lex clarè, & expreſsè diſtinguit inter colloquia, & litteras, ſeu ſcripta, & hæc ſola prohibet Cardinalibus ſub pœna excommunicationis, & non illa. Et quidem primò hoc eſt euidens in terminis Conſtitutionis Greg. X. *cap. vbi periculum*. Nam primò de colloquijs loquendo ſic decernit. *Nulli ad eoſdem Cardinales aditus pateat, vel facultas ſecretè loquendi cum eis, nec ipſi aliquos ad ſe venientes admittant &c.* Vbi nulla pœna imponitur. At verò ſubſequitur lex, & ait. *Nulli etiam fas ſit ipſis Cardinalibus, vel eorum alicui nuncium mittere, vel ſcripturam. Qui contrafecerit ſcripturam mittendo, vel nuncium, aut cum aliquo ipſorum ſecretè loquendo ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrat.* In his vero verbis euidens eſt Concilium loqui de his, qui ſunt extra Conclaue, quibus ſub pœna excommunicationis prohibetur mittere nuncium, vel ſcripturas ad Cardinales intrà Conclaue exiſtentes, vel cum eis ſecretè loqui. Et ideò quod ex vi huius legis Cardinales non ſint excommunicati, ſi de rebus ſpectantibus ad electionem Pontificis loquantur vel nuncium vadiant, vel ſcripturam recipiant docent Caiet. *v. excommunicato cap. 55.* Sayr. *lib. 3. cap. 35. num. 3.* Suarez *de cenſ. diſp. 23. ſec. 4. num. 2.* Filliac. *tract. 14. cap. 4. quæſt. 2. num. 54.* Bonac. *tom. 3. de Cenſ. diſp. 2. quæſt. 2. par. 34. num. 6.* Palaus *par. 6. diſp. 3. punct. 31. num. 1.* Gibal. In Synopſi *v. electio num. 6.* Coccinus in manuſcripto Gloſſem. Et benè ex Caiet. notat Suarez, quod ex vi huius legis Cardinales intra Conclaue exiſtentes non prohibentur loqui inter ſe, nec inuicem nuncium, aut litteras mittere.

21. In terminis etiam Conſtit. Pij IV., *in eligendis*, idem dicendum eſſe conſtat, quoniam in §. *clauſo*, ſine impoſitione pœnæ prohibentur colloquia, *Clauſo*, inquit, *Conclaui nulli ad colloquendum etiam extra portam Conclauis niſi ex magna, & vrgenti cauſa à maiori parte collegij approbanda admittantur*. Solum vero in §. *litteras*, ſequenti imponitur excommunicatio vniuerſalior, quam illa, quæ continetur in *cap. vbi periculum*, quia hæc non comprehendit ſolum mittentes nuncium, vel litteras ab extra intrà Conclaue, ſed etiam eas intus recipientes, & vlterius mittentes ab intra extrà Conclaue, ſed nulla in eo §. *litteras* de colloquijs fit mentio. Et propterea quod neque in terminis Conſtit. Pij IV. Cardinales loquentes cum externis ſint excommunicati, docent Palaus, & Bonac. vbi ſupra *num. 9.* Theſaur. *in praxi par. 2. v. Conclaue cap. 2.* Giball. & Coccinus loco citato. Nec obſtat, ſi quis dicat, quod cum Pij conſtitutio fuerit edita ad interpretationem *cap. vbi periculum*, ideo comprehendat omnes caſus contentos in *d. cap.* & quod illi cenſeri debeat, vt repetiti, vt in ſimili docet Imo. *num. 50.* in Clem. ne Romani quæ emanauit ad interpretationem *cap. vbi periculum*. Quia vt aduertit Coccinus conſtitutio Pij interpretatur ſolum verba *Nuncium, & ſcripturam*, addendo cuiuſuis generis ſcripta, notam, aut ſignum. Circa tamen locutiones ibi nihil dicit, vnde ſecretam locutionem non comprehendit.

22. Ne-

22. Neque vrgent, quæ in oppoſitum adducta ſunt. Et primum, retorquetur, nam ex quo veriſſimum eſt, quod mens legislatoris eſt attendenda, & hæc per verba legis nobis innoteſcit, vbi lex in ordine ad eundem finem duas actiones ſcilicet colloquia, & tranſmiſſionem litterarum prohibet expreſſe, ſed primam ſine impoſitione pœnæ, aliam ſub pœna excommunicationis, euidens eſt mentem legislatoris non fuiſſe, & eſſe, quod legem tranſgrediens per colloquia ſit excommunicatus, quia pœna non imponitur niſi exprimatur. Ad ſecundum dicitur nimis euidens eſſe, & ad oculum quod §. *clauſo, & §. litteras ſunt diſtincti*. Quod ſi ex identitate finis deducitur identitas §. *non eſt vnde conſtitutio illa Pij Quarti diſtinguatur per §. quia tota ad eundem finem ordinatur*. Et quod in rubrica §. *litteras*, quæ non eſt legislatoris, & Deus ſcit, cuius ſit, dicatur, quod ibi litteræ, & ſigna ſimiliter prohibentur, nihil aliud importat niſi ſimilitudinem in ratione prohibitionis, non vero in modo ſpeciali prohibitionis, quia colloquia fuere prohibita nulla impoſita pęna, litteræ verò, & ſigna prohibita fuere ſub pœna excommunicationis. Ad tertiam dicitur, quod continet hanc conſequentiam, ſcilicet prohibita vna via ad aliquem terminum, non eſt conceſſa altera, ergo prohibita vna via ſub pœna excommunicationis, ſub eadem pęna eſt prohibita alia, quæ conſequentia (quidquid ſit de intelligentia antecedentis) non habet fundamentum. Non enim eſt eadē neceſſitas coercendi homines per pęnas à quacunque actione mala, & bono communi repugnanti, aliter ſi vna prohiberetur ſub cenſura ex hoc omnes cenſerentur ſub cenſura prohibitæ, & vno peccato prohibito ſub cenſura omnia eſſent prohibita. Sed cenſura, & pœna non afficit niſi actiones pro quibus imponitur, nec per hoc aliæ actiones conceduntur, ſed illæ remanent diſpoſitioni iuris naturalis, aut diuini, aut poſitiui communis, aut alterius legis prohibentis, non verò comprehenduntur ſub lege cenſuram pro alia actione imponente. Ad quartam dicitur primo, quod neque eſt vera ſententia illorum, qui legem pœnalem extendunt de caſu ad caſum ex ſola ſimilitudine aut identitate rationis in genere, ſed ad extentionem neceſſaria eſt identitas adæquata, & eadem ratio applicationis legis illi pęnæ, quod in noſtro caſu non inuenitur.

23. Dicitur ſecundo quod quidquid ſit de ea ſentētia, quādo lex expreſſè nō diſponit de vtroque caſu, quando tamen lex eadem diſponit de duobus caſibus expreſſè, & diſtinctè, & de vno diſponit abſolutè non impoſita cenſura, & de alio diſponit ſub cenſura, non eſt probabile dicere, quod Cenſura compræhendat vtrumque caſum, neque in hoc ſenſu loquuntur DD. citati pro ea ſententia, & quatenus aliquis ex eis in hoc ſenſu loqueretur eius dictum per motiua intrinſeca non habet probabilitatem, quia eſt expreſſè contra mentem legislatoris expreſſè diſtinguentis, & vnum ſolum prohibentis ſub cenſura, non aliud. Et nihilominus dicitur tertio negando adeſſe ſimilitudinem rationis. Neque enim ad eos, qui ſunt extra Conclaue pertinet ex officio electio Pontificis ſicut pertinet ad Cardinales, iuſtè verò lex præſumit, quod qui ſe ingerunt ad id, quod non pertinet ad eorum officium, non hoc faciant ex zelo bono, & quod faciliùs poſſint turbare pacem interiorem etiam falſa facta reſcribendo, aut narrando, & ex affectu prauo, vel ſimoniacè attentanda, vel imprimendo metum, vel ſeminando zizanias, vel fraude, & dolo malo procurando electionem malam, quæ de Cardinalibus timeri non debent, quibus etiam cum ex officio competat eligere Papam, facilior etiam poteſt ocurrere neceſſitas loquendi cum alijs. Et præterea longè diuerſa eſt ratio ſcripturæ, quę durat, & in qua diffuſiùs poſſunt exprimi ſenſus, & quæ non peruenit ad aures vnius, ſicut ſermo, ſed de facili ad oculos multorum, imò omnium, qui ſunt intra Conclaue, & non ſemel, ſed toties, quoties opus fuerit. Ideo Gregor. X. Cardinalibus ſub Cenſura nec prohibuit recipere litteras, & ſcribere, quia reſpexit differentiam, quæ eſt inter Cardinales, & alios extra Conclaue exiſtentes. Nec Gregorius X. nec Pius IV. prohibuerunt Cardinalibus colloquia ſub Cenſura, quia bene viderunt ad impediendam liberam, & honeſtam electionem lōgè magis valere ſcripturam permanentem, & communicabilem, quam verba vni dicta, quæ volant. Ex nulla igitur parte probabile eſt dicere, quod Cardinales intra Conclaue exiſtentes ſint excommunicati, ſi de negotio electionis loquantur cum aliquo extra Conclaue exiſtente.

24. Dubitatur quinto an Cardinales intra Conclaue exiſtentes peccent mortaliter, ſi loquātur cum aliquo, extra exiſtente. Affirmat Diana *p. 12. de colloc. temp. concl. reſol. 3.* Et quidem ſi verum eſt, quod conſuetudo ità interpretata ſic legem prohibentem Cardinalibus huiuſmodi colloquia, eſt res indubitata. Hæc enim regula habetur pro certa, vt lex intelligatur obligare ad mortale, cum eam in hoc ſenſu interpretata eſt conſuetudo, quod tenent communiter DD. poſt Caiet. 22. *q.* 186. *a.* 9. circa ſolutionem ad ſecundam. Sed præſcindendo à conſuetudine res videri poſſet ambigua contendentibus alijs, quod verba imperatiua in materia graui obligant ad mortale, alijs id negantibus, & præcipuè cum prohibetur res, quæ de ſe non eſt mala, ſed eſt indifferens, & eo magis ſi ad finem legis ſufficiat externa obligatio per exteriora dirigibilis abſq; obligatione graui in foro conſcientiæ. De hac materia Deo dixi *tom. 1 de ſtat. quæſt. 186. art. 9.* nunc cum eodem Caiet. loco citato in fine Commentarij ad *d. reſp. ad ſecundam* dico, quod omnimoda certitudo huius queſtionis, quo ad ius commune, & præſcindendo à ſtatutis ſpecialibus, & conſuetudinibus aliquarum Religionū vel Ciuitatum, vel Regnorum, diffinitionem authoritatiuam Sedis Apoſtolicæ exigere videtur. Sed in preſenti caſu obligationem eſſe ſub peccato mortali ex eo colligitur, quod ſumus in materia iuſtitiæ, & religionis, quæ in re graui violatur per colloquia, & miſſionem litterarum huiuſmodi, vnde dicendum eſt Cardinales peccare mortaliter loquendo de negotio electionis cum illis, qui ſunt extra Conclaue.

25. Dubitatur ſexto an Cardinali ad hoc, vt non peccet ſufficiat, quod nil reſpondeat loquenti, ſed illum audiat nihil reſpondendo, & ideo in proprietate ſermonis non colloquendo, ſed alterius ſermonem audiendo. Reſpondetur ex his Cardinalem non excuſari. Non quidem quia vt habet Diana *reſolut.* 7. idem ſit loqui, & colloqui, & quia vbi Pius IV. in ſua bulla prohibet colloquia, antea Gregorius X. prohibuerat loquutiones, quia nec in proprietate ſermonis idem eſt loqui, & colloqui, nec Gregorius X. directè prohibuit ne Cardinales loquantur cum externo, ſed quod nec detur externis facultas alloquendi ſecretè Cardinales, nec Cardinales aliquem ad loquendum admittant. Et ideo hæc eſt vera ratio rem demonſtrans, & omnem in oppoſitum probabilitatem excludens, quod Gregorius X. prohibuit Cardinalibus, ne aliquẽ ad ſecum ſecrete loquendum admittãt. Coccinus vbi ſupra. At verò audiens alterum loquentem eum ad ſecum loquendum admittit. Et quamuis Pius IV. vtatur nomine *colloquium*, adhuc non prohibet directè, ne Cardinales colloquantur, ſed ne admittantur aliqui externi ad colloquium cum eo, qui eſt intra Conclaue. At verò nedum ad loquendum, ſed ad colloquendum eſt admiſſus qui adſtat auditurus alium colloquentem, ſi loqui velit, & ſic duo in hac parte ſunt prohibita, ſcilicet aditum dare ad hoc, vt aliquis ingrediatur Conclaue, & admittere aliquẽ extraneum ad loquendum.

26. At verò nedum hos peccare putat Diana *reſol.* 7. ſed amplius exiſtimat probabile eſſe, quod ſint excommunicati; quamuis, & contrarium eſſe probabile cenſeat. Ratio primi eſt, quia Cardinalis audiens loquentem ſibi extra Conclaue recipit notas, & ſigna, nam quæ maiora ſigna & notæ, quam verba? Et ideo tales comprehenduntur *ſub* §. *litteras* Conſtit. Pij IV. vnde ſunt excommunicati. Sed hoc non eſt tantæ virtutis, vt probabilitatem inducere poſſit, quoniam nullus vnquam dicet, quod loqui alicui ſit ad illum mittere nuncium, vel notam, vel ſignũ. Et pluſquam euidens eſt, quod in eo §. *litteras* eſt ſermo de notis, aut ſignis aliquo modo ſcriptis, & quæ ſunt ſpecies alicuius ſcripturæ, de qua ſcriptura loquitur *in d.* §. *litteras*. Nam nomen ſigni ſi quidem generice ſumatur conuenit etiam verbis, & ſermoni. Sed ſi ſumatur ſpecificè valde diſtinguitur, nedum quia notæ, & ſigna non ſignificant ex communi hominum inſtitutione, & vſu, ſicut ſignificant verba, ſed ſignificant ex priuata inſtitutione, & conuentione, vt aduertit Bonacin. de Cenſ. *diſput.* 2. *quæſt.* 2. *p.* 35. *num.* 10. Et fatetur ipſe Diana ibidem, ſed quia Pius IV. in *d.* §. *litteras* loquitur de notis, aut Characteribus, aut figuris, aut ſignis quibuſcunque ſculptis, exaratis, vel quomodocunque impreſſis aut ſcriptis in ligno, ferro, ære, papyro, aut quacunque alia materia, quæ ab extra poſſit mitti intra Conclaue, verba enim voce loquentis prolata non mittuntur ad audientem, ſed per ſe ipſa aurem audientis percutiunt. In eo autem §. *litteras* qui contradiſtinguitur §. *clauſo*, in quo fuit ſermo de loquutione, & verbis, ſermo eſt de litteris, vel ſcriptis, vel quacunque alia re, ſiue ſit homo nuncius, ſiue ſit quælibet alia res nota aliqua, vel ſigno characterizata, quæ mitti poſſit intra, vel extra Conclaue. Ideò non eſt aſſerendum, quod Cardinalis non loquens, ſed audiens loquentem extraneum de pertinentibus ad electionem Papæ ſit excommunicatus. Cum imò non ſit excommunicatus, ſi audiat loquentem, ſed nec ſi colloquatur cum alio extra Conclaue loquente,

27. Dubitatur ſeptimo. An in huiuſmodi collocutionibus, vel ſcripturis miſſis intra, vel extra Conclaue detur paruitas materiæ excuſans à mortali, etiam ſi collocutio, vel ſcriptura ſit ex genere ſuo mala mortaliter Bonac. de Cenſ. *diſp.* 2. *q.* 2. *punc.* 34. *n.* 13. negantem partem tuetur. Tum quia lex vniuerſaliter etiam minima ſcripta, notas, & ſigna mitti prohibet. Tum quia eadem ratio militat tam in minimo Chirographo, quam in integro libro, cum & per minimum Chirographum impediri poſſit electio Summi Pontificis. Tum quia non poteſt hic applicari doctrina illa, & opinio, quæ tenet, quod legens octo, vel decem lineas libri hæretici, etiam ſi in illis lineis contineatur hæreſis non peccat mortaliter ob paruitatem materiæ, quia ibi prohibetur lectio libri, at octo, vel decem lineæ ad librum parua materia ſunt, ſed hic quæcunque Chirographa, notæ, aut ſigna prohibentur, & ideò ſcripturuncula quæque cenſenda eſt prohibita.

28. Sed oppoſitam ſententiam ſuſtinent Caſtro Palaus *tom.* 6. *diſp.* 3. *punct.* 28. *n.* 6. & Diana *p.* 12. *de colloc. temp. conclau. reſol.* 6. Prior enim illa opinio non attendit niſi magnitudinẽ, vel paruitatem papyri, aut materiæ ſcriptæ & characterizatæ, & quia verum eſt, quod in paruiſſima chartula poteſt adeſſe quid, quod valde noceat electioni, concludit, quod hic non detur paruitas materiæ quæ à mortali excuſet. Sed debet hic conſiderari non tam materia ſcripta, quam res quæ ſcribitur. Negari autẽ non poteſt quin etiam in charta magna, imò in libro integro poſſit inueniri ſolum aliquid quod paruulũ vel nullum, vel certè non magnifaciendum nocumentum poſſit inferre electioni, vnde miſſio talis ſcripturę ob paruitatem materiæ erit ſolum peccatum veniale. Sicut è contra in parua chartula poteſt contineri aliquod maximè præiudiciale, & talem mittere erit peccatum mortale. Non ergo attendi debet ſcriptura materialiter, ſed formaliter, & conſiderandum eſt an res ſcripta ſit magni, vel parui preiudicij, nam ſi non poteſt eſſe magni præiudicij penſatis penſandis mittere ſcripturam talem, vel habere huiuſmodi ſermonem maximè in ſententia, quæ tenet colloquia, & litteras non ſpectantes ad electionem, non eſſe prohibitas non eſt peccatum mortale.

29. Dubitatur octauo. An deferentes litteras, vel ſcripta tractantia de pertinentibus ad electionem Pontificis intra, vel extra Conclaue ſint excommunicati? Partem affirmatiuam Diana vbi ſupra *reſol.* 10. tribuit *Theſaur. in prax. par.* 2. *v. Conclaue cap.* 2. §. *nota quod &c.* & id colligit ex illis verbis Theſaur. An autem pœna ibi contra dictos deferentes litteras, notas, &

ſigna

ſigna furtiuè ſit latæ ſententiæ. Sed longè alius eſt ſenſus Theſari, qui ibi non loquitur de pœna excommunicationis lata vel in *c. vbi periculum §. hoc ſacro*, vel in Conſtit. Pij IV. §. *litteras*, ſed de pœna priuationis beneficiorum, & officiorum, & inhabilitatis lata contra deferentes furtiuè litteras iſtas, in Conſtitut. Pij IV. in §. *Prælati*. Reſpondetur igitur deferentes ſcripturas, ſeu nuncios miſſos ad Cardinales intrà Conclaue exiſtentes non eſſe excommunicatos Bonac. *de cenſur. in par. diſp. 2. quæſt. 2. punct. 34. n. 12.* Barboſ. *de offic. Epiſc. alleg. 50. num. 201. fin.* Serius *de Cenſ. diſp. 3. diff. 3. quæſt. 2. num. 1.* Diana vbi ſupra *reſol.* 10. Et probatur ex regula generali communiter recepta, quod ſcilicet excommunicatio non afficit cooperantes niſi exprimatur; Cum igitur tam in *cap. vbi periculum*, quam in Conſtitut. Pij IV. *in eligendis* excommunicentur mittentes, nulla facta mentione de nuncijs miſſis, vel de deferentibus litteras, ideò iſti illi excommunicationi non ſunt ſubiecti, etiamſi ſciant in litteris contineri multa ad electionem ſpectantia & illi perniciosa.

30. Et nihilominus dicitur ſecundo hos deferentes eſſe ipſo facto priuatos officijs, & beneficijs, & ad ea inhabiles, & inſuper carceri mancipandos, & ſeuerius puniendos iuxtà decretum Pij IV. §. *Prælati* ibi *quod ſi tale quid inuentum fuerit, familiares Cardinalium, aut alij delinquentes pœnam priuationis officiorum, & beneficiorum, ac inhabilitatis ad obtenta & obtinenda incurrant. Et vlterius per Gubernatorem carceribus mancipentur, exinde niſi de mandatò noui Pontificis minimè relaxandi, ſed eius arbitrio acrius puniendi, omni facultate Collegio, in fauorem quorumcumque qui in præmiſſis, vel eorum aliquo deliquerint omninò interdicta.* Si igitur quis inuentus fuerit furtiuè velle introducere in Conclaue aliquas litteras pœnis præfatis ſubiacet. Quod verò Theſaurus ibi velit præfatam pœnam priuationis eſſe latæ ſententiæ, non admitto, quia neceſſe eſt, quod delinquens inuentus fuerit deliquiſſe, vt ex textu conſtat. Huiuſmodi tamen nuncij ſunt excommunicati ex vi *c. Vbi periculum*, ſi loquantur ſecretè cũ Cardinalibus, quia hæc ſecreta loquutio exterorum cum Cardinalibus ibi prohibetur ſub pœnæ excõmunicationis. Et hoc idẽ dicitur de deferẽtibus litteras, nota, vel ſigna. Et ſic licet non ſint excommunicati, quia miniſtri nunciantes, vel litteras deferentes, ſunt tamen excommunicati ſi ſecretè loquantur cum Cardinalibus.

31. Dubitatur nono. An mittentes litteras ad alios, quam ad Cardinales, aut ab eis miſſas recipientes, ſeu cum eis loquentes ſint excommunicati, ſi hæ ſcripturæ vel colloquia pertineant ad electionem Pontificis. Et dicitur primò, quod licet ſcribentes, & mittentes nuncium, aut ſcriptum Conclauiſtis alijs à Cardinalibus non ſint excommunicati ex vi *cap. vbi periculum*, quia ibi excommunicantur ſolum mittentes nuncium, aut litteras Cardinalibus, & cum eis ſecretè loquentes, ſunt tamen excommunicati ex vi Conſtit. Pij IV. *in eligendis §. litteras*, quia ibi excommunicantur, qui mittunt litteras, aut nuncium tam ad eos, qui intus, quam ad eos, qui ſunt extra Conclaue, & qui huiuſmodi nuncium, aut litteras recipiunt.

32. Dicitur verò ſecundo quod loquentes cum Conclauiſtis non ſunt excommunicati etiã ſi ſecretè cum eis loquantur de pertinentibus ad electionem, & etiam ſi ſciant, quod Conclauiſtæ audita referent alicui Cardinali. Bonacin. vbi ſupra *num.* 8. Diana *d. reſol.* 10. Et ratio eſt, quia ſolum excommunicantur loquentes ſecretè cum Cardinalibus in *cap. vbi periculum*. In Conſtit. verò Pij IV. nulla fertur excommunicatio contra loquentes, igitur loquentes cum Conclauiſtis nulla cenſura ligantur.

33. Limitant tamen hoc Bonacina, & Diana, vt loquens cum Conclauiſta de ſpectantibus ad electionem ſit excommunicatus, ſi imponit Conclauiſtæ, vt auditum referat Cardinali, imò etiam alteri cuicumque exiſtenti intrà Conclaue, quia hoc eſt mittere nuncium, quod ſub excommunicatione eſt prohibitum per Pium IV. Hoc autem extendere videtur Diana, & extenſioni videtur fauere Bonacina, vt ſit excommunicatus, qui loquitur cum Conclauiſta ea intentione, vt ille auditum referat Cardinali, quia inquit non eſſe excommunicatum ſi loquatur cum Conclauiſta abſque tali intentione. Sed hæc extenſio non admittitur, quia extrinſeca intentio agentis non mutat ſpeciem actionis, quam habet ex obiecto proprio, nec facit, quod loquutio ſit miſſio nuncij, ſi exterius audienti, vel expreſsè, vel implicitè non committitur, vt auditum referat, ideò vbi loquens intentionem ſuam omninò intrà ſe cuſtodit, & nec directè, & expreſsè, ſeu phiſicè, nec implicitè virtualiter, moraliter, ſeu equiualenter imponit audienti, vt auditum referat, non mittit nuncium. Nam & poteſt eſſe, quod loquens intẽdat omninò, vt audiens audita referat Cardinali, & tamen extrinſecus ſibi promittere faciat ſecretum etiam ſub iuramento, ſciens tamen audientem fracturum ſecretum & iuramentum ſecreti; certè talis non dicitur mittere nuncium, quia imò prohibet dictum à ſe nunciare, & tamen intus nil magis vult, quam dictum ſuum reuelari.

34. Dicitur tertio quod tam Cõclauiſta, qui de pertinentibus ad electionem Pontificis loquitur externo, quam externus loquens Conclauiſtæ peccat mortaliter. Diana vbi ſupra ſic explicat hoc punctum, vt eos, qui ſunt extra Conclaue cenſeat peccare, quia cooperantur Conclauiſtæ loquenti, & loquendo peccanti, & hoc extendit etiam ad loquentes cum Cardinalibus quaſi lex prohibeat directè ſolum ne Cardinales, & Conclauiſtæ loquantur cum exiſtentibus extra Conclaue, & iſti poſteà peccent, quia alterius peccato cooperantur. Sed hoc non eſt fundatum, quia lex Greg. X. in *cap. vbi periculum directè prohibet exiſtentibus extra Conclaue*, ne ſecretè loquantur Cardinalibus, & lex Pij IV. directè præcipit, ne exiſtentes extra Conclaue admittantur ad colloquia. Vnde non minus directè huiuſmodi colloquia prohibentur exiſtentibus extra Conclaue, quam intrà Conclaue, vndè tam illi, quam iſti ideò peccent, quia faciunt contrà legem prohibentem colloquia cuicunque illorum, quamuis ex vtraque parte illorum intret alia ratio peccati, quia vterque

alte-

alterius peccato cooperetur, ſed hæc peccati ratio inti inſeca eſt peccato collocutionis prohibitæ, & ab ea inſeparabilis, & ad ſpeciem illius peccati pertinens. Quod verò dictum eſt huiuſmodi colloqueutes peccare mortaliter dictum, eſt ea ratione, & in eo ſenſu, in quo hoc idem ſupra dictum eſt de Cardinalibus.

35. Dubitatur decimo an mittens litteras contra ſtatutum Greg. X. & Pij IV. ſit excommunicatus, ſi litteræ interceptæ fuerunt, & non peruenerunt ad Cardinalem, ad quem mittebantur? non eſſe excommunicatum hunc, ex eo quod actus prohibitus non eſt conſumatus, & pœna ordinaria non habet locum, niſi vbi actus contra legem eſt conſummatus, tenent Nauar. *conſ. 60. de ſent. excom.* Sanchez *lib. 6. in declar. cap. 6. num.* 117. Bonac. *vbi ſuura num. 3. ſá v. lex. num.* 25. Serius vbi ſupra, Diana vbi ſupra *reſol.* 11. Theſaurus in praxi *v. Conclaue cap.* 2. §. *nota etiam*. Sed aduerto, quod ſi literæ perueneront ad aliquem intra Conclaue, licet non ad eum, ad quem mittebantur, actus eſt ſatis conſummatus, quia miſſæ ſunt intra Conclaue, & peruenerunt intrà Conclaue ad aliquem ibi exiſtentem, quod eſt contra legem Pij IV. prohibentis mitti litteras ad aliquem intrà Conclaue exiſtentem quicunque ſit ille, & ſic exterior actio contra legem eſt conſumata, ex quo litteræ ab aliquo intra Conclaue recipiuntur. Sic ſi quis intendendo occidere Caium laicum, occidat alium peccat peccato homicidij, quod ex illa intentione non pendet, ſed ſufficit quod voluntarie homo iniuſtè occiditur, vt homicida quis dicatur. Sic nihil intereſt, quod litteræ miſſæ perueniant ad manus eius, ad quem mittuntur, ſi ad manus alicuius perueniunt, qui illas recipit, quia ex hoc iam factum à lege prohibitum eſt conſummatum. Si tamen quis litteras intercipit, non vt eas legat, ſed vt illas comburat, & ità illas ſtatim comburit, aut dilacerat poſſet dici, quod miſſio litterarum non eſſet conſummata, quia ad nullum litteræ peruenerunt. Sed de hoc dicendum in ſequenti dubio.

36. Dubitatur 11. An mittens litteras contra legem Greg. X. & *Pii* IV. ſi litteræ ad Cardinalem, ad quem mittebantur peruenerint, ſed ille eas non legit, & perdit antequam legat, ſit mittens nihilominus excommunicatus. Non eſſe excommunicatum cenſet Diana *vbi ſupra reſol. vndecima*, quamuis iudicio Doctorum ſe remittac, & rationem à ſe allatam ſoluat. Dicit itaque, quod nec mittens, nec Cardinalis recipiens eſt excommunicatus, quia litteræ non fuerunt receptæ formaliter, & cum ſimus in materia odioſa non debet attendi conſummatio delicti materialis, ſed formalis. Secundo quia nec mittens, nec Cardinalis recipiens conſecutus eſt finem, ob quem miſſa eſt littera, quia illa lecta non fuit. Tertio quia non deſunt qui dicant aſſaſſinum ſi vulnerauit animo occidendi, & fecit quantum potuit, vt occideret, ſi non occidit, non poſſe puniri pœna ordinaria, & eum in hoc caſu gaudere immunitate Eccleſiaſtica, vt dicitur declaraſſe Sac. Congregat. in vna Bononienſe die 10. Aprilis 1628. & in vna Floren. die 10. Iunij 1636. ſic in caſu noſtro, quia non eſt obtentus finis proximus, ideo non eſt locus Cenſuræ. Sed oppoſitum eſt verum, & abſolutè tenendum. Quoniam ſententia, quæ docet, quod non ſit locus pœnæ ordinariæ, ſi trāſgrediens legem non obtinet finem proximum non eſt amplectenda. Quoniam attendi debet non intentio extrinſeca operantis, ſed actio externa à lege prohibita, & ſi hæc eſt conſummata iam conſummata eſt tranſgreſſio legis, & finis à lege prohibitus eſt ab operante obtentus, quia eſt conſummata actio prohibita. Nec exemplum allatum eſt ad rem, nedum ea ratione quia, vt Diana habet non deſunt DD. qui aſſerant in tali caſu aſſaſſuum ſubdi pœnæ ordinariæ, ſed quia in eo caſu actio à lege prohibita non eſt conſummata, quia pœna imponitur pro homicidio, & homicidium non fuit conſummatum. Quod ſi ſermo eſſet de poena lata non contra homicidium, ſed contra aggredientem aliquem, vel vulnerantem, talis aſſaſſinus ſine dubio qui aggreſſus fuit, & vulnerauit, etiamſi non obtinuit finem proximum a ſe intentum, qui fuit vt occideret aggreſſum, puniendus eſſet pœna lata in aggredientes, & vulnerantes, quia actio aggrediendi, & vulnerandi fuit conſummata. Nec lex logicales formalitates reſpicit, ſed attendit externa facta, quæ præcipit, vel prohibet, & in legem peccat, qui contra legis præſcriptum externam actionem conſummat. Modo actio mittendi litteras ad aliquem intra Conclaue conſummata eſt, ſi litteræ peruenerunt ad manus eius, ad quem miſſæ ſunt. Quod verò iſte, qui illas recipit, vel non recipit illas legat, vel non legat, non pertinet ad miſſionem, ſed ad effectum illius, ſine quo iam miſſio eſt cōſummata, & ideò conſummata eſt tranſgreſſio legis prohibentis mittere litteras. Propterea Bonacina, & Theſaurus, & alij DD. ſupra citati dicunt locum habere excommunicationem, ſi litteræ perueniunt ad eum, ad quem miſſæ ſunt.

37. Hic quidem diſtingui debet inter recipientem, & mittentem nam recipiens non incurrit Cenſuram, vt Bonacina aduertit, niſi recipiat litteras ſciens eas continere materiam electionis; Vnde ſi ſtatim, ac ſcit eas eſſe prohibitas, illas non legat, ſed comburat, aut dilaceret, non incurrit cenſuram. Sed mittens incurrit ex hoc ſolum quod litteræ intra Conclaue ad manus alicuius perueniunt, quia ex hoc miſſionis actio eſt conſummata quantum ſit ex parte mittentis. Et quod mittens eas legere nolit extra actum mittentis eſt, & ad effectum miſſionis ſpectat, & ſufficit quod ad manus cuiuſcunque perueniant, quia ſufficit quod ad quencunque mittantur. Et ideo ad id, quod in ſuperiori dubio proponebatur dicitur, quod etiam ſi aliquis recipiat litteras, vt eas dilaceret, hoc ſuffragatur recipienti ne incidat in cenſuram, non verò mittenti, quia ipſe miſit, & litteræ peruenerunt, vnde miſſio eſt conſummata. Imò ex quo litteræ intrà Conclaue peruenerunt ex hoc ſolo ad aliquem intrà Conclaue ſufficienter perueniſſe videntur, quia poſſunt ab aliquo recipi, & legi, & miſſio ſatis eſt conſummara. Quamuis melius dicatur, quod miſſio non eſt conſummata niſi litteræ, ad ma-

nus

Google

nus alicuius perueniant, etiam ſi non ad manus illius, ad quem dirigebantur.

38. Dubitatur 12. An Cardinalis exiſtens extra Conclaue incidat in excommunicat. ſi ſcribat ad Cardinales intra Cõclaue. Diana *vbi ſupra reſol.* 12. diſtinguit de Cardinalibus extra Romam valdè diſtantibus, & de his, qui Romæ ſunt, & cauſa infirmitatis ſunt extra Conclaue, ad illud in proximo reuerſuri. Et de illis loquendo cenſet eſſe excommunicatos ſi mittant litteras ad Cardinales intra Conclaue exiſtentes, non verò illos. Quia iſti conſtituunt vnum corpus, quoad electionem Pontificis cum Cardinalibus exiſtentibus in Conclaui. Tum ſecundo quia Cardinalis ſtatim rediturus non dicitur abeſſe à Conclaui. Nam præſentes habentur, qui mox ſunt reuerſuri, vt habetur etiam ex Concil. Trid. *ſeſſ.* 23. *cap.* 1. *de reformat.* Sed oppoſitum ſentiunt Caſtro Palaus *to.* 6. *diſp.* 3. *punct.* 33. *n.* 1. & Gibalin. in Synopſi *v. electio n.* 6. Et hæc ſententia eſt verior, quia prohibiti ſunt ſcribere illi qui ſunt extra Conclaue ad illos, qui intra Conclaue manent. Nec dici poteſt, quod Cardinalis extra Conclaue exiſtens faciat vnum corpus cum exiſtentibus in Conclaui, cum exiſtens extra Conclaue non habeat ius ad electionem, ac ſi eſſet in Indijs, imò ac ſi non eſſet in mundo. Nec applicatur hic regula illa, quod in proximo rediturus habetur pro præſente, quia hæc non valet quoad ea, quæ præſentiam phyſicam poſtulant, ſicut in propoſito videtur requirere Pius Quartus, qui excommunicat eum, qui ſi eſt extra Conclaue, mittit litteras ad eum, qui intus eſt, vel è contra.

39. Verum tamen eſt, quod quia ad Cardinales ex officio pertinet procurare, vt electio Pontificis optimè fiat juxtà ſententiam *ſupra dub.* 2. relatam, Cardinalis extra Conclaue exiſtens poteſt ſcribere ad Cardinales intra Cõclaue exiſtentes quidquid ſibi videtur eſſe neceſſariũ vel valdè vtile ad optimã Põtificis electionẽ, & idem dicitur de Cardinalibus intra Conclaue exiſtentibus, ſi ſcribant ad Cardinalem exiſtentem extra Conclaue.

40. Dubitatur 13. An Cardinalis intrà Conclaue exiſtens ſi mandet Conclauiſtæ, vt ſcribat extra Conclaue circa materiam electionis, incidat in excommunicationem Pij Quarti. Non incidere putat Diana *vbi ſupra reſolut.* 14. quia cenſura lata contra facientes non comprehendit mandantes ex Sanchez *tom.* 1. *de matrim. l.* 4. *d.* 49. *n.* 1. *&* 2. Sed oppoſitum manifeſtè, & euidenter eſt verum. Nam lex Pij Quarti non eſt lata in ſcribentes, ſed in mittentes litteras. Cardinalis ergo qui præcipit Conclauiſtæ, vt ſcribat, & mittat extra Conclaue. Si ſolũ iubeat Conclauiſtæ, vt ſcribat, & nullo modo iubeat vel explicitè, vel æquiualenter, vt ſcriptas litteras mittat, Conclauiſta non mittet, & nullus excommunicationem incurret, ſed ſi Cardinalis mandando Conclauiſtæ, vt ſcribat, ſimul mandat, vt mittat eſt excommunicatus ſi litteræ mittuntur, quia ipſe Cardinalis litteras mittit. Etenim Domini nõ mittunt litteras niſi iubendo ſeruis ſuis, vt illas deferant, ſeu iubendo, vt litteræ deferantur, ſiue Dominus iubeat immediatè deferenti litteras, ſiue iubeat alicui, vt curet litteras per aliquem deferri. Neque enim quis extrà Conclaue, vel intra exiſtens prohibetur ſolum, vt litteras à ſe ſcriptas mittat, ſed prohibetur, vt litteras, & ſcripta cuiuſcunque generis, & notas, & ſigna mittat. Sic ſi aliquis ſcripturam pernicioſam electioni Summi Pontificis ab alio compoſitam iuberet tranſcribi, & eius copiam mitteret intrà Conclaue ad aliquem ſine dubio eſſet excommunicatus. Ita igitur Dominus ſi iubeat Secretario, vt ſcribat, & litteras mittat à ſe ſcriptas extra Conclaue, tranſgreditur legem Pii Quarti, & eſt excommunicatus.

41. Maius dubium an ſit in eo caſu excommunicatus ſecretarius ſcribens, & ex iuſſu Domini litteras à ſe ſcriptas de materia electionis mittens extra Conclaue; quia ipſe non cenſetur mittere, ſed potius deferre, quia ſeruit Domino, & ex eius mandato ſcribit, & vel per ſe ipſum defert, vel alteri dat, vt deferat, nunquam vt principalis, ſed vt miniſter mittentis epiſtolam, & ideo probabile eſt, quod talis ſecretarius cenſendus ſit vt delator litterarum, non vt mittens, & ideò quod non ſit excommunicatus.

42. Dubitatur 14. An detur caſus, in quo Cardinalibus exiſtentibus in Conclaui liceat admittere aliquem ad colloquium de concernentibus ad electionem, vel mittere, aut recipere nuncium, aut litteras de eadem retractantes? Ad hoc, vt liceret antiquitùs admittere venientes ad colloquendum cum Cardinalibus, neceſſarius erat conſenſus omnium Cardinalium in Conclaui exiſtentium *cap. Vbi periculum ibi: nec ipſi aliquos ad ſe venientes admittant, niſi eos, qui de voluntate omnium Cardinalium mihi præſentium, pro iis tantum, quæ ad electionem pertinent vocauerint.* Et ità quod de voluntate, & conſenſu omnium Cardinalium poſſet aliquis admitti ad loquendum cum Cardinalibus tenuerunt Bonac. *de cenſ. diſp.* 2. *q.* 2. *p.* 34. *num.* 5. Palaus *p.* 8. *diſp.* 3. *p.* 33. *num.* 1. Giballinus in Synopſi *centur. ver. electio num.* 6. Nam, & licuiſſe Cardinalibus de conſenſu omnium Cardinalium præſentium admittere intrà Conclaue aliquem, vt vocare Iuriſperitum, tabellionem, vel Religioſum cauſa electionis docuerunt Gloſſ. *cap. Vbi periculum in verbo vocauerint,* & ibi Archidiac. *col.* 2. *in verb. omnium,* Io. Andr. *num.* 5. *in verb. omnium.* Gemin. *in verb. nulli, nu.* 2. Card. *num.* 4. Anchar. *nu.* 4. *in princip.* Guliel. de Monte Laudino *col.* 2. *in princip.* Coccinus *in dicto manuſcripto pag. mihi* 266. Sayr. *l.* 3. *de cenſ. cap.* 35. *n.* 2. Limitat vero hoc idem Coccinus, vt admiſſio extranei in præfato caſu non liceret, niſi vbi agendum eſſet aliquid ſpectans ad electionem, vnde ex DD. citatis alij dãt exemplum de iuriſperito alij de Notario, alij de Religioſo. Sed hodie ex Conſtit. Pij Quarti ſufficit conſenſus maiori partis Cardinalium, vt habetur ibi §. *clauſo* ibi: *Niſi ex magna, & urgenti cauſa à maiori parte Collegij approbanda admittantur.* Antiquitus igitur ad hoc requirebatur conſenſus omnium nemine diſcrepante. Archid. ibi, Gemin. & Ancharan. Theſaur. *v. Conclaue cap.* 2. §. *nota vltimo.* Quamuis, & tunc fuiſſe ſufficiens, ſi maior pars conſentiret tenuerint Sà, Monachus *in cap. vbi periculum nu.* 7. & Sopranus *l.* 2. *cap.* 19. apud Bonac. *de elect. Papæ diſp.* 1. *qu.* 3. *num.* 7.

Digitized by Google

num. 7. vbi huic opinioni adhæret, ſi conſenſus Cardinalium fuiſſet datus collegialiter. Sed hodie requiritur ſolum conſenſus maioris partis. An verò ſufficiat hic conſenſus, ſi non ſit collegialiter datus Bonac. *vbi ſupra* putat, neceſſarium eſſe conſenſum omnium ſi conſenſus non ſit collegialiter datus. Sed hoc non habet fundamentum, ſed ſi neceſſe ſit, vt iſte conſenſus collegialiter detur, nullus eſt conſenſus omnium non collegialiter datus, ſed ſi conſenſus valet nō collegialiter datus, non eſt vnde requiratur conſenſus omnium, dum Pius non requirit niſi conſenſum maioris partis.

43. Aduertit verò, & benè Coccinus, quod in hac parte vbi ponitur neceſſarius conſenſus maioris partis Cardd. ad hoc, vt aliquis admittatur ad colloquendum, id intelligitur de collocutione habenda cum Sac. Collegio. Nam alias hic maioris partis Card. conſenſus non eſt neceſſarius ad hoc, vt aliquis admittatur publicè ad loquendum cum ſingulis Cardinalibus. Nàm in hac parte quamuis verba eſſent dubia, iam acceperunt interpretationem ab obſeruantia *l. ſeruus plurium* §. *final. ff de legat.* 3. Nec obſtat, quod Conſtit. dicat etiam extra portam Conclauis, quia non ideò excludit ſingulares Cardinales, vt non poſſint loqui ad Rotas, ſed includit caſum magis dubitabilem, & implicat minus dubitabilem, vt ſcilicet nedum non admittantur ad Colloquium in Conclaui, qui eſt caſus minus dubitabilis, ſed nec etiam extra portam Conclauis, qui eſt caſus magis dubitabilis expreſſus Gloſſ. in Clem. 2. *v. Eccleſiæ De hæret. in* 6. Gozad. *conſ.* 73. *num.* 31. Alex. 116. *l.* 2. Natta *conſ.* 114. *num.* 8. *tom.* 4.

Quodnam peccatum ſit violare clauſuram Conclauis per ingreſſum in illud.

QVÆSTIO XIII.

1. NEdum verbis, & ſcriptis, ſed multo magis factis violatur clauſura Conclauis per ingreſſum in illud. Triplici autem modo violari poteſt, vel ingrediendo, vel permanendo furtiuè intrà Conclaue clauſum, vel clauſuram ipſam materialem frangēdo, aut perforando. De ſecundo modo in Conſtit. Pij IV. In eligendis §. *Sacriſta ita ſtatuitur. Et ſiquis vſpiam ſe occultaſſe deprahendatur, ignominioſè expellatur, & infamia notetur, & officijs, atque beneficijs priuetur: conſcij verò ſub eadem pœna illos Collegio reuelare teneantur, præmium reportaturi ſi id indicauerint.* Hic igitur puniendus eſt ignominioſa eiectione, infamia, & priuatione officiorum, & beneficiorum. Huiuſmodi autem pœna non eſt latæ ſententiæ, ſed ferendæ. In Conclaui Vrbani Octaui, quidam baiulus ſomno correptus in eo obdormiuit, & in eo repertus de mane fuit impunis dimiſſus, ſtante eius ignorantia, vt habet Lauor. *var. lucubr. tract.* 3. *nu.* 16.

2. De intrantibus autem furtiuè Conclaue in d. Conſtit. Pij IV. *in* §. *Clauſo* ſtatuitur in hunc modum. *Et ſi quis fortè, quod abſit, clàm ipſum Conclaue, & aliundè quam per oſtium ingrediatur, omni honore, gradu, ac officio, & beneficio ipſo facto priuatus exiſtat, & tradatur curiæ ſeculari acerrimis pœnis puniendus.* Prima pœna priuationis honoris, graduum, officiorum, & beneficiorum eſt latæ ſententiæ, & nihilominus non obligare in conſcientia ante ſententiam declaratoriam docet Theſaur. *in prax. v. Conclaue cap.* 3. Et Diana *vbi ſupra reſol.* 16. Ad vtramque tamen pœnam incurrendam non ſufficit ingreſſus, ſed requiritur ingreſſus furtiuus, & habitus aliundè quam per oſtium.

3. Sed iſte qui furtiuè ingreſſus eſt Conclaue ſi ſecretè cum aliquo Cardinalium loquatur intus de pertinentibus ad electionem eritne excommunicatus? Affirmat Diana *d. reſol.* 16. & *merito* Nam dictio illa *nulli*, quæ habetur *c. Vbi periculum* §. *hoc ſacro excludit ſine dubio omnes*, qui de iure non ſunt in Conclaui, ideò ſi furtiuè exiſtens contrà fas in Conclaui ſecretè loquatur cum Cardinali eſt excommunicatus excommunicatione in eo *cap. lata*.

4. An etiam ſic furtiuè intrantes Conclaue peccent mortaliter? Diana *vbi ſupra*, ſic reſpondet eos peccare, quod ſimul ſibi non diſplicet oppoſitum, & rationem ad illud probandum ſoluit. Sed dicendum eſt talem ſine dubio peccare mortaliter contra iuſtitiam, & Religionem violando in re graui ius Eccleſiæ, quidquid alias ſit de ea quæſtione, an lex pœnalis obliget ad mortale, ſi infert pœnam grauem, imo grauiſſimam, ſicuti infert lex prohibens ingreſſum in Conclaue. Quod verò ibidem quæritur de ingreſſu Infantis parui momenti eſt. Nam in re tam grandi, quid de Infantibus? Et quis infantem velit introducere in Conclaue?

5. De tertio autem modo frangendi clauſuram ità diſponitur in Conſtitut. Pij IV. §. *teneantur quoque Cardinales pro tempore deputati Cellas Cardd. & alia Conclauis loca ſæpius viſitare, & diligenter perquirere ne in ipſius Conclauis muris, aut laquearibus, ſeu pauimentis vetita foramina fiant. Et ſi quid tale deprahenſum fuerit auctores priuationis beneficiorum, ac alijs etiam corporalibus, & ſeueriſſimis pœnis, Gubernatoris, ac etiam futuri Pontificis arbitrio afficiantur, & conſcij de præmiſſis eiſdem pœnis teneantur niſi ſtatim, ſi intra Conclaue fuerint eiſdem Cardinalibus deputatis, ſi verò extra Conclaue Gubernatori, & Prælatis propoſitis reuelauerint. Quiquidem Gubernator, & Prælati ſub periurij pœna in hoc inuigilare, & opportunè prouidere debeant.* Vt verò patet ex lectura textus pœna præfata ferendæ ſententiæ eſt.

Qualis pœna lata ſit contrà Prælatos deputatos ad cuſtodiam Conclauis, ſi ſint in eo cuſtodiendo negligentes.

QVÆSTIO XIV.

1. QVæritur 14. Qualis pœna lata ſit contra Prælatos deputatos ad cuſtodiam Clauſuræ Conclauis, ſi ſint in ea cuſtodienda negligentes. Dubitari autem poteſt primo. Quænam cuſtodia ſit, quam Prælati tenentur habere? Et reſpondetur eam non eſſe de-

ter-

terminatam, ſed omnem illam eis competere, quæ illis fuerit commiſſa à Sac. Collegio Cardinalium, vt patet ex Conſtitut. Pij IV. §. *Quia* ibi. *Statuimus, & ordinamus, vt Prælati Rectores, &c. quos omnes à Collegio pro cuſtodia Conclauis eligi continget, &c. præmiſſa omnia plenè, & inuiolabiliter, ac ſine fraude, & dolo aliquo obſeruari faciant*. In libertate igitur Sacri Collegij eſt deputare Prælatos ad hanc vel illam particularem cuſtodiam, & ſic deputati debent iurare coram Collegio ante ingreſſum Conclauis, quod plenè, & inuiolabiliter ſine fraude, & dolo munus ſuum exequentur.

2. Nihilominus vnum eſt ſpeciale ex præſcripto eiuſdem Pij Quarti committendum Prælatis, ſcilicet cuſtodia rotarum Conclauis, & perſcrutationes epularum, & aliarum rerum, quæ intrà Conclaue tranſmittuntur. §. *Prælati quoque ad cuſtodiam Conclauis deputati ſub pœna periurij, & ſuſpenſionis à diuinis maxima, & exquiſita diligentia vtantur in inſpiciendis, & perſcrutandis epulis, & alijs rebus, & perſonis Conclaue intrantibus, & de eo exeuntibus, ne ſub eorum velamine litteræ, aut notæ vel ſigna aliqua tranſmittantur*.

3. Dubitatur autem ſecundo quanta, & qualis diligentia adhibenda ſit in huiuſmodi perſcrutatione? Videtur enim, quod maxima ſit adhibenda, quia dicitur, quod Prælati maxima, & exquiſita diligentia vtantur. Et ſi dicatur eſſe impoſſibile impedire, ne in Conclaue penetrēt litteræ, vel notæ, aut ſigna, quia poſſunt apponi intra panem, & intra fundum artocrearum *vulgò paſticci*, vel in fundo cornutarum, vel in fundo ſuberis frigidarij, vulgò *Cantemplora, ò Rinfreſcatore*, ex hoc concluditur diligentiam debere eſſe maximam, talem tamen qualis moraliter poſſibilis eſt. Diana *vbi ſupra reſol.* 15. Sed in indiuiduo non poteſt decerni quanta diligentia ſit neceſſaria, & quanta ſufficiat, ſed duplici regula vtendum eſt. Prima, vt tanta adhibeatur quanta ad arbitrium docti, boni, & prudentis viri cenſetur ſufficere, quales ſupponuntur eſſe Prælati, qui ad Conclauis cuſtodiam deputantur. Secunda eſt, vt attendatur rationabilis praxis, & conſuetudo perſcrutandi. Nam conſuetudo rationabilis eſt optima legis interpres, & magiſtra.

4. Dubitatur 3. An Prælati negligentes in perſcrutandis epulis ſint excommunicati. Reſpondet Diana *reſol.* 15. ante §. *nota tamen* non eſſe excommunicatos excommun. lata *in cap. Vbi periculum*, quia ibi nulla fit mentio Prælatorum, ſed ſolum Dominorum temporalium, Rectorum, Ciuitatum, & Officialium. Sed quamuis hoc verum ſit, nihilominus attendi debet, quod eadem excommunicatio renouatur à Pio Quarto in Conſtit. *In eligendis* §. Quia vbi fit mentio Prælatorum, quibus imponitur, vt omnia in d. Conſtitut. præmiſſa plenè, & inuiolabiliter ſine fraude, & dolo obſeruari faciant, & contrafacientibus inferuntur pœnæ in Conſtit. Greg. Decimi *cap. Vbi periculum* contentæ. Et quod maiorem facit difficultatem eſt, quoniam ibi ſic dicitur. *Quæ quidem niſi fecerint, vel ſi in eis dolum, & fraudem commiſerint, prædictas pœnas, & cæteras in d. Conſtit. Greg. X. contentas incurrant*. Et ſic huiuſmodi *Prælati* negligentes incurrunt pœnas latas in §. *Prælati*, & vlterius pœnam excommunicationis latam à Greg. X. Videtur igitur, quod huiuſmodi *Prælati* nedum pœna ſuſpenſionis à diuinis lata in §. *Prælati*, quæ vt aduertunt Theſaur. *v. Conclaue cap.* 2. & Diana non eſt latæ ſententiæ, ſed vlterius pœna excommunicationis latæ ſententiæ, & reſeruatæ Papæ ſubdantur ſi deficiant in preſcrutandis epulis. Niſi dicamus quod particula illa, *& cæteras* debeat intelligi cum proportione, & non vniuerſaliter, vt ſit extentio ad nouas perſonas, ſed cum limitatione, vt illas ſolas perſonas afficiat, contra quas illas tulit Greg. X. ſed hic ſenſus videtur alienus v. g. ſi Prælato committatur alia Cuſtodia, quam perſcrutatio epularū &c. ſi ſit negligens nullam pœnam incurret, quia contrà eum nullam ſpecialiter tulit Pius Quartus. Et Gregor. X. non eſt loquutus de *Prælatis* nec eos fecit ſuæ Conſtit. executores. Quod videtur contra mentem Pij IV., qui eos quos conſtituit ſuæ Bullæ executores, inter quos primò poſuit Prælatos, voluit ſubdi pœnis latis à Greg. X. contrà non exequentes fideliter ſuam Conſtitutionem. Quamobrem difficile videtur affirmare *Prælatos* deficientes in perſcrutandis epulis non eſſe excommunicatos. Nam particula & copulatiua eſt non disiunctiua, & ſenſus illius §. planus eſt, quod Prælati negligentes incurrant præfatas pœnas, & vlterius cæteras à Greg. X. impoſitas. Verum quia Conſtit. iſta pœnalis eſt, & ſtrictè intelligenda, & non eſt veriſimile, quòd *Pontifex* multiplici pœna voluerit Prælatos grauare magis quam laicos, & imò pœna ſuſpenſionis non latæ ſententiæ ſuperflua eſſet vbi *Prælati* ex negligentia cuſtodiæ eſſent excommunicati, quia excommunicatus eſt pluſquam ſuſpenſus, dicendum eſt, quod pœna excommunicationis lata à Greg. X. non afficit *Prælatos* pro quorum negligentia in viſitandis ferculis alia pœna ſtatuta eſt à Pio IV., afficit tamen nedum nominatos à Greg. X. ſed omnes nominatos à *Pio* IV. etiam Prælatos pro negligentia *Cuſtodiæ*, pro qua idem Pius pœnam ſpecialem non ſtatuit. Nam certe ij cum quibus loquitur Pius in eo §. *Quia*, ſunt Prælati Principum Oratores &c. & hos vult eſſe ſubiectos pœnis Conſtit. Greg. X. ſi fuerint negligentes, vel doloſi Cuſtodes.

5. Addit etiam Diana ſe non poſſe tanquā improbabilem damnare opinionem aſſerentiū, præceptum ſub pœna ſuſpenſionis non inducere peccatum mortale, niſi expreſſè, vel verbis æquiualentibus id ſignificetur. Pro qua ſententia refert P. Mag. fratrem Marcum Serram *p.* 2. *q.* 96. *a.* 4. Tamburinum opus. De ſacrific. miſſæ *l.* 3. *cap.* 1. §. *n.* 4. & 7. Caiet. 2. 2. *q.* 186. *a.* 9. circa reſp. ad 2. & in ſumm. verb. *Præcepti tranſgreſſio* ver. *pœna peccatorum* Nauar. *cap.* 23. *n.* 53. Cordub, *in reg. S. Franc. cap.* 10. *q.* 3. *p.* 1. Valen. *c.* 2. *diſp.* 7. *q.* 5. *p.* 6. *in* 4. *ſigno* Salon. 2. 2. *q.* 77. *a.* 1. *contr.* 8. *reg.* 3. in fin. & à fortiori Excobar *tom* 1. *l.* 5. *ſec.* 2. *pro.* 31. *n.* 165. Remigium *in Sum. tract.* 2. *c.* 4. §. 12. *n.* 7. Azor. *p.* 1. *l.* 5. *c.* 6. *q.* 5. Sayr. in claui Regia *l.* 3. *c.* 7. *n.* 25. Exquo infertur de mente eius non eſſe

Digitized by Google

improbabile, quod Prælatus negligens in perſerutandis epulis non peccet mortaliter. Quod tamen admitti non poteſt. Nam dato quod nō ſit excommunicatus, ſi ſpectetur ſolum, quod Prælatus ad maximam illam, & exactam diligentiam tenetur ex officij ſui fidelitate, & promiſſione, & pacto etiam iuramento firmato, quid quid ſit an præceptum ſub pœna ſuſpenſionis obliget ad mortale, euidens eſt, & indubitatum, quod talis Prælatus negligens tanquam infidelis in officio, & periurus peccat mortaliter.

6. Bene tamen idem Diana admonet, quod iuramentum de obſeruandis legibus, & ſtatutis, & Conſtitutionibus intelligitur de obſeruantia legum prout ſunt in vſu, & obſeruantur, vt tradunt Sanchez *in Decal. l.* 3. *c.* 14. Malderus 22. *tract.* 10. *c.* 6. *dub.* 9. & alij; & ideò Prælati ex vi iuramenti non tenentur ad perſerutationem maiorem, quam ſit illa, quæ eſt in vſu, & conſuetudine rationabili tamen, & legitime præſcripta.

Qua pena puniantur alij ſeculares non cuſtodientes Conclaue, vel non exequentes, quæ in Conſtit. Greg. X. & Pij IV. ſtatuta ſunt.

QVÆSTIO XV.

1 QVæritur 15. qua pœna puniantur alij ſeculares non cuſtodientes Cōclaue, vel non exequentes, quæ in Conſtit. Greg. X. & Pij IV. ſtatuta ſunt? Reſpondetur eos ſubdi grauiſſimis pœnis. Nam primò Gregor. X. cap. *Vbi periculum* ſtatuit, vt infrà §. *Præterea quid parum eſt iura condere, niſi ſit, qui ea tueatur, adijciendo ſancimus, vt Domini alijque Rectores, & officiales Ciuitatis illius, in qua Romani Pontificis electio fuerit celebranda, auctoritate noſtra, & eiuſdem approbatione Concilij poteſtate ſibi tradita præmiſſa omnia, & ſingula plenè, ac inuiolabiliter, & ſine fraude, & dolo aliquo faciant obſeruari; nec Cardinales vltra quàm præmittitur, arctare præſumant. Super his autem taliter obſeruandis ſtatim audito Summi Pontificis obitu coram Clero, & populo vniuerſo Ciuitatis ipſius ad hoc ſpecialiter conuocandis præſtent corporaliter iuramentum. Quod ſi præmiſſa diligenter non obſeruauerint, aut fraudem in eis, vel circa ea commiſerint, cuiuſcunque ſint præeminentiæ, conditionis, aut ſtatus omni ceſſante priuilegio eo ipſo ſententiam excommunicationis incurrant, & perpetuò ſint infames, nec vnquam eis portæ dignitatum pateant, nec ad aliquod publicum officium admittantur. Ipſos inſuper feudis, & bonis cæteris, quæ ab eadem Romana Eccleſia, vel quibuslibet alijs Eccleſijs obtinent, ipſo facto decernimus eſſe priuatos, ita quod ad Eccleſias ipſas plenè, ac liberè reuertantur, adminiſtratorum earundem Eccleſiarum arbitrio ſine contradictione aliqua diſponenda; Ciuitas verò prædicta non ſolum ſit interdicto ſuppoſita, ſed et Pontificali dignitate priuata.*

2 Dubitatur autem primò, An ſub hac pœna compræhendantur officiales Domini Ciuitatis, qui ſunt diſtincti ab officialibus Ciuitatis. Et compræhendi voluiſſe videtur Io: de S. Georg. relatus à Gemin. *cap. Vbi periculum §. Præterea n.* 4. ſed vbi officiales Domini non ſint officiales Ciuitatis, non credo quod compræhendantur. Bene verum eſt, quod per officiales Ciuitatis eos intelligendos ſentio, non qui ſint à Ciuitate inſtituti, quia vbi Ciuitas eſt ſub dominio alterius forſan nullos officiales inſtituit, ſed officiales Ciuitatis intelliguntur qui Ciuitatis curam habent, à quocunque ſint inſtituti, & qui in *Clement. vnica de vſuris* appellantur poteſtates, Capitanei, Rectores, Conſules, Iudices, conſiliarij, & ſimiles, qui curā Ciuitatis exercēt, & in ea Ius, vel ciuile, vel criminale, vel militare adminiſtrant. Et de his puro quod loquutus fuerit Io: de S. Georg. non vero de officialibus Domini, aut etiam à Ciuitate inſtitutis, quibus tamen Ciuitatis cura non eſt commiſſa.

3. Dubitatur 2. An ſi officiales Ciuitatis prohibetur à Domino, & impediātur ne faciant obſeruari contenta in d. Conſtitutione Gregorij, ſubdantur pœnis præfatis. Reſpondet Gemin. *ex Gloſſ. in d. Clement. de vſuris* cui conſentit Sylu. *v. excom.* 9. *n.* 35. non ſubdi; eo quod Conſtitutio Gregorij intelligi debeat quando officiales, nec de iure, nec de facto ſunt impediti. Nam, & quod Officiales teneantur præfata præſtare, hoc eſt diligentiam habere, itaut per ipſos non ſtet, quin obſeruentur ex Caiet. *v. excom. cap.* 54. Sylues. *v. excom.* 9. *n.* 35. & Toleto *cap.* 38. *n.* 4. dixit Caſtro Palaus *de cenſ. diſp.* 3. *p.* 33. *n.* 2. Quod tamen non eſt merè negatiuè intelligendum, quaſi ſufficiat, quod ipſi non impediant, ſed quia ſufficit, quod adhibeant diligentiam quam poſſunt adhibere, vt ſtatuta dictæ Conſtitutionis ſeruentur.

4. Dubitatur tertio. An ſi Dominus loci ſit Clericus, ob negligentiam hanc ſit priuatus beneficijs? non eſſe priuatum dixit Io. de S. Georg. cui conſentit Geminin. vbi ſupra, quia non ſit mentio beneficiorum in dicta Conſtit. Nec obſtat, quod dicit cæteris bonis, quia ſub nomine bonorum non veniunt beneficia arg. *cap. Sciant cæteri, & cap. ſtatutum de elect. in* 6. & reg. in pœnis *de reg. Iuris* eodem libro.

5. Dubitatur 4. Quę ſint actiones ad quas iſti Domini temporales, & officiales tenentur ſub pœnis in d. conſtitut. impoſitis. Duas recenſet Caiet. *v. excommunicatio cap.* 54. Prima eſt diligentia adhibenda ad hoc vt præſcripta in eadē Conſtit. ſeruentur. ſecunda eſt abſtinentia ab omni fraude, & dolo in prædictis, aut circa prædicta. Sed tertiam actionem ex Io: Andr. Addendam eſſe ſentit Sylu. *v. excommunicatio* 9. *n.* 35. ſcilicet non grauare Cardinales ſupra, & vltra quam in d. Conſtitut. præmiſſum erat. Nec obſtat quod à multis duæ illæ actiones à Caiet. deſcriptæ recenſentur. Et licet ibidem dictum ſit. Nec Cardinales vltra quam præmittitur arctate præſumant. Inferius tamen vbi pœne imponuntur, ſolum ſubſumatur, quod ſi præmiſſa diligenter non obſeruauerint, aut fraudem in eis, vel circa ea commiſerint &c. Vnde ſola negligentia faciendi, vt d. Conſtitutio

tio ſeruetur et fraus, & dolus videntur puniri. Quia dicitur quod imo ex dd. verbis oppoſitum ſumitur, quia exigitur diligens obſeruantia præmiſſorum, at verò inter præmiſſa hoc continebatur, vt tales Domini, & officiales nõ attẽtent Cardinales vltrà pręmiſſa.

6 Circa tamen iſta conſiderandum eſt, quod multa, vt admonet Caiet. poſt Greg. X. ſunt moderata, vel arbitrio Cardinalium ſubiecta, vnde non eſt obligatio, nec vt illa ſeruentur, nec vt à Dominis temporalibus, vel officialibus Ciuitatum fiant obſeruari. Sed attendendæ ſunt aliæ Conſtitutiones Clementis 6. & Pij IV. Attendendam etiam eſſe praxim rationabilem, & legitimè preſcriptam, & à pluribus Pontificibus ſic electis non repræhenſam, conſtat ex ſupradictis. Videtur verò Caiet. velle quod hec praxis ſit coęua memoriæ hominum, ſed non eſt neceſſaria conſuetudo iſta immemorabilis, ſed ſufficit cõſuetudo rationabilis, & competenti tempore pręſcripta, iuxta cap. vlt. de conſuet. quæ ſufficit ad derogandum, & ad interpretandum legem Eccleſiaſticam.

7 *Pœnæ* etiam præſcriptæ licet ſint latæ ſententiæ, quia dicitur, quod tranſgreſſores eo ipſo eas pœnas incurrant, & ipſo facto ſint priuati feudis, & bonis tamen exceptis cenſuris non incurruntur in conſcientia ante ſententiã declaratoriam. Theſaur. *in praxi v. Conclaue cap* 8. & ex ſupra probatis conſtat. Excommunicatio etiam non eſt reſeruata.

8 Pręter iſtam autem Conſtitutionem adeſt Conſtitutio *Pij* IV. qui & ipſe executores ſuæ Conſtitutionis ſtatuit in §. *Quia &c.* In qua eſt diſtinctio. Quoniam non afficit dominos temporales, nec omnes, Rectores, & officiales, ſed eos ſolos, qui à Collegio Cardinalium fuerunt aſſumpti & deputati. Addit verò Prælatos & Oratores Principum, & Illuſtres viros, & duas actiones punit, ſcilicet negligentiam faciendi, vt decreta in ea Conſtitutione ſeruentur, & ſi fraudem, aut dolum in eis commiſſum fuerit. *Pœnas* vero non determinat, niſi quod ait, *prædictas* pœnas, & cæteras in dicta Conſtitutione Gregor. X. contentas incurrant. Videbatur autem dicendum, quod hæc impoſitio pœnarum intelligenda ſit reſpectiuè vt ſcilicet pœnas prędictas incurrant illi, pro quibus nominatim latæ ſunt, pœnas verò Gregor. X. incurrant illi ſoli, qui in Conſtitutione Gregor. X. ſunt expreſſi, ſed ſi hic eſſet ſenſus, tria genera perſonarum eſſent, quæ delinquere poſſent impunè, nimirum *Prælati*, Principum Oratores, & *Illuſtres* viri, quorum nulla fit mentio in Conſtitutione Gregor. X. nam pro *Prælatis* non perſcrutantibus epulas impoſita quidem eſt pœna, vt ſupra viſum eſt, ſed pro eis ſi deputentur ad aliud genus cuſtodiæ nulla alia eſt impoſita, ſicut neque Illuſtribus viris, igitur ſi non comprehenduntur ſub pœnis impoſitis à Gregor. X. & à *Pio* IV. ad illos extenſis, nulla pœna eſt illis impoſita ſi negligant exequi, vel cum fraude, & dolo exequantur, quæ ſibi commiſſa ſunt. Præterea dictio illa *quæ quidem niſi fecerint &c.* refertur ad omnes ſupra numeratos *Prælatos*, Rectores, Officiales Vrbis, Principum Oratores, Illuſtres Viros, quos ſupra enumerauit & quibus mandauit, vt præſcripta in ſua Conſtitutione faciant obſeruari plenè, & ſine fraude, & de his ſubdit: *Quæ quidem niſi fecerint, vel ſi in eis dolum, vel fraudem commiſerint, prædictas pœnas, & cæteras in d. Conſtitutione Gregor X. contentas incurrant.*

An ſit lata aliqua pœna contrà egredientes furtiuè de Conclaui, vel ſine licentia.

QVAESTIO XVI.

1. QVæritur 16. An ſit lata aliqua pœna contra egredientes furtiuè de Conclaui, vel ſine licentiam? Quod nullus Conclauiſta poſſit exire à Conclaui niſi cauſa infirmitatis, & de Conſenſu deputatorum à Cardinalibus habetur in Conſtitutione Pij IV. §. *Conclauiſtæ* ibi *& non aliter exituri*. Nullam verò pœnam inuenio latam contra exeuntes vel furtiuè, vel ſine licentia, niſi quod exeuntes, etiam ſi de licentia exeant, non poſſunt redire, vt ex eodem loco habetur.

2 Cardinales autem ſi vel non intrent tempore debito, vel abſque infirmitatis manifeſtæ cauſa à medicis medio iuramento, & à maiori parte Cardinalium per ſecreta ſuffragia approbanda exeant, priuantur voce actiua, nec amplius ad Conc aut redire poſſunt prout diſponit Gregor. X. *cap. vbi periculum* §. *hoc ſacro* ibi *ſanè ſi aliquis ex prædictis Cardinalibus Conclaue prædictum, vt ſuprà exprimitur, non intrauerit aut intrans abſque manifeſta cauſa infirmitatis exierit, ipſo minime requiſito, nec in eiuſdem electionis negotio vlterius admittendo per alios ad eligendum ſummum Pontificem liberè procedatur.* Idem ſtatuit Pius IV. in Conſtitut. *In eligendis* §. *ſi qui vero &c.* addens cauſam à medicis medio iuramento & à Cardinalium maiori parte eſſe approbandam. Cardinales verò, qui infirmitatis cauſa præfata exeunt ſolum ſunt priuati voce dum ſunt extra Conclaue, ad quod redire poſſunt, quando volunt, & ad electionem in eo ſtatu, in quo eam inueniunt, admittuntur. *Cap. vbi periculum* §. *hoc ſacro* ibi. *Si verò infirmitate ſuperueniente idem Conclaue ex eis aliquem exire contingat, ipſa etiam infirmitate durante poterit eius ſuffragio non requiſito ad electionem procedi: ſed ſi ad alios, poſt ſanitatem ſibi redditam, ſiue ante, redire voluerit, vel etiam ſi alij abſentes, quos per decem dies diximus expectandos ſuperuenerint, re integra, videlicet antequam eidem Eccleſiæ ſit de Paſtore prouiſum in eodem negotio, in illo ſtatu, in quo illud inuenerint admittantur, præmiſſa tam de clauſura, quam de ſeruientibus, cibo, & potu, & reliquis cum alijs ſeruaturi.*

3 Itaque Cardinales, qui vel nolunt intrare, vel exeunt ex alia cauſa, quam manifeſtę infirmitatis, ſunt in ea electione omnino priuati voce, ita vt amplius non poſſint intrare Conclaue, & eligere. Sed quia ex hoc ſequi poterat, quod omnes Cardinales priuarentur voce, huic inconuenienti prouidit Clemens V. *in Clement. ne Romani* §. *Porro ſi Romano non electo Pontifice Cardinales omnes ſimul, vel ſucceſſiuè quod abſit, exire contingeret Conclaue deputatum ab eiſdem: ij, ad*

quos pertinet executio Conſtitutionis prædictæ, illos ex ipſis, quibus infirmitas corporis, aut nota debilitas excuſationem non dabit, idem Conclaue, quam citò potuerint, reintrare compellant. Pœnas in dicta Conſtitutione contentas, niſi hoc fecerint, incurſuri: Cardinales autem huiuſmodi Conclaue reintrantes ad electionem iam dictam procedant, & aliàs conſtitutionem præfatam obſeruent, ſecundum ſtatum, in quo erunt in eodem Conclaui, quando ipſum, vt præmittitur exiuerunt.

4 Colligitur ex his hæc manifeſtiſſima concluſio, quod electio Summi Pontificis pertinet ad eos ſolos Cardinales qui ſunt in Conclaui præſentes poſtquam fuerit clauſum. Hoc quidem eſt certum ex verbis *Cap. Vbi periculum*, paulò ſupra relatis. Et idem colligitur ex verbis Clement. citatæ, volentis, vt ſi omnes Cardinales exierint è Conclaui compellantur reintrare, quoniam extra Conclaue nequit haberi electio Summi Pontificis. Idem autem expreſsè habetur ex Conſtitutione Pij IV. *in eligendis*, & præcipuè §. *ſi qui verò forte intrare noluerint, vel ingreſſi abſque manifeſta infirmitatis cauſa iuramento medicorum, & à maiori parte Cardinalium per ſecreta ſuffragia approbata exiuerint dictæ Conſtitutionis Gregor. X. pœnam incurrant*. Sed cum de iure antiquo electio facta extra Conclaue clauſum valeret, modò ex Conſtitutione Gregor. XV. *Aeterni Patris*, confirmata ab Vrbano VIII. in Conſtitutione *Ad Romani*, in ſolo Conclaui clauſo à Cardinalibus intra Conclaue clauſis poteſt eligi Summus Pontifex, vt habetur in d. Conſtitutione §. *matura ibi Declaramus impoſterum electionem Romani Pontificis fieri aliter non poſſe, quam in Conclaui, & eo clauſo, & poſt celebratum in eo prima die ſacroſanctum miſſæ ſolitum ſacrificium, cui Cardinales intereſſe & in eo communicare conſueuerunt, ac per ſecreta ſchedularum ſuffragia duarum ex tribus partibus Cardinalium in Conclaui præſentium. Et* §. *quod ſi electio*, declaratur electio nulla, quę facta fuerit vel extra Conclaue, vel in Conclaui nõ clauſo & hoc idem habetur in *Cæremoniali* §. *Quoniam* vbi etiam oſtenditur qualiter fractura Conclauis noceat, vel non noceat electioni.

5 Hinc ſequitur etiam, quod licet in alijs electionibus de iure communi abſens per Procuratorem eligere poſſit, hoc nullo modo fieri poteſt in electione Summi Pontificis, vt aduertit Francus *Cap. Vbi periculum* §. ſanè, n. 2. quem ſequutus fuit Azor. *par. 2. lib. 4. cap. 2. q. 2.*

6 Sequitur ampliùs, quod vel non venientibus, vel non ingredientibus conclaue vel ante electionem Pontificis à Conclaui egredientibus Cardinalibus, qui Poſt tempus legitimum ingrediuntur, & perſeuerant etiamſi ſit minima pars poſſunt eligere Summum Pontificem, abſque eo, quod alij agere poſſint de contemptu, vel contra electionem excipere tamquam non legitime factam alijs abſentibus, & non concurrentibus. Gloſſa *cap. Vbi periculum v. omnes de electione in 6.* & alijs DD. communiter.

7. Sequitur vlteriùs hoc adeò verum eſſe, vt ſi omnibus alijs vel defunctis, vel libere ſine iuſta cauſa è Conclaui egreſſis duo ſoli, imò ſolus vnus in Conclaui remaneat, illi vel ille validè eligere poſſunt, vel poteſt Summum Pontificem. Negant hoc aliqui, ex quibus alij dicunt Cardinalem ſolum in Conclaui manentem poſſe aliquem ſumere extraneum ſecum ad eligendum. Tribuitur hæc ſententia Gambar. de poteſt. legat. *lib. 9. num. 14.* Decio *cap. licet de elect.* Salas *diſp. 8 de legib. ſect. 8* *Sebaſtiano Medices de legib. p. 1. quæſt. 10.* & Bonacin. *diſp. 1. de legib. quæſt. 1. par. 3. num.* 27. hoc putat probabile, & de elect. Pont. *quæſt. 1. par. 1. num. 3.* ait eſſe probabiliſſimum, Tum quia hoc non aduerſatur rationabiliter præſumptæ Pontificum voluntati: Tum quia *cap. vbi periculum*, datur Cardinalibus ſede Vacante facultas faciendi ea, quæ conducunt, ad obuiandum imminentibus periculis, magna verò imminent pericula non facta Papæ electione, quæ maturiori iudicio expediri ſolet nonnullis ad eligendum adhibitis. Sed dicitur hæc non probare, Cum à tempore Alexandri Tertij iura omnia clament, vt electio Papæ fiat à ſolis Cardinalibus, & quidem modo à præſentibus, & intra clauſum Conclaue exiſtentibus, iuxtà Conſtitutionem Greg. XV. Vnde præſumi non poteſt mentem Pontificum eſſe, vt vocentur non Cardinales ad eligendum. Et in re tam graui, & vbi periculum ſchiſmatis eſt fugiendum, non eſt fidendum negotium diuinationibus, & præſumptionibus fallacibus. Ad ſecundum verò dicitur nullam hic eſſe neceſſitatem arbitrandi, & occurrendi periculis dilationis electionis, cum ille ſolus Cardinalis, qui remaneret, poſſet eligere cum electioni etiam Pontificis non repugnet vt ab vno fiat, in quo Sacri Collegij reſidet poteſtas.

8. Alij igitur dixerunt tunc electionem pertinere ad Romanum Clerum, non excluſo Cardinali ſuperſtite, aut in Conclaui remanente. Bonac. de elect. Pontif. *d. quæſt. 1. par. 1. nu. 3.* refert pro hac ſententia Azor. *par. 2. l. 4. c. 2. quæſt.* 11. vbi nihil dicit de hac *quæſt. ſed loquitur in caſu*, quod nullus Cardinalis remanſerit ſuperſtes. Citat etiam Iacobatium *l. 1. de Concil. a. 1. num.* 230. Alban. *quæſt.* 25. Sopranum *l. 4. cap. 8. quæſt. 5. dub.* 3. Sed nulla probabilitate fulcitur, cum iam ad ſolos Cardinales electio Pontificis ſpectet, vt iura omnia decernunt: Bene verum eſt, quod vbi nulli adeſſent Cardinales, quod tunc electionem pertinere ad Clerum Romanum dixerunt Hoſtienſ. *in cap. licet num. 42. de elect. vbi* Card. *nu. 9.* & alij quos refert Sylueſ. *v. excommunicatio numer.* 3. quod verum eſſe, vbi Concilium non eſſet congregatum vel non poſſet de facili congregari voluit Antonius de Roſell. de poteſt. Papæ & Imper. §. *Poſtquam*. Et ex quo Pontificatus eſt vnitus cum Epiſcopatu Romano idem aſſeruit Bellarm. *lib. 1. de Cler. cap.* 10. Et hanc ſententiam æquiorem dixit etiam Coccinus vbi ſupra pag. 57. Et in hoc ſenſu etiam loquuntur Iacobat. & Albanus.

9. Alij dixerunt conuocandum eſſe Concilium Generale. Et pro hac ſententia à Bonacina citatur Azorius loco citato, qui vbi de hac quæſtione nec verbum habet, & idem dici vt puto poteſt de Decio in *cap. licet*, quem videre non potui. Et ad rem hoc non facit cum non

poſſit

poſſit congregari Concilium niſi poſt maximũ tempus & niſi cum maximo Eccleſiæ periculo differratur Electio Pontificis, & alias non deſint de propinquo Cardinales, qui exierunt à quibus poſſet Pontifex eligi, ſi ita iura diſponere voluiſſent.

10. Alij propterea dixerunt, in eo caſu vnũ Cardinalem ſolum non poſſe eligere, ſed reputandum eſſe ac ſi nulli Cardinales ingreſſi fuiſſent Conclaue, & iterum illos Conclaue ingredi debere, & eligere. Et hoc dici probabiliùs putat Caſtro Palaus *tom. 1. tract. 3. diſp. 1. par. 23. num.* 20. Nam *cap. vbi periculum*, & Clem. *Ne Romani* ſemper loquuntur in numero plurali de Cardinalibus, imò de Collegio, aut Coetu, qui non videtur eſſe vnus, aut duo, ſed ad minus *treſ. l. Neratius ff. de verb. ſignificat.* Sed hæc leuia ſunt. Cum enim caſus de quo loquimur, ſcilicet quòd omnibus alijs Cardinalibus recedentibus, aut etiam defunctis vnus ſolus remaneat in Conclaui ſit moraliter impoſſibilis, nil mirum, ſi leges eius non meminerunt, ſed in plurali loquuti ſunt, cum Cardinalium collegium, ac exitus Deo diſponente non ſit defecturus. Et minùs vrget, quod adducitur ex *l. Neratius*, Quoniam licet ad conſtituendum collegium requirantur duo, tamen Collegij conſtituti vita, poteſtas, & virtus in vno ſuperſtite conſeruari poteſt, *l. ſicut, ff. quod cuiuſq. vniuer. & l. ſi optio ff. de opt. leg. Gloſſ. in d. leg. Neratius* Abb. *conſ.* 15. *& conſ. 38. vol. 2.*

11. Sed ex Clem. *Ne Romani* §. *porro de elect. omnes præfatæ opiniones excluduntur.* Cum enim in hoc caſu Cardinales ſint ſuperſtites, ſi vno ſolo remanente ille eligere non poſſet, quid opus eſſet, vel extraneum vocare vel adhibere Clerum, vel conuocare Concilium, cum in promptu eſſet aliud remedium, quod Concilium Viennenſis elegit, ſi omnes Cardinales egrediantur, ſcilicet iubere, vt compellerentur Cardinales redire ad Conclaue, & ſic eligere? Et ſimiliter ex quo Concilium in caſu, in quo omnes exierint à Conclaui, nec ad extraneum, nec ad Clerum, nec ad Concilium voluit pertinere electionem, & nec ad Cardinales extra Conclaue exiſtentes, ſed voluit, vt Cardinales compellantur redire ad Conclaue; Ex hoc probauit nullum eſſe dabilem caſum, in quo aliqui Cardinales ſint ſuperſtites, & electio Papæ ad alium, quam ad Cardinales pertineat.

12. Ideò quod vno ſolo Cardinali remanente intrà Conclaue ipſe poſſit eligere Pontificem demonſtratur ex dicta Clement. §. *Porro*. Nam electio Papæ ad ſolos pertinet Cardinales in Conclaui clauſo manentes, & tamen Cardinales extra Conclaue etiam in ipſa vrbe, in qua eſt Conclaue exiſtentes, nec poſſunt extra Conclaue eligere, ne poſſunt compelli, vt ingrediantur Conclaue niſi omnes exierint, aut ſint extra Conclaue, igitur vno intrà Conclaue exiſtenti omnes præter illum, nec poſſunt eligere extra Conclaue, nec poſſunt compelli vt redeant ad Conclaue, cum in ſolo caſu, quod omnes exierint compelli poſſint, vt redeant. Cum igitur electio Pontificis ex hoc, quod nõ omnes ſunt extra non ſit reddita impoſſibilis, ſequitur quod eligere valeat iſte vnus, qui intrà Conclaue remanſit. Et ità hanc ſententiam tenent. Gloſſ. *in d. Clem. Ne Romani v. omnes*, & ibi Franc. §. *Porrò num.* 17. Panorm. *in cap. licet. num.* 15. *de elect.* Card. *num.* 8. Deciuſ. *num.* 32. *&* 53. Imola, Innocent. Iaſon & alij, quos refert, & ſequitur Albanus *quæſt.* 23. *&* 25. Lauden. de Card. *quæſt.* 14. Pauin. de offic. *Capit. Sede vacante prælud.* 5. *nu.* 8. Manfred. *deciſ.* 268. 287. *&* 296. Bart. *in l. ſicut* §. *in decurioni* 6. *ff. quod cuiuſque vniuer.* Villadieg. *de orig. & poteſtat.* Card. *quæſt.* 5. *num.* 26. Baldell. *tom.* 1. *l.* 5. *diſp.* 7. *num.* 13. *& ſeqq.* Lauor. *tom.* 1. *tit.* 3. *c.* 6. *num.* 26. Diana *par.* 5. *tract.* 2. *reſol.* 72. Barboſa in Clement. *Ne Romani num.* 26. *& l.* 1. *de iure Eccleſiaſtico cap.* 1. *num.* 246. *& apud eum Salas de legib. tract.* 14. *diſp.* 8. *ſect.* 8. *num.* 4. Caſtell. *cap.* 5. *num.* 86. Bonacina *ipſe etiam hoc admittit de legib. diſp.* 1. *quæſt.* 1. *par.* 3. *num.* 28. *& de elect. Pontif. q.* 1. *par.* 4. *num.* 3. Coccinus in manuſcript. Gloſſem. ad conſt. æterni Patris Greg. XV. §. *igitur pag.* 54. Nec obſtat, quod in hoc caſu non poſſet habere locum diſpoſitio *cap. licet de elect.* quia non poſſent tunc inueniri duæ partes, à quibus electio haberetur. Nam imo dicitur, quod tunc haberet locum dicti capitis diſpoſitio. quia electio eſſet omnino concors, & vnanimis. In duobus enim illis, velut illo vno poteſtas totius Collegij reſideret vt citati DD. docent.

13. An verò in nõ caſu ille vnus Cardinalis poſſet eligere ſe ipſum negant Panorm. *in cap. gratum 2. de poſtula, & cap. licet de elect.* Salas, Lauor. Diana, Barboſa citati, Cuch. Inſtit. *l.* 1. *tit.* 4. *num.* 56. *&* 77. & hodie res eſt certa, cum ex Conſtitutione Æterni Patris Gregor. XV. §. *numerum* prohibitum ſit Cardinali eligere ſe ipſum.

15. Panormitan. tamen, quem citati DD. ſequuntur, inuenit modum quo Cardinalis ille poſſet eligi in Papam, ſcilicet ſi compromitteret electionem in aliquem à quo ipſe eligeretur. Quamuis Albanus *q.* 24. quem ſequitur Lauor. *d. n.* 26. dicat hoc remedium locum habere ſolum vbi alij Cardinales exirent de Conclaui, vel abeſſent, non autem ſi mortui eſſent. Sed non eſt aſſignabilis valida ratio huius diſcriminis ſed Decius *in cap. licet n.* 53. de elect. quem refert, & ſequitur Coccinus vbi ſupra alia ratione hoc abſolute negat, quia ſcilicet compromiſſarius cum eligat nomine compromittentis, ſi Cardinalis vnus ſolus eligeret compromiſſarium, non poſſet ab eo ipſe eligi in Papam, quia ſic eligeret ſe ipſum, quia compromiſſarius non eligeret niſi nomine eiuſdem electi compromittentis. Sed hoc non vrget, quia compromittens non compromittit nomine proprio ſed nomine collegij, & compromiſſarius eligit nomine collegij, non vero nomine priuato perſonæ compromittentis, & ideo tunc compromittens non eligeret ſe ipſũ ſed compromitteret, vt Collegium, & eligeretur vt talis perſona. Aliter in compromiſſo non poſſet eligi aliquis es Cardinalibus compromittentibus ſi hoc eſſet compromittentem Cardinalem eligere ſe ipſum. Quamuis dicendum ſit hoc remedium ex eo eſſe illegitimum, quod

Cardi-

Digitized by Google

Cardinales non poſſunt ſaltem licite compromittere electionem in alium, quam in Cardinalem, vel Cardinales intra Conclaue clauſum exiſtentem, vel exiſtentes, vt ex Conſtit. Gregor. XV. §. *matura*, & §. *quod ſi electio*, & *in Caremoniali* §. *ſecundus modus*. An tamen de ſubſtantia ſit vt compromiſſarius non ſit niſi Cardinalis dicetur infra

16. Sequitur etiam ex dictis, quod Cardinales, vel negligentes intrare poſſunt compelli, vt intrent, vel cum nondum vllus intrauit, vel cum omnes exierant nam ex vi Conſtitutionis Gregor. X. & auctoritatis, quam dedit executoribus ſuæ Conſtitutionis, poſſunt ab exequutoribus compelli Card. ad hoc vt exequantur ſibi commiſſa in d. Conſtitutione. Et hoc idem habetur ex Conſtitut. *Pij* IV. Inter alia veró in eis Conſtit. ſancita, hoc eſt, quod Cardinales poſt decem dies à morte Papæ ingrediantur Cõclaue pro electione ſucceſſoris, & in Clemen. ne Romani de elect. pariter ſtatuitur, vt ab exequutoribus Conſtitutionis Gregor. X. Cardinales ſi omnes exierint compellãtur reintrare ſed et electo Pontifice poſſunt compelli ex eiſdem Conſtitutionibus, vt exeant Azor. *p.* 2. *l.* 4. *c.* 2. *q.* 12. Sed hoc negatur; nam ſi electus ſit præſens illius erit, & exire, & compellere alios ad exeundum, & præterea authoritas executorũ Conſtit. Gregor. X. *Pij* IV. & Greg. XV. non ſe extendit niſi ad tempus ſedis vacantis.

17. Verum grauis difficultas hic inſurgit. Quid enim dicendum ſi vel tranſactis decem diebus, vel omnibus Cardinalibus à Conclaui ſemel egreſſis, aliqui Cardinalium, vel ingrediantur, vel remanſerint in Conclaui, ſed alij, & forſan in maiori parte id facere recuſent, & allegent iuſtum impedimentum vt *v. g.* periculũ impreſſionis, & violentiæ, quod immineat electoribus, & electioni niſi, vel mutetur locus electionis, vel diferratur electio? Gloſſ. in Clemen. ne Romani, duas queſtiones hic agnoſcit, quas non deciſas putat, & iudicat indigere determinatione Pontificia. An ſcilicet in ſimili caſu, qui ſunt in Conclaui poſſint alijs non attentis eligere. Secunda quis ſit Iudex, qui in caſu occurrenti poſſit hanc concertationem dirimere. Sed alij dicunt, quod durante metu qui ſunt in Conclaui non habent ius eligendi Alban. *q.* 27. Azor. *p.* 2. *l.* 4. *c.* 2. *q.* 12. Lauor. *tract.* 3. *c.* 5. *n.* 25.

18. Sed vtramque quæſtionem eſſe deciſam in Conſtitutionibus Pontificum ſatis eſt manifeſtum. Et ex earum determinatione ſuperiora explicanda ſunt, & limitanda. Dicitur igitur primo, quod in his, & ſimilibus caſibus, in quibus agitur de differendo ingreſſu in Conclaue aut de retardanda electione, aut de mutando loco electionis, vel quando eſt indeterminatus à lege, vel quando ex neceſſitate aliqua eſt mutandus, vel de alijs ſimilibus difficultatibus, quæ poſſunt contingere circa locum, & tempus electionis Papæ. iudex proprius, & legitimus eſt Sacrum Collegium Cardinalium & pro ſua parte etiam reliqui executores Conſtitutionum Pontificum. Probatur hoc primo in terminis Conſtitut. Gregor. X. *d. cap. Vbi periculum* §. *hoc ſacro* ibi. *Iidem quoque Cardinales accelerandæ prouiſioni ſic vacent attentius; quod ſe nequaquam de alio negotio intromittant, niſi forſan neceſſitas adeo vrgens incideret, quod eos oporteret de terra ipſius Eccleſiæ defendenda vel eius parte aliqua prouidere, vel niſi aliquod tam grande, & tam euidens periculum immineret, quod omnibus, & ſingulis Cardinalibus præſentibus concorditer videretur illi celeriter occurrendum*. Ex his enim habetur, quod ob neceſſitatem grauis periculi vitandi, ideoque ex quauis iuſta cauſa, & neceſſitate commune Eccleſiæ bonum reſpiciente Collegium Cardinalium poteſt electionem differre. Deinde id apertius habetur ex Conſtitut, in eligendis Pij IV. §. *Sedis autem* ibi. *Si vero vltra prædicta aliquod grande periculum immineret, cui omnibus, & ſingulis Cardinalibus preſẽtibus iuxta ordinationem, Gregor. X. aut ſaltem duabus illorum tertijs partibus per ſecreta ſuffragia videretur celeriter occurrendum: tunc Collegium iuxta maioris partis ſententiam ſimiliter per ſecreta ſuffragia de remedio opportuno, ac prouide de neceſſaria impenſa prouidere poſſit, & debeat*, & §. *Quia vero parum eſſet iura condere, niſi forent, qui executioni ea demandarent, ſtatuimus, & ordinamus, vt Prælati Rectores, Officiales Vrbis, ac Principum Oratores, Illuſtres viri, quos omnes à Collegio pro cuſtodia Conclauis eligi continget (eligere autem Collegium debebit eos, qui ad id magis idonei videbuntur) præmiſſa omnia plené, & inuiolabiliter, ac ſine fraude, & dolo aliquo obſeruari faciant, de quo corporale iuramentum coram ipſo Collegio ante ingreſſum Conclauis, & quoties opus fuerit præſtare teneantur; quæ quidem niſi fecerint, vel ſi in eis dolum, & fraudem commiſerint, prædictas pœnas, & cæteras in d. Conſtitutione Gregorij X. contentas incurrant* Colligitur enim ex iſtis, quod ſummus executor Conſtitutionis Pij IV. ideoque, & Conſtitut. Greg. X. & aliorum Pontificum, quas Pius IV. confirmauit eſt Collegium Cardinalium, & quod illud eſt Iudex ſupremus, ad quem ſpectat decernere ea omnia, quæ ad electionem Papæ validè, & ritè habendam ſpectant, & ſunt neceſſaria. In caſu igitur occurente, vbi ſit dubium an conueniat differre ingreſſum Conclauis poſt decem dies, vel exire è Conclaui, vel ad illud redire ſpectat ad Collegium decernere, quid agendum, & licet in collegio debeant eſſe ſimul congregati, vel omnes, vel duæ partes Cardinalium, tamen ad deliberandum ſufficit conſenſus maioris partis Collegij, vt ex dicto §. *ſedis autem conſtat*.

19. Verum dicitur ſecundo, quod nullum priuatum, & perſonale intereſſe Cardinalium etiam plurium (quale impedimentum eſt, vel infirmitas, vel inimicitia priuata, vel quodcunque aliud priuatum periculum mortis, honoris, famæ, damni, vel in corpore, vel in ſubſtantijs) fert iuſtum impedimentum, & cauſam iuſtam differendi ingreſſum Conclauis, ſeu electionem Papæ, & ex conſequenti nec Collegium Cardinalium poteſt ex huiuſmodi cauſis decernere, vt qui volunt ingredi, vel manere, vel redire ad Conclaue id facere libere non poſſint, & ſi id faciant non poſſint licitè, & valide bis in die iuxta Conſtitut. Gregor. XV. §. *ſimiliter* procedere ad electionem, & eligere Pontificem. Et ſi eligant alij non poſſunt dicere de contemptu. Hoc

mani-

Digitized by Google

manifeſtum eſt ex Conſtitut. Greg. X. §. *hoc ſacro verſ. ſunt*, & ex Clem. *Ne Romani* §. *Porrò*. & ex Conſtit. Pij IV. §. *lapſis*, & §. *ſi quis verò*; conſiderandum eſt enim nullum eſſe tam iuſtum impedimentum perſonale non ingrediendi Conclaue, quam neceſſitas fugiendæ mortis ex ingreſſu imminentis, quam neceſſitatem fert infirmitas. Et tamen iura citata volunt vt huiuſmodi iuſtum impedimentum perſonale attendatur, & non attendatur. Valet enim ad hoc vt Cardinalis infirmus non ſit omninò priuatus voce, ſed poſſit ſi velit intrare Conclaue, & ex conſequenti eligere. Sed non valet ad hoc, vt qui ſunt in Conclaui non poſſint ſine ipſo eligere libere, & valide; & citata iura nihil conſiderando, qui ſint, qui ingrediuntur Conclaue, & in eo ſunt, & quanti ſint abſolutè omnes exiſtentes extra Conclaue à voce actiuà excludunt, & iuſti perſonalis impedimenti ad hoc ſolum rationem habent; quod vbi non impediti, ſi ſemel non ingrediantur, vel exeant Conclaue ſunt pro ea vacantia omnino priuati voce actiua, qui impediti iuſte, quia vel abſentes ſunt, vel infirmi poſſunt voce gaudere, ſi tamen intrent Conclaue. Igitur manifeſtum, quod iuſtum impedimentum perſonale non dat cauſam iuſtam differendi ingreſſum Conclauis, & electionem Pontificis, ſed quod non impediti habent ius ingrediendi, & eligendi tanti quanti ſunt, nulla habità ratione eorum, qui particulari, & priuato impedimento detenti extra Conclaue manent. Quod & manifeſtum eſt ex Conſtitut. Pij IV. §. *Declaramus*.

20. Hinc prædicta extenduntur, vt vera ſint etiam ſi priuatum periculum grauis damni vitę, vel honoris immineat maiori parti, & ferè omnibus, vt ſi ferè omnes Cardinales eſſent infirmi, vel ex priuata cauſa illis immineret aliud periculum mortis. Hoc enim ex prædictis conuincitur. Nam Conſtitutiones relatæ non reſpiciunt quanti ſint, vel non ſint priuatè impediti, vel non impediti, ſed neceſſitatem celeris electionis Pontificis attendunt, & ius eligendi tribuunt ijs ſolis, qui ſint intrà Conclaue. Et præcipuè ponderanda ſunt verba Clem. *Ne Romani*, & conſiderandum, quod ſolum vbi omnes Cardinales exierint, præcipit eos compelli, & non attendit, ſi qui remanſerũt ſint maior, vel minor, vel minima pars, vel vnus ſolus, ſed ſolũ ſi nullus remãſit pręcipit Cardinales eſſe ad reditum compellendos. Et ſic ſi vel vnus remanſit, vel ſi vel vnus redijt non datur locus decreto Clem. vt conſiderauit Card. Alban. *q.* 28. Vnde eſt, quod qui remanſerunt, vel remanſit, aut redierunt, vel redijt, poſſunt, vel poteſt Papam eligere, vt DD. citati docuerunt.

21. Dicitur nihilominus tertio. Quod vbi immineat periculum cõmunis, & publici damni Eccleſiæ, & præcipuè contra libertatem electionis, quod vitari non poſſit niſi ex mutatione loci, aut temporis electionis Collegium Cardinalium poteſt mutare locum, aut tempus, & minor pars Cardinalium tenetur ſtare maiori parti, nec poteſt licitè, aut validè, vel intrare Conclaue, vel in eo manere, vel ad illud redire. Quia bono communi in primis eſt conſulendum, & in hoc iura iudicem, & executorem ſtatuerunt Sacrum Collegium, & ita quod vincat, & illi minor pars ſta

22. Colligitur ex hoc priuatum redundet in pu ne alicuius, vel aliquor aliquod ſchiſma immin cleſiæ tunc intrar eaſu & aliorum Pontificum, & poteſt, ſi ibi benè viſum fuerit aut differre ingreſſum Conclauis, au malum vitandum opportunum decerner cum Franciſcus Soderinus dictus Cardinalis Volaterranus per Hadrianum Sextum fuiſſet carceratus in Arce S. Angeli, nihilominus eo Pontifice mortuo per Collegium Cardinalium fuit à carcere liberatus, & fuit ad electionem admiſſus, Cum tamen defuncto ſanctæ memoriæ Paulo Quinto Collegium auditis Cardinalibus Iuſtiniano, Millino, S. Suſannæ, & Capponio deputatis noluit, quod Cardinalis Kleſſellius detentus in Germania in quodam monaſterio de ordine eiuſdem Pontificis inſtante Cæſare liberaretur, vt Comitijs celebrandis pro electione Romani Pontificis poſſet interuenire.

23. Huius vero differentiæ rationem aſſignat Coccinens *pag.* 119. ex actis illius Conclauis, in quo electus fuit Clemens VII. quia ob auctoritatem maximam fauentium Cardinali Volaterrano imminebat maximi damni periculum Eccleſiæ, ſi non fuiſſet ille liberatus. Gliſcebat, inquit, iam in immenſam diſcordia, cum primores Patrum admittente, & Iulio (ſci icet Mediceo, qui in ea Sede vacante electus fuit Pontifex Clemens Septimus) etiam vt in mitiorem partem decerneretur, aſſentiente, ſalutari decreto ſtatuerunt, vt libertas daretur Volaterrano, hac tamen lege, vt arcem non exiret publiciſque etiam Cardinalium conuentionibus abſtineret, ne aliquis motus ipſius interuentu excitaretur, donec ſtatuta dies ingrediendi Conclaue adueniſſet, & tunc liberum ei eſſet illud ingredi, & ſuffragium ferre. Reliquam vero ipſius cauſæ cognitionem futuri Pontificis arbitrio ſeruandam cenſuerunt. Sedata igitur tam graui contentione, quæ Senatum octo diebus ſuſpenſum, anxiumque habuerat X. Kal. Octobris Adriano parentari cæptum eſt.

24. Vbi ergo aliquod grauis dãni periculum immineat, & grauis, neceſſitas præſentanea occurrat, tunc Sacrum Collegium ex vi DD. Cõſtit. Põtificia etiã gaudet iuriſdictione vt quãtũ opus eſt ea quæ ad Eccleſiæ pacem, & bonũ, & quietam, & legitimam, & pacificam electionem ſunt neceſſaria diſponat. Vnde benè poteſt ſi id neceſſitas poſtulet, & mutare electionis locum iuxta ſancita etiam in *cap. In nomine Domini* §. *Quod ſi prauorum*; & differre tempus ingrediendi Conclaue, & eligendi ſicuti factum fuit in pręfata vacantia poſt mortem Adriani, in qua per octo dies ab eius morte tractatum eſt negotium liberationis Cardinalis Volaterrani, poſt quos nouendiales exequiæ defuncti Pontificis haberi cæptæ ſunt. Sed quid dicendum ſi euidens eſſet, & manifeſtum locum, aut tempus eſſe non tutum, & imminere periculum graue electoribus, & electioni, & tamen maior pars Collegij nollet

locum

Cardinales non poſſunt ſaltem licite compromittere electionem in alium, quam in Cardinalem, vel Cardinales intra Conclaue clauſum exiſtentem, vel exiſtentes, vt ex Conſtit. Gregor. XV. §. *matura*, *&* §. *quod ſi electio*, *& in Cæremoniali* §. *ſecundus modus*. An tamen de ſubſtantia ſit vt compromiſſarius non ſit niſi Cardinalis dicetur infra

16. Sequitur etiam ex dictis, quod Cardinales, vel negligentes intrare poſſunt compelli, vt intrent, vel cum nondum vllus intrauit, vel cum omnes exierunt nam ex vi Conſtitutionis Gregor. X. & auctoritatis, quam dedit executoribus ſuæ Conſtitutionis, poſſunt ab exequutoribus compelli Card. ad hoc vt exequantur ſibi commiſſa in d. Conſtitutione. Et hoc idem habetur ex Conſtitut. *Pij* IV. Inter alia verò in eis Conſtit. ſancita, hoc eſt, quod Cardinales poſt decem dies à morte Papæ ingrediantur Cōclaue pro electione ſucceſſoris, & in Clemen. ne Romani de elect. pariter ſtatuitur, vt ab exequutoribus Conſtitutionis Gregor. X. Cardinales ſi omnes exierint compellātur reintrare ſed et electo Pontifice poſſunt compelli ex eiſdem Conſtitutionibus, vt exeant Azor. *p.* 2. *l.* 4. *c.* 2. *q.* 12. Sed hoc negatur; nam ſi electus ſit præſens illius erit, & exire, & compellere alios ad exeundum, & præterea authoritas executorū Conſtit. Gregor. X. *Pij* IV. & Greg. XV. non ſe extendit niſi ad tempus ſedis vacantis.

17. Verum grauis difficultas hic inſurgit. Quid enim dicendum ſi vel tranſactis decem diebus, vel omnibus Cardinalibus à Conclaui ſemel egreſſis, aliqui Cardinalium, vel ingrediantur, vel remanſerint in Conclaui, ſed alij, & forſan in maiori parte id facere recuſent, & allegent iuſtum impedimentum vt *v. g.* periculū impreſſionis, & violentiæ, quod immineat electoribus, & electioni niſi, vel mutetur locus electionis, vel differatur electio? Gloſſ. in Clemen. ne Romani, duas queſtiones hic agnoſcit, quas non deciſas putat, & iudicat indigere determinatione Pontificia. An ſcilicet in ſimili caſu, qui ſunt in Conclaui poſſint alijs non attentis eligere. Secunda quis ſit Iudex, qui in caſu occurrenti poſſit hanc concertationem dirimere. Sed alij dicunt, quod durante metu qui ſunt in Conclaui non habent ius eligendi Alban. *q.* 27. Azor. *p.* 2. *l.* 4. c. 2. *q.* 12. Lauor. *tract.* 3. *c.* 5. *n.* 25.

18. Sed vtramque quæſtionem eſſe deciſam in Conſtitutionibus Pontificum ſatis eſt manifeſtum. Et ex earum determinatione ſuperiora explicanda ſunt, & limitanda. Dicitur *igitur* primo, quod in his, & ſimilibus caſibus, in quibus agitur de differendo ingreſſu in Conclaue aut de retardanda electione, aut de mutando loco electionis, vel quando eſt indeterminatus à lege, vel quando ex neceſſitate aliqua eſt mutandus, vel de alijs ſimilibus difficultatibus, quæ poſſunt contingere circa locum, & tempus electionis Papæ. iudex proprius, & legitimus eſt Sacrum Collegium Cardinalium & pro ſua parte etiam reliqui executores Conſtitutionum Pontificum. Probatur hoc primo in terminis Conſtitut. Gregor. X. *d. cap. Vbi periculum* §. *hoc ſacro* ibi. *Iidem quoque Cardinales accelerandæ prouiſioni ſic vacent attentius; quod ſe nequaquam de alio negotio intromittant, niſi forſan neceſſitas adeo vrgens incideret, quod eos oporteret de terra ipſius Eccleſiæ defendenda vel eius parte aliqua prouidere, vel niſi aliquod tam grande, & tam euidens periculum immineret, quod omnibus, & ſingulis Cardinalibus præſentibus concorditer videretur illi celeriter occurrendum*. Ex his enim habetur, quod ob neceſſitatem grauis periculi vitandi, ideoque ex quauis iuſta cauſa, & neceſſitate commune Eccleſiæ bonum reſpiciente Collegium Cardinalium poteſt electionem differre. Deinde id apertius habetur ex Conſtitut, in eligendis Pij IV. §. *Sedis autem* ibi. *Si vero vltra prædicta aliquod grande periculum immineret, cui omnibus, & ſingulis Cardinalibus preſētibus iuxta ordinationem, Gregor. X. aut ſaltem duabus illorum tertijs partibus per ſecreta ſuffragia videretur celeriter occurrendum: tunc Collegium iuxta maioris partis ſententiam ſimiliter per ſecreta ſuffragia de remedio opportuno, ac prouide de neceſſaria impenſa prouidere poſſit, & debeat, &* §. *Quia vero parum eſſet iura condere, niſi forent, qui executioni ea demandarent, ſtatuimus, & ordinamus, vt Prælati Rectores, Officiales Vrbis, ac Principum Oratores, Illuſtres viri, quos omnes à Collegio pro cuſtodia Conclauis eligi continget (eligere autem Collegium debebit eos, qui ad id magis idonei videbuntur) præmiſſa omnia plenè, & inuiolabiliter, ac ſine fraude, & dolo aliquo obſeruari faciant, de quo corporale iuramentum coram ipſo Collegio ante ingreſſum Conclauis, & quoties opus fuerit præſtare teneantur; quæ quidem niſi fecerint, vel ſi in eis dolum, & fraudem commiſerint, prædictas pœnas, & cæteras in d. Conſtitutione Gregorij X. contentas incurrant* Colligitur enim ex iſtis, quod ſummus executor Conſtitutionis Pij IV. ideoque, & Conſtitut. Greg. X. & aliorum Pontificum, quas Pius IV. confirmauit eſt Collegium Cardinalium, & quod illud eſt Iudex ſupremus, ad quem ſpectat decernere ea omnia, quæ ad electionem Papæ validè, & ritè habendam ſpectant, & ſunt neceſſaria. In caſu igitur occurrente, vbi ſit dubium an conueniat differre ingreſſum Conclauis poſt decem dies, vel exire è Conclaui, vel ad illud redire ſpectat ad Collegium decernere, quid agendum, & licet in collegio debeant eſſe ſimul congregari, vel omnes, vel duæ partes Cardinalium, tamen ad deliberandum ſufficit conſenſus maioris partis Collegij, vt ex dicto §. *Sedis autem* conſtat.

19. Verum dicitur ſecundo, quod nullum priuatum, & perſonale intereſſe Cardinalium etiam plurium (quale impedimentum eſt, vel infirmitas, vel inimicitia priuata, vel quodcunque aliud priuatum periculum mortis, honoris, famæ, damni, vel in corpore, vel in ſubſtantijs) fert iuſtum impedimentum, & cauſam iuſtam differendi ingreſſum Conclauis, ſeu electionem Papæ, & ex conſequenti nec Collegium Cardinalium poteſt ex huiuſmodi cauſis decernere, vt qui volunt ingredi, vel manere, vel redire ad Conclaue id facere libere non poſſint, & ſi id faciant non poſſint licitè, & valide bis in die iuxta Conſtitut. Gregor. XV. §. *ſimiliter* procedere, ad electionem, & eligere Pontificem. Et ſi eligant alij non poſſunt dicere de contemptu. Hoc

mani-

manifeſtum eſt ex Conſtitut. Greg. X. §. *hoc ſacro verſ. ſane*; & ex Clem. *Ne Romani* §. *Porrò* & ex Conſtit. Pij IV. §. *lapſis*, & §. *ſi quis verò*; conſiderandum eſt enim nullum eſſe tam iuſtum impedimentum perſonale non ingrediendi Conclaue, quam neceſſitas fugiendæ mortis ex ingreſſu imminentis, quam neceſſitatem fert infirmitas. Et tamen iura citata volunt vt huiuſmodi iuſtum impedimentum perſonale attendatur, & non attendatur. Valet enim ad hoc vt Cardinalis infirmus non ſit omninò priuatus voce, ſed poſſit ſi velit intrare Conclaue, & ex conſequenti eligere. Sed non valet ad hoc, vt qui ſunt in Conclaui non poſſint ſine ipſo eligere libere, & valide; & citata iura nihil conſiderando, qui ſint, qui ingrediuntur Conclaue, & in eo ſunt, & quanti ſint abſolutè omnes exiſtentes extra Conclaue à voce actiua excludunt, & iuſti perſonalis impedimenti ad hoc ſolum rationem habent; quod vbi non impediti, ſi ſemel non ingrediantur, vel exeant Conclaue ſunt pro ea vacantia omnino priuati voce actiua, qui impediti iuſte; quia vel abſentes ſunt, vel infirmi poſſunt voce gaudere, ſi tamen intrent Conclaue. Igitur manifeſtum, quod iuſtum impedimentum perſonale non dat cauſam iuſtam differendi ingreſſum Conclauis, & electionem Pontificis, ſed quod non impediti habent ius ingrediendi, & eligendi tanti quanti ſunt, nulla habita ratione eorum, qui particulari, & priuato impedimento detenti extra Conclaue manent. Quod & manifeſtum eſt ex Conſtitut. Pij IV. §. *Declaramus*.

20. Hinc prædicta extenduntur, vt vera ſint etiam ſi priuatum periculum grauis damni vitæ, vel honoris immineat maiori parti, & ferè omnibus, vt ſi ferè omnes Cardinales eſſent infirmi, vel ex priuata cauſa illis immineret aliud periculum mortis. Hoc enim ex prædictis conuincitur. Nam Conſtitutiones relatæ non reſpiciunt quanti ſint, vel non ſint priuatè impediti, vel non impediti, ſed neceſſitatem celeris electionis Pontificis attendunt, & ius eligendi tribuunt ijs ſolis, qui ſint intrà Conclaue. Et præcipuè ponderanda ſunt verba Clem. *Ne Romani*, & conſiderandum, quod ſolum vbi omnes Cardinales exierint, præcipit eos compelli, & non attendit, ſi qui remanſerũt ſint maior, vel minor, vel minima pars, vel vnus ſolus, ſed ſolũ ſi nullus remãſit præcipit Cardinales eſſe ad reditum compellendos. Et ſic ſi vel vnus remanſit, vel ſi vel vnus redijt non datur locus decreto Clem. vt conſiderauit Card. Alban. *q.* 28. Vnde eſt, quod qui remanſerunt, vel remanſit, aut redierunt, vel redijt, poſſunt, vel poteſt Papam eligere, vt DD. citati docuerunt.

21. Dicitur nihilominus tertio. Quod vbi immineat periculum cõmunis, & publici damni Eccleſiæ, & præcipuè contra libertatem electionis, quod vitari non poſſit niſi ex mutatione loci, aut temporis electionis Collegium Cardinalium poteſt mutare locum, aut tempus, & minor pars Cardinalium tenetur ſtare maiori parti, nec poteſt licitè, aut validè, vel intrare Conclaue, vel in eo manere, vel ad illud redire. Quia bono communi in primis eſt conſulendum, & in hoc iura iudicem, & executorem ſtatuerunt Sacrum Collegium, & ita quod in eo maior pars vincat, & illi minor pars ſtare debeat.

22. Colligitur ex hoc, quod vbi intereſſe priuatum redundet in publicum, & ex excluſione alicuius, vel aliquorum Cardinalium poſſit aliquod ſchiſma imminere vel graue malum Eccleſiæ tunc intrat caſus Conſtitutioni Greg. X. & aliorum Pontificum, & Sacrum Collegium poteſt, ſi ibi benè viſum fuerit mutare locum, aut differre ingreſſum Conclauis, aut aliud ad malum vitandum opportunum decernere. Sic cum Franciſcus Soderinus dictus Cardinalis Volaterranus per Hadrianum Sextum fuiſſet carceratus in Arce S. Angeli, nihilominus eo Pontifice mortuo per Collegium Cardinalium fuit à carcere liberatus, & fuit ad electionem admiſſus, Cum tamen defuncto ſanctæ memoriæ Paulo Quinto Collegium auditis Cardinalibus Iuſtiniano, Millino, S. Suſannæ, & Capponio deputatis noluit, quod Cardinalis Kleſſelius detentus in Germania in quodam monaſterio de ordine eiuſdem Pontificis inſtante Cæſare liberaretur, vt Comitijs celebrandis pro electione Romani Pontificis poſſet interuenire.

23. Huius vero differentiæ rationem aſſignat Coccineus *pag.* 119. ex actis illius Conclauis, in quo electus fuit Clemens VII. quia ob auctoritatem maximam fauentium Cardinali Volaterano imminebat maximi damni periculum Eccleſiæ, ſi non fuiſſet ille liberatus. Gliſcebat, inquit, iam in immenſam diſcordia, cum primores Patrum admittente, & Iulio (ſci ieet Mediceo, qui in ea Sede vacante electus fuit Pontifex Clemens Septimus) etiam vt in mitiorem partem decerneretur, aſſentiente, ſalutari decreto ſtatuerunt, vt libertas daretũr Volaterrano, hac tamen lege, vt arcem non exiret publiciſque etiam Cardinalium conuentionibus abſtineret, ne aliquis motus ipſius interuentu excitaretur, donec ſtatuta dies ingrediendi Conclaue adueniſſet, & tunc liberum ei eſſet illud ingredi, & ſuffragium ferre. Reliquam vero ipſius cauſæ cognitionem futuri Pontificis arbitrio ſeruandam cenſuerunt. Sedata igitur tam graui contentione, quæ Senatum octo diebus ſuſpenſum, anxiumque habuerat X. Kal. Octobris Adriano parentari cæptum eſt.

24. Vbi ergo aliquod grauis damni periculum immineat, & grauis, neceſſitas præſentanea occurrat, tunc Sacrum Collegium ex vi DD. Cõſtit. Põtificia etiã gaudet iuriſdictione vt quãtũ opus eſt ea quæ ad Eccleſiæ pacem, & bonũ, & quietam, & legitimam, & pacificam electionem ſunt neceſſaria diſponat. Vnde benè poteſt ſi id neceſſitas poſtulet, & mutare electionis locum iuxta ſancita etiam in *cap. In nomine Domini* §. *Quod ſi prauorum*, & differre tempus ingrediendi Conclaue, & eligendi ſicuti factum fuit in præfata vacantia poſt mortem Adriani, in qua per octo dies ab eius morte tractatum eſt negotium liberationis Cardinalis Volaterrani, poſt quos nouendiales exequiæ defuncti Pontificis haberi cæptæ ſunt. Sed quid dicendum ſi euidens eſſet, & manifeſtum locum, aut tempus eſſe non tutum, & imminere periculum graue electoribus, & electioni, & tamen maior pars Collegij nollet

locum

Cardinales non poſſunt ſaltem licite compromittere electionem in alium, quam in Cardinalem, vel Cardinales intra Conclaue clauſum exiſtentem, vel exiſtentes, vt ex Conſtit. Gregor. XV. §. *matura*, *&* §. *quod ſi electio*, *& in Cæremoniali* §. *ſecundus modus*. An tamen de ſubſtantia ſit vt compromiſſarius non ſit niſi Cardinalis dicetur infra

16. Sequitur etiam ex dictis, quod Cardinales, vel negligentes intrare poſſunt compelli, vt intrent, vel cum nondum vllus intrauit, vel cum omnes exierunt nam ex vi Conſtitutionis Gregor. X. & auctoritatis, quam dedit executoribus ſuæ Conſtitutionis, poſſunt ab exequutoribus compelli Card. ad hoc vt exequantur ſibi commiſſa in d. Conſtitutione. Et hoc idem habetur ex Conſtitut. *Pij* IV. Inter alia veró in eis Conſtit. ſancita, hoc eſt, quod Cardinales poſt decem dies à morte Papæ ingrediantur Cõclaue pro electione ſucceſſoris, & in Clemen. ne Romani de elect. pariter ſtatuitur, vt ab exequutoribus Conſtitutionis Gregor. X. Cardinales ſi omnes exierint compellãtur reintrare ſed et electo Pontifice poſſunt compelli ex eiſdem Conſtitutionibus, vt exeant Azor. *p.* 2. *l.* 4. *c.* 2. *q.* 12. Sed hoc negatur; nam ſi electus ſit præſens illius erit, & exire, & compellere alios ad exeundum, & præterea authoritas executorũ Conſtit. Gregor. X. *Pij* IV. & Greg. XV. non ſe extendit niſi ad tempus ſedis vacantis.

17. Verum grauis difficultas hic inſurgit. Quid enim dicendum ſi vel tranſactis decem diebus, vel omnibus Cardinalibus à Conclaui ſemel egreſſis, aliqui Cardinalium, vel ingrediantur, vel remanſerint in Conclaui, ſed alij, & forſan in maiori parte id facere recuſent, & allegent iuſtum impedimentum vt *v. g.* periculũ impreſſionis, & violentiæ, quod immineat electoribus, & electioni niſi, vel mutetur locus electionis, vel differatur electio? Gloſſ. in Clemen. ne Romani, duas queſtiones hic agnoſcit, quas non deciſas putat, & iudicat indigere determinatione Pontificia. An ſcilicet in ſimili caſu, qui ſunt in Conclaui poſſint alijs non attentis eligere. Secunda quis ſit Iudex, qui in caſu occurrenti poſſit hanc concertationem dirimere. Sed alij dicunt, quod durante metu qui ſunt in Conclaui non habent ius eligendi Alban. *q.* 27. Azor. *p.* 2. *l.* 4. *c.* 2. *q.* 12. Lauor. *tract.* 3. *c.* 5. *n.* 25.

18. Sed vtramque quæſtionem eſſe deciſam in Conſtitutionibus Pontificum ſatis eſt manifeſtum. Et ex earum determinatione ſuperiora explicanda ſunt, & limitanda. Dicitur igitur primo, quod in his, & ſimilibus caſibus, in quibus agitur de differendo ingreſſu in Conclaue aut de retardanda electione, aut de mutando loco electionis, vel quando eſt indeterminatus à lege, vel quandó ex neceſſitate aliqua eſt mutandus, vel de alijs ſimilibus difficultatibus, quæ poſſunt contingere circa locum, & tempus electionis Papæ. iudex proprius, & legitimus eſt Sacrum Collegium Cardinalium & pro ſua parte etiam reliqui executores Conſtitutionum Pontificum. Probatur hoc primo in terminis Conſtitut. Gregor. X. *d. cap. Vbi periculum* §. *hoc ſacro* ibi. *Iidem quoque Cardinales accelerandæ prouiſioni ſic vacent attentius*; *quod ſe nequaquam de alio negotio intromittant*, *niſi forſan neceſſitas adeo vrgens incideret*, *quod eos oporteret de terra ipſius Eccleſiæ defendenda vel eius parte aliqua prouidere*, *vel niſi aliquod tam grande*, *&* *tam euidens periculum immineret*, *quod omnibus*, *& ſingulis Cardinalibus præſentibus concorditer videretur illi celeriter occurrendum*. Ex his enim habetur, quod ob neceſſitatem grauis periculi vitandi, ideoque ex quauis iuſta cauſa, & neceſſitate commune Eccleſiæ bonum reſpiciente Collegium Cardinalium poteſt electionem differre. Deinde id apertius habetur ex Conſtitut, in eligendis Pij IV. §. *Sedis autem* ibi. *Si vero vltra prædicta aliquod grande periculum immineret*, *cui omnibus*, *& ſingulis Cardinalibus preſẽtibus iuxta ordinationem*, *Gregor. X.* *aut ſaltem duabus illorum tertijs partibus per ſecreta ſuffragia videretur celeriter occurrendum*: *tunc Collegium iuxta maioris partis ſententiam ſimiliter per ſecreta ſuffragia de remedia opportuno*, *ac prouide de neceſſaria impenſa prouidere poſſit*, *& debeat*, *&* §. *Quia vero parum eſſet iura condere*, *niſi forent*, *qui executioni ea demandarent*, *ſtatuimus*, *& ordinamus*, *vt Prælati Rectores*, *Officiales Vrbis*, *ac Principum Oratores*, *Illuſtres viri*, *quos omnes à Collegio pro cuſtodia Conclauis eligi continget* (*eligere autem Collegium debebit eos*, *qui ad id magis idonei videbuntur*) *præmiſſa omnia plenè*, *& inuiolabiliter*, *ac ſine fraude*, *& dolo aliquo obſeruari faciant*, *de quo corporale iuramentum coram ipſo Collegio ante ingreſſum Conclauis*, *& quoties opus fuerit præſtare teneantur*; *quæ quidem niſi fecerint*, *vel ſi in eis dolum*, *& fraudem commiſerint*, *prædictas pœnas*, *& cæteras in d. Conſtitutione Gregorij X.* *contentas incurrant* Colligitur enim ex iſtis, quod ſummus executor Conſtitutionis Pij IV. ideoque, & Conſtitut. Greg. X. & aliorum Pontificum, quas Pius IV. confirmauit eſt Collegium Cardinalium, & quod illud eſt Iudex ſupremus, ad quem ſpectat decernere ea omnia, quæ ad electionem Papæ validè, & ritè habendam ſpectant, & ſunt neceſſaria In caſu igitur occurrente, vbi ſit dubium an conueniat differre ingreſſum Conclauis poſt decem dies, vel exire è Conclaui, vel ad illud redire ſpectat ad Collegium decernere, quid agendum, & licet in collegio debeant eſſe ſimul congregati, vel omnes, vel duæ partes Cardinalium, tamen ad deliberandum ſufficit conſenſus maioris partis Collegij, vt ex dicto §. *Sedis autem conſtat*.

19. Verum dicitur ſecundo, quod nullum priuatum, & perſonale intereſſe Cardinalium etiam plurium (quale impedimentum eſt, vel infirmitas, vel inimicitia priuata, vel quodcunque aliud priuatum periculum mortis, honoris, famæ, damni, vel in corpore, vel in ſubſtantijs) fert iuſtum impedimentum, & cauſam iuſtam differendi ingreſſum Conclauis, ſeu electionem Papæ, & ex conſequenti nec Collegium Cardinalium poteſt ex huiuſmodi cauſis decernere, vt qui volunt ingredi, vel manere, vel redire ad Conclaue id facere libere non poſſint, & ſi id faciant non poſſint licitè, & valide bis in die iuxta Conſtitut. Gregor. XV. §. *ſimiliter* procedere ad electionem, & eligere Pontificem. Et ſi eligant alij non poſſunt dicere de contemptu. Hoc

mani-

manifeſtum eſt ex Conſtitut. Greg. X. §. *hoc ſacro verſ. ſine* , & ex Clem. *Ne Romani* §. *Porrò* & ex Conſtit. *Pij* IV. §. *lapſis* , & §. *ſi quis verò* ; conſiderandum eſt enim nullum eſſe tam iuſtum impedimentum perſonale non ingrediendi Conclaue , quam neceſſitas fugiendæ mortis ex ingreſſu imminentis, quam neceſſitatem fere infirmitas. Et tamen iura citata volunt vt huiuſmodi iuſtum impedimentum perſonale attendatur, & non attendatur . Valet enim ad hoc vt Cardinalis infirmus non ſit omninò priuatus voce , ſed poſſit ſi velit intrare Conclaue, & ex conſequenti eligere . Sed non valet ad hoc , vt qui ſunt in Conclaui non poſſint ſine ipſo eligere libere , & valide ; & citata iura nihil conſiderando , qui ſint , qui ingrediuntur Conclaue , & in eo ſunt , & quanti ſint abſolutè omnes exiſtentes extra Conclaue à voce actiua excludunt , & iuſti perſonalis impedimenti ad hoc ſolum rationem habent ; quod vbi non impediti , ſi ſemel non ingrediantur , vel exeant Conclaue ſunt pro ea vacantia omnino priuati voce actiua, qui impediti iuſte , quia vel abſentes ſunt, vel infirmi poſſunt voce gaudere , ſi tamen intrent Conclaue . Igitur manifeſtum , quod iuſtum impedimentum perſonale non dat cauſam iuſtam differendi ingreſſum Conclauis , & electionem Pontificis, ſed quod non impediti habent ius ingrediendi , & eligendi tanti quanti ſunt , nulla habita ratione eorum, qui particulari, & priuato impedimento detenti extra Conclaue manent . Quod & manifeſtum eſt ex Conſtitut. *Pij* IV. §. *Declaramus* ,

20. Hinc prædicta extenduntur, vt vera ſint etiam ſi priuatum periculum grauis damni vitæ, vel honoris immineat maiori parti, & ferè omnibus, vt ſi ferè omnes Cardinales eſſent infirmi , vel ex priuata cauſa illis imminerет aliud periculum mortis . Hoc enim ex prædictis continetur. Nam Conſtitutiones relatæ non reſpiciunt quanti ſint , vel non ſint priuatè impediti , vel non impediti, ſed neceſſitatem celeris electionis Pontificis attendunt, & ius eligendi tribuunt iis ſolis, qui ſint intrà Conclaue . Et præcipuè ponderanda ſunt verba Clem. *Ne Romani* , & conſiderandum , quod ſolum vbi omnes Cardinales exierint, præcipit eos compelli, & non attendit, ſi qui remanſerũt ſint maior, vel minor, vel minima pars, vel vnus ſolus, ſed ſolũ ſi nullus remãſit præcipit Cardinales eſſe ad reditum compellendos . Et ſic ſi vel vnus remanſit , vel ſi vel vnus rediit non datur locus decreto Clem. vt conſiderauit Card. Alban. *q.* 28. Vnde eſt, quod qui remanſerunt, vel remanſit, aut redierunt, vel rediit, poſſunt, vel poteſt *Papam* eligere, vt DD. citati docuerunt .

21. Dicitur nihilominus tertio . Quod vbi immineat periculum cõmunis , & publici damni Eccleſiæ, & præcipuè contrà libertatem electionis , quod vitari non poſſit niſi ex mutatione loci , aut temporis electionis Collegium Cardinalium poteſt mutare locum, aut tempus, & minor pars Cardinalium tenetur ſtare maiori parti, nec poteſt licitè , aut validè, vel intrare Conclaue, vel in eo manere, vel ad illud redire. Quia bono communi in primis eſt conſulendum, & in hoc iura Iudicem, & executorem ſtatuerunt Sacrum Collegium , & ita quod in eo maior pars vincat , & illi minor pars ſtare debeat .

22. Colligitur ex hoc , quod vbi intereſſe priuatum redundet in publicum , & ex excluſione alicuius , vel aliquorum Cardinalium poſſit aliquod ſchiſma imminere vel graue malum Eccleſiæ tunc intrat caſus Conſtitutioni Greg. X. & aliorum *Pontificum* , & Sacrum Collegium poteſt , ſi ſibi benè viſum fuerit mutare locum , aut differre ingreſſum Conclauis, aut aliud ad malum vitandum opportunum decernere . Sic cum Franciſcus Soderinus dictus Cardinalis Volaterranus per Hadrianum Sextum fuiſſet carceratus in Arce S. Angeli, nihilominus eo Pontifice mortuo per Collegium Cardinalium fuit à carcere liberatus , & fuit ad electionem admiſſus ; Cum tamen defuncto ſanctæ memoriæ Paulo Quinto Collegium auditis Cardinalibus Iuſtiniano , Millino , S. Suſannæ , & Caponio deputatis noluit , quod Cardinalis Kleſſelius detentus in Germania in quodam monaſterio de ordine eiuſdem *Pontificis* inſtante Cæſare liberaretur, vt Comitiis celebrandis pro electione Romani Pontificis poſſet interuenire .

23. Huius vero differentiæ rationem aſſignat Coccineus *pag.* 119. ex actis illius Conclauis, in quo electus fuit Clemens VII. quia ob auctoritatem maximam fauentium Cardinali Volaterano imminebat maximi damni periculum Eccleſiæ , ſi non fuiſſet ille liberatus. Gliſcebat , inquit, iam in immenſam diſcordia, cum primores *Patrum* admittente , & Iulio (ſci licet Mediceo, qui in ea Sede vacante electus fuit *Pontifex* Clemens Septimus) etiam vt in mitiorem partem decerneretur , aſſentiente , ſalutari decreto ſtatuerunt , vt libertas daretur Volaterrano, hac tamen lege , vt arcem non exiret publiciſque etiam Cardinalium conuentionibus abſtineret , ne aliquis motus ipſius interuentu excitaretur , donec ſtatuta dies ingrediendi Conclaue adueniſſet , & tunc liberum ei eſſet illud ingredi , & ſuffragium ferre. Reliquam vero ipſius cauſæ cognitionem futuri Pontificis arbitrio ſeruandam cenſuerunt . Sedata igitur tam graui contentione , quæ Senatum octo diebus ſuſpenſum , anxiumque habuerat X. Kal. Octobris Adriano parentari cæptum eſt .

24. Vbi ergo aliquod grauis damni periculum immineat, & grauis, neceſſitas præſentanea occurrat, tunc Sacrum Collegium ex vi DD. Cõſtit. Põtificia etiã gaudet iuriſdictione vt quãtũ opus eſt ea quæ ad Eccleſiæ pacem , & bonũ, & quietam, & legitimam , & pacificam electionem ſunt neceſſaria diſponat. Vnde benè poteſt ſi id neceſſitas poſtulet , & mutare electionis locum iuxta ſancita etiam in *cap. In nomine Domini* §. *Quod ſi prauorum* , & differre tempus ingrediendi Conclaue, & eligendi ſicuti factum fuit in præfata vacantia poſt mortem Adriani , in qua per octo dies ab eius morte tractatum eſt negotium liberationis Cardinalis Volaterrani , poſt quos nouendiales exequiæ defuncti Pontificis haberi cæptæ ſunt. Sed quid dicendum ſi euidens eſſet , & manifeſtum locum , aut tempus eſſe non tutum , & imminere periculum graue electoribus, & electioni, & tamen maior pars Collegii nollet

locum

Cardinales non poſſunt ſaltem licite compromittere electionem in alium, quam in Cardinalem, vel Cardinales intra Conclaue clauſum exiſtentem, vel exiſtentes, vt ex Conſtit. Gregor. XV. §. *matura*, & §. *quod ſi electio*, & *in Cæremoniali* §. *ſecundus modus*. An tamen de ſubſtantia ſit vt compromiſſarius non ſit niſi Cardinalis dicetur infra

16. Sequitur etiam ex dictis, quod Cardinales, vel negligentes intrare poſſunt compelli, vt intrent, vel cum nondum vllus intrauit, vel cum omnes exierunt nam ex vi Conſtitutionis Gregor. X. & auctoritatis, quam dedit executoribus ſuæ Conſtitutionis, poſſunt ab exequutoribus compelli Card. ad hoc vt exequantur ſibi commiſſa in d. Conſtitutione. Et hoc idem habetur ex Conſtitut. *Pij* IV. Inter alia verò in eis Conſtit. ſancita, hoc eſt, quod Cardinales poſt decem dies à morte Papæ ingrediantur Cõclaue pro electione ſucceſſoris, & in Clemen. ne Romani de elect. pariter ſtatuitur, vt ab exequutoribus Conſtitutionis Gregor. X. Cardinales ſi omnes exierint compellãtur reintrare ſed et electo Pontifice poſſunt compelli ex eiſdem Conſtitutionibus, vt exeant Azor. *p.* 2. *l.* 4. *c.* 2. *q.* 12. Sed hoc negatur; nam ſi electus ſit præſens illius erit, & exire, & compellere alios ad exeundum, & præterea authoritas executorũ Conſtit. Gregor. X. *Pij* IV. & Greg. XV. non ſe extendit niſi ad tempus ſedis vacantis.

17. Verum grauis difficultas hic inſurgit. Quid enim dicendum ſi vel tranſactis decem diebus, vel omnibus Cardinalibus à Conclaui ſemel egreſſis, aliqui Cardinalium, vel ingrediantur, vel remanſerint in Conclaui, ſed alij, & forſan in maiori parte id facere recuſent, & allegent juſtum impedimentum vt *v. g.* periculũ impreſſionis, & violentiæ, quod immineat electoribus, & electioni niſi, vel mutetur locus electionis, vel diferratur electio? Gloſſ. in Clemen. ne Romani, duas queſtiones hic agnoſcit, quas non deciſas putat, & iudicat indigere determinatione Pontificia. An ſcilicet in ſimili caſu, qui ſunt in Conclaui poſſint alijs non attentis eligere. Secunda quis ſit Iudex, qui in caſu occurrenti poſſit hanc concertationem dirimere. Sed alij dicunt, quod durante metu qui ſunt in Conclaui non habent ius eligendi Alban. *q.* 27. Azor. *p.* 2. *l.* 4. *c.* 2. *q.* 12. Lauor. *tract.* 3. *c.* 5. *n.* 25.

18. Sed vtramque quæſtionem eſſe deciſam in Conſtitutionibus Pontificum ſatis eſt manifeſtum. Et ex earum determinatione ſuperiora explicanda ſunt, & limitanda. Dicitur igitur primo, quod in his, & ſimilibus caſibus, in quibus agitur de differendo ingreſſu in Conclaue aut de retardanda electione, aut de mutando loco electionis, vel quando eſt indeterminatus à lege, vel quando ex neceſſitate aliqua eſt mutandus, vel de alijs ſimilibus difficultatibus, quæ poſſunt contingere circa locum, & tempus electionis Papæ. iudex proprius, & legitimus eſt Sacrum Collegium Cardinalium & pro ſua parte etiam reliqui executores Conſtitutionum Pontificum. Probatur hoc primo in terminis Conſtitut. Gregor. X. *d. cap. Vbi periculum* §. *hoc ſacro* ibi. *Iidem quoque Cardinales accelerandæ prouiſioni ſic vacent attentius, quod ſe nequaquam de alio negotio intromittant, niſi forſan neceſſitas adeo vrgens incideret, quod eos oporteret de terra ipſius Eccleſiæ defendenda vel eius parte aliqua prouidere, vel niſi aliquod tam grande, & tam euidens periculum immineret, quod omnibus, & ſingulis Cardinalibus præſentibus concorditer videretur illi celeriter occurrendum*. Ex his enim habetur, quod ob neceſſitatem grauis periculi vitandi, ideoque ex quauis iuſta cauſa, & neceſſitate commune Eccleſiæ bonum reſpiciente Collegium Cardinalium poteſt electionem differre. Deinde id apertius habetur ex Conſtitut. in eligendis Pij IV. §. *Sedis autem* ibi. *Si vero vltra prædicta aliquod grande periculum immineret, cui omnibus, & ſingulis Cardinalibus preſẽtibus iuxta ordinationem, Gregor. X. aut ſaltem duabus illorum tertijs partibus per ſecreta ſuffragia videretur celeriter occurrendum: tunc Collegium iuxta maioris partis ſententiam ſimiliter per ſecreta ſuffragia de remedio opportuno, ac prouide de neceſſaria impenſa prouidere poſſit, & debeat, &* §. *Quia vero parum eſſet iura condere, niſi forent, qui executioni ea demandarent, ſtatuimus, & ordinamus, vt Prælati Rectores, Officiales Vrbis, ac Principum Oratores, Illuſtres viri, quos omnes à Collegio pro cuſtodia Conclauis eligi continget (eligere autem Collegium debebit eos, qui ad id magis idonei videbuntur) præmiſſa omnia plenè, & inuiolabiliter, ac ſine fraude, & dolo aliquo obſeruari faciant, de quo corporale iuramentum coram ipſo Collegio ante ingreſſum Conclauis, & quoties opus fuerit præſtare teneantur; quæ quidem niſi fecerint, vel ſi in eis dolum, & fraudem commiſerint, prædictas pœnas, & cæteras in d. Conſtitutione Gregorij X. contentas incurrant* Colligitur enim ex iſtis, quod ſummus executor Conſtitutionis Pij IV. ideoque, & Conſtitut. Greg. X. & aliorum Pontificum, quas Pius IV. confirmauit eſt Collegium Cardinalium, & quod illud eſt Iudex ſupremus, ad quem ſpectat decernere ea omnia, quæ ad electionem Papæ validè, & ritè habendam ſpectant, & ſunt neceſſaria. In caſu igitur occurrente, vbi ſit dubium an conueniat differre ingreſſum Conclauis poſt decem dies, vel exire è Conclaui, vel ad illud redire, ſpectat ad Collegium decernere, quid agendum, & licet in collegio debeant eſſe ſimul congregari, vel omnes, vel duæ partes Cardinalium, tamen ad deliberandum ſufficit conſenſus maioris partis Collegij, vt ex dicto §. *ſedis autem* conſtat.

19. Verum dicitur ſecundo, quod nullum priuatum, & perſonale intereſſe Cardinalium etiam plurium (quale impedimentum eſt, vel infirmitas, vel inimicitia priuata, vel quodcunque aliud priuatum periculum mortis, honoris, famæ, damni, vel in corpore, vel in ſubſtantijs) fert iuſtum impedimentum, & cauſam iuſtam differendi ingreſſum Conclauis, ſeu electionem Papæ, & ex conſequenti nec Collegium Cardinalium poteſt ex huiuſmodi cauſis decernere, vt qui volunt ingredi, vel manere, vel redire ad Conclaue id facere libere non poſſint, & ſi id faciant non poſſint licitè, & validè bis in die iuxta Conſtitut. Gregor. XV. §. *ſimiliter* procedere ad electionem, & eligere Pontificem. Et ſi eligant alij non poſſunt dicere de contemptu. Hoc

mani-

manifeſtum eſt ex Conſtitut. Greg. X. §. *hoc ſacro verſ. ſunt*; & ex Clem. *Ne Romani* §. *Porrò* & ex Conſtit. Pij IV. §. *lapſis*, *&* §. *ſi quis verò*; conſiderandum eſt enim nullum eſſe tam iuſtum impedimentum perſonale non ingrediendi Conclaue, quam neceſſitas fugiendæ mortis ex ingreſſu imminentis, quam neceſſitatem fert infirmitas. Et tamen iura citata volunt vt huiuſmodi iuſtum impedimentum perſonale attendatur, & non attendatur. Valet enim ad hoc vt Cardinalis infirmus non ſit omninò priuatus voce, ſed poſſit ſi velit intrare Conclaue, & ex conſequenti eligere. Sed non valet ad hoc, vt qui ſunt in Conclaui non poſſint ſine ipſo eligere libere, & valide, & citata iura nihil conſiderando, qui ſint, qui ingrediuntur Conclaue, & in eo ſunt, & quanti ſint abſolutè omnes exiſtentes extra Conclaue à voce actiua excludunt, & iuſti perſonalis impedimenti ad hoc ſolum rationem habent; quod vbi non impediti; ſi ſemel non ingrediantur, vel exeant Conclaue ſunt pro ea vacantia omnino priuati voce actiua, qui impediti iuſte, quia vel abſentes ſunt, vel infirmi poſſunt voce gaudere, ſi tamen intrent Conclaue. Igitur manifeſtum, quod iuſtum impedimentum perſonale non dat cauſam iuſtam differendi ingreſſum Conclauis, & electionem Pontificis; ſed quod non impediti habent ius ingrediendi, & eligendi tanti quanti ſint, nulla habita ratione eorum, qui particulari, & priuato impedimento detenti extra Conclaue manent. Quod & manifeſtum eſt ex Conſtitut. *Pij IV.* §. *Declaramus*.

20. Hinc prædicta extenduntur, vt vera ſint etiam ſi priuatum periculum grauis damni vitæ, vel honoris immineat maiori parti, & ferè omnibus, vt ſi ferè omnes Cardinales eſſent infirmi, vel ex priuata cauſa illis immineret aliud periculum mortis. Hoc enim ex prædictis conuincitur. Nam Conſtitutiones relatæ non reſpiciunt quanti ſint, vel non ſint priuatè impediti, vel non impediti, ſed neceſſitatem celeris electionis Pontificis attendunt, & ius eligendi tribuunt ijs ſolis, qui ſint intrà Conclaue. Et præcipuè ponderanda ſunt verba Clem. *Ne Romani*, & conſiderandum, quod ſolum vbi omnes Cardinales exierint, præcipit eos compelli, & non attendit, ſi qui remanſerũt ſint maior, vel minor, vel minima pars, vel vnus ſolus, ſed ſolũ ſi nullus remãſit præcipit Cardinales eſſe ad reditum compellendos. Et ſic ſi vel vnus remanſit, vel ſi vel vnus redijt non datur locus decreto Clem. vt conſiderauit Card. Alban. *q.* 28. Vnde eſt, quod qui remanſerunt, vel remanſit, aut redierunt, vel redijt, poſſunt, vel poteſt *P*apam eligere, vt DD. citati docuerunt.

21. Dicitur nihilominus tertio. Quod vbi immineat periculum cõmunis, & publici damni Eccleſiæ, & præcipuè contrà libertatem electionis, quod vitari non poſſit niſi ex mutatione loci, aut temporis electionis Collegium Cardinalium poteſt mutare locum, aut tempus, & minor pars Cardinalium tenetur ſtare maiori parti, nec poteſt licitè, aut validè, vel intrare Conclaue, vel in eo manere, vel ad illud redire. Quia bono communi in primis eſt conſulendum, & in hoc iura Iudicem, & executorem ſtatuerunt Sacrum Collegium, & ita quod in eo maior pars vincat, & illi minor pars ſtare debeat.

22. Colligitur ex hoc, quod vbi intereſſe priuatum redundet in publicum, & ex excluſione alicuius, vel aliquorum Cardinalium poſſit aliquod ſchiſma imminere vel graue malum Eccleſiæ tunc intrat caſus Conſtitutioni Greg. X. & aliorum *P*ontificum, & Sacrum Collegium poteſt, ſi ſibi benè viſum fuerit mutare locum, aut differre ingreſſum Conclauis, aut aliud ad malum vitandum opportunum decernere. Sic cum Franciſcus Soderinus dictus Cardinalis Volaterranus per Hadrianum Sextum fuiſſet carceratus in Arce S. Angeli, nihilominus eo Pontifice mortuo per Collegium Cardinalium fuit à carcere liberatus, & fuit ad electionem admiſſus, Cum tamen defuncto ſanctæ memoriæ Paulo Quinto Collegium auditis Cardinalibus Iuſtiniano, Millino, S. Suſannæ, & Capponio deputatis noluit, quod Cardinalis Kleſſelius detentus in Germania in quodam monaſterio de ordine eiuſdem *P*ontificis inſtante Cæſare liberaretur, vt Comitijs celebrandis pro electione Romani *P*ontificis poſſet interuenire.

23. Huius vero differentiæ rationem aſſignat Coccineus *pag.* 119. ex actis illius Conclauis, in quo electus fuit Clemens VII. quia ob auctoritatem maximam fauentium Cardinali Volaterrano imminebat maximi damni periculum Eccleſiæ, ſi non fuiſſet ille liberatus. Gliſcebat, inquit, iam in immenſam diſcordia, cum primores *P*atrum admittente, & Iulio (ſci licet Mediceo, qui in ea Sede vacante electus fuit *P*ontifex Clemens Septimus) etiam vt in mitiorem partem decerneretur, aſſentiente, ſalutari decreto ſtatuerunt, vt libertas daretur Volaterrano, hac tamen lege, vt arcem non exiret publiciſque etiam Cardinalium conuentionibus abſtineret, ne aliquis motus ipſius interuentu excitaretur, donec ſtatuta dies ingrediendi Conclaue adueniſſet, & tunc liberum ei eſſet illud ingredi, & ſuffragium ferre. Reliquam vero ipſius cauſæ cognitionem futuri Pontificis arbitrio ſeruandam cenſuerunt. Sedata igitur tam graui contentione, quæ Senatum octo diebus ſuſpenſum, anxiumque habuerat X. Kal. Octobris Adriano parentari cæptum eſt.

24. Vbi ergo aliquod grauis damni periculum immineat, & grauis, neceſſitas præſentanea occurrat, tunc Sacrum Collegium ex vi DD. Cõſtit. Põtificia etiã gaudet iuriſdictione vt quãtũ opus eſt ea quæ ad Eccleſiæ pacem, & bonũ, & quietam, & legitimam, & pacificam electionem ſunt neceſſaria diſponat. Vnde benè poteſt ſi id neceſſitas poſtulet, & mutare electionis locum iuxta ſancita etiam in *cap. In nomine Domini* §. *Quod ſi prauorum*, & differre tempus ingrediendi Conclaue, & eligendi ſicuti factum fuit in præfata vacantia poſt mortem Adriani, in qua per octo dies ab eius morte tractatum eſt negotium liberationis Cardinalis Volaterrani, poſt quos nouendiales exequiæ defuncti Pontificis haberi cæptæ ſunt. Sed quid dicendum ſi euidens eſſet, & manifeſtum locum, aut tempus eſſe non tutum, & imminere periculum graue electoribus, & electioni, & tamen maior pars Collegij nollet

locum

Digitized by Google

Cardinales non poſſunt ſaltem licite compromittere electionem in alium, quam in Cardinalem, vel Cardinales intra Conclaue clauſum exiſtentem, vel exiſtentes, vt ex Conſtit. Gregor. XV. §. *matura*, *&* §. *quod ſi electio*, *&* *in Cæremoniali* §. *ſecundus modus*. An tamen de ſubſtantia ſit vt compromiſſarius non ſit niſi Cardinalis dicetur infra

16. Sequitur etiam ex dictis, quod Cardinales, vel negligentes intrare poſſunt compelli, vt intrent, vel cum nondum vllus intrauit, vel cum omnes exierunt nam ex vi Conſtitutionis Gregor. X. & auctoritatis, quam dedit executoribus ſuæ Conſtitutionis, poſſunt ab exequutoribus compelli Card. ad hoc vt exequantur ſibi commiſſa in d. Conſtitutione. Et hoc idem habetur ex Conſtitut. *Pij* IV. Inter alia verò in eis Conſtit. ſancita, hoc eſt, quod Cardinales poſt decem dies à morte Papæ ingrediantur Cõclaue pro electione ſucceſſoris., & in Clemen. ne Romani de elect. pariter ſtatuitur, vt ab exequutoribus Conſtitutionis Gregor. X. Cardinales ſi omnes exierint compellãtur reintrare ſed et electo Pontifice poſſunt compelli ex eiſdem Conſtitutionibus, vt exeant Azor. *p.* 2. *l.* 4. *c.* 2. *q.* 12. Sed hoc negatur; nam ſi electus ſit præſens illius erit, & exire, & compellere alios ad exeundum, & prætereà authoritas executorũ Conſtit. Gregor. X. *Pij* IV. & Greg. XV. non ſe extendit niſi ad tempus ſedis vacantis.

17. Verum grauis difficultas hic inſurgit. Quid enim dicendum ſi vel tranſactis decem diebus, vel omnibus Cardinalibus à Conclaui ſemel egreſſis, aliqui Cardinalium, vel ingrediantur, vel remanſerint in Conclaui, ſed alij, & forſan in maiori parte id facere recuſent, & allegent iuſtum impedimentum vt *v. g.* periculũ impreſſionis, & violentiæ, quod immineat electoribus, & electioni niſi, vel mutetur locus electionis, vel differatur electio? Gloſſ. in Clemen. ne Romani, duas queſtiones hic agnoſcit, quas non deciſas putat, & iudicat indigere determinatione Pontificia. An ſcilicet in ſimili caſu, qui ſunt in Conclaui poſſint alijs non attentis eligere. Secunda quis ſit Iudex, qui in caſu occurrenti poſſit hanc concertationem dirimere. Sed alij dicunt, quod durante metu qui ſunt in Conclaui non habent ius eligendi Alban. *q.* 27. Azor. *p.* 2. *l.* 4. *c.* 2. *q.* 12. Lauor. *tract.* 3. *c.* 5. *n.* 25.

18. Sed vtramque quæſtionem eſſe deciſam in Conſtitutionibus Pontificum ſatis eſt manifeſtum. Et ex earum determinatione ſuperiora explicanda ſunt, & limitanda. Dicitur igitur primo, quod in his, & ſimilibus caſibus, in quibus agitur de differendo ingreſſu in Conclaue aut de retardanda electione, aut de mutando loco electionis, vel quando eſt indeterminatus à lege, vel quando ex neceſſitate aliqua eſt mutandus, vel de alijs ſimilibus difficultatibus, quæ poſſunt contingere circa locum, & tempus electionis Papæ. iudex proprius, & legitimus eſt Sacrum Collegium Cardinalium & pro ſua parte etiam reliqui executores Conſtitutionum Pontificum. Probatur hoc primo in terminis Conſtitut. Gregor. X. *d. cap. Vbi periculum* §. *hoc ſacro* ibi. *Iidem quoque Cardinales accelerandæ prouiſioni ſic vacent attentius; quod ſe nequaquam de alio negotio intromittant, niſi forſan neceſſitas adeo vrgens incideret, quod eos oporteret de terra ipſius Eccleſiæ defendenda vel eius parte aliqua prouidere, vel niſi aliquod tam grande, &. tam euidens periculum immineret, quod omnibus, & ſingulis Cardinalibus præſentibus concorditer videretur illi celeriter occurrendum.* Ex his enim habetur, quod ob neceſſitatem grauis periculi vitandi, ideoque ex quauis iuſta cauſa, & neceſſitate commune Eccleſiæ bonum reſpiciente Collegium Cardinalium poteſt electionem differre. Deinde id apertius habetur ex Conſtitut, in eligendis Pij IV. §. *Sedis autem* ibi. *Si vero vltra prædicta aliquod grande periculum immineret, cui omnibus, & ſingulis Cardinalibus preſẽtibus iuxta ordinationem, Gregor. X. aut ſaltem duabus illorum tertijs partibus per ſecreta ſuffragia videretur celeriter occurrendum: tunc Collegium iuxta maioris partis ſententiam ſimiliter per ſecreta ſuffragia de remedio opportuno, ac proinde de neceſſaria impenſa prouidere poſſit, & debeat, &* §. *Quia vero parum eſſet iura condere, niſi forent, qui executioni ea demandarent, ſtatuimus, & ordinamus, vt Prælati Rectores, Officiales Vrbis, ac Principum Oratores, & Illuſtres viri, quos omnes à Collegio pro cuſtodia Conclauis eligi continget (eligere autem Collegium debebit eos, qui ad id magis idonei videbuntur) præmiſſa omnia plenè, & inuiolabiliter, ac ſine fraude, & dolo aliquo obſeruari faciant, de quo corporale iuramentum coram ipſo Collegio ante ingreſſum Conclauis, & quoties opus fuerit præſtare teneantur; quæ quidem niſi fecerint, vel ſi in eis dolum, & fraudem commiſerint, prædictas pęnas, & cæteras in d. Conſtitutione Gregorij X. contentas incurrant* Colligitur enim ex iſtis, quod ſummus executor Conſtitutionis Pij IV. ideoque., & Conſtitut. Greg. X. & aliorum Pontificum, quas Pius IV. confirmauit eſt Collegium Cardinalium, & quod illud eſt Iudex ſupremus, ad quem ſpectat decernere ea omnia, quæ ad electionem Papæ validè, & ritè habendam ſpectant, & ſunt neceſſaria In caſu igitur occurrente, vbi ſit dubium an conueniat differre ingreſſum Conclauis poſt decem dies, vel exire è Conclaui, vel ad illud redire ſpectat ad Collegium decernere, quid agendum, & licet in collegio debeant eſſe ſimul congregati, vel omnes, vel duæ partes Cardinalium, tamen ad deliberandum ſufficit conſenſus maioris partis Collegij, vt ex dicto §. *ſedis autem*, *conſtat*.

19. Verum dicitur ſecundo, quod nullum priuatum, & perſonale intereſſe Cardinalium etiam plurium (quale impedimentum eſt, vel infirmitas, vel inimicitia priuata, vel quodcunque aliud priuatum periculum mortis, honoris, famæ, damni, vel in corpore, vel in ſubſtantijs) fert iuſtum impedimentum, & cauſam iuſtam differendi ingreſſum Conclauis, ſeu electionem, Papæ, & ex conſequenti nec Collegium Cardinalium poteſt ex huiuſmodi cauſis decernere, vt qui volunt ingredi, vel manere, vel redire ad Conclaue id facere libere non poſſint, & ſi id faciant non poſſint licitè, & validè bis in die iuxta Conſtitut. Gregor. XV. §. *ſimiliter* procedere ad electionem, & eligere Pontificem. Et ſi eligant alij non poſſunt dicere de contemptu. Hoc mani-

manifeſtum eſt ex Conſtitut. Greg. X. §. *hoc ſacro verſ. ſiue*, & ex Clem. *Ne Romani* §. *Porrò* & ex Conſtit. *Pij IV.* §. *lapſis*, & *v. ſi quis verò* conſiderandum eſt enim nullum eſſe tam iuſtum impedimentum perſonale non ingrediendi Conclaue, quam neceſſitas fugiendæ mortis ex ingreſſu imminentis, quam neceſſitatem fert infirmitas. Et tamen iura citata volunt vt huiuſmodi iuſtum impedimentum perſonale attendatur, & non attendatur. Valet enim ad hoc vt Cardinalis infirmus non ſit omninò priuatus voce, ſed poſſit ſi velit intrare Conclaue, & ex conſequenti eligere. Sed non valet ad hoc, vt qui ſunt in Conclaui non poſſint ſine ipſo eligere libere, & valide; & citata iura nihil conſiderando, qui ſint, qui ingrediuntur Conclaue, & in eo ſunt, & quanti ſint abſolutè omnes exiſtentes extra Conclaue à voce actiua excludunt, & iuſti perſonalis impedimenti ad hoc ſolum rationem habent; quod vbi non impediti, ſi ſemel non ingrediantur, vel exeant Conclaue ſunt pro ea vacantia omnino priuati voce actiua, qui impediti iuſte, quia vel abſentes ſunt, vel infirmi poſſunt voce gaudere, ſi tamen intrent Conclaue. Igitur manifeſtum, quod iuſtum impedimentum perſonale non dat cauſam iuſtam differendi ingreſſum Conclauis, & electionem Pontificis, ſed quod non impediti habent ius ingrediendi, & eligendi tanti quanti ſunt, nulla habita ratione eorum, qui particulari, & priuato impedimento detenti extra Conclaue manent. Quod & manifeſtum eſt ex Conſtitut. *Pij IV.* §. *Declaramus*.

20. Hinc prædicta extenduntur, vt vera ſint etiam ſi priuatum periculum grauis damni vitæ, vel honoris immineat maiori parti, & ferè omnibus, vt ſi ferè omnes Cardinales eſſent infirmi, vel ex priuata cauſa illis immineret aliud periculum mortis. Hoc enim ex prædictis conuincitur. Nam Conſtitutiones relatæ non reſpiciunt quanti ſint, vel non ſint priuatè impediti, vel non impediti, ſed neceſſitatem celeris electionis Pontificis attendunt, & ius eligendi tribuunt ijs ſolis, qui ſunt intrà Conclaue. Et præcipuè ponderanda ſunt verba Clem. *Ne Romani*, & conſiderandum, quod ſolum vbi omnes Cardinales exierint, præcipit eos compelli, & non attendit, ſi qui remanſerũt ſint maior, vel minor, vel minima pars, vel vnus ſolus, ſed ſolũ ſi nullus remãſit præcipit Cardinales eſſe ad reditum compellendos. Et ſic ſi vel vnus remanſit, vel ſi vel vnus redijt non datur locus decreto Clem. vt conſiderauit Card. Alban. *q.* 28. Vnde eſt, quod qui remanſerunt, vel remanſit, aut redierunt, vel redijt, poſſunt, vel poteſt Papam eligere, vt DD. citati docuerunt.

21. Dicitur nihilominus tertio. Quod vbi immineat periculum cõmunis, & publici damni Eccleſiæ, & præcipuè contrà libertatem electionis, quod vitari non poſſit niſi ex mutatione loci, aut temporis electionis Collegium Cardinalium poteſt mutare locum, aut tempus, & minor pars Cardinalium tenetur ſtare maiori parti, nec poteſt licitè, aut validè, vel intrare Conclaue, vel in eo manere, vel ad illud redire. Quia bono communi in primis eſt conſulendum, & in hoc iura Iudicem, & executorem ſtatuerunt Sacrum Collegium, & ita quod in eo maior pars vincat, & illi minor pars ſtare debeat.

22. Colligitur ex hoc, quod vbi intereſſe priuatum redundet in publicum, & ex excluſione alicuius, vel aliquorum Cardinalium poſſit aliquod ſchiſma imminere vel graue malum Eccleſiæ tunc intrat caſus Conſtitutioni Greg. X. & aliorum *Pontificum*, & Sacrum Collegium poteſt, ſi ſibi benè viſum fuerit mutare locum, aut differre ingreſſum Conclauis, aut aliud ad malum vitandum opportunum decernere. Sic cum Franciſcus Soderinus dictus Cardinalis Volaterranus per Hadrianum Sextum fuiſſet carceratus in Arce S. Angeli, nihilominus eo Pontifice mortuo per Collegium Cardinalium fuit à carcere liberatus, & fuit ad electionem admiſſus; Cum tamen defuncto ſanctæ memoriæ Paulo Quinto Collegium auditis Cardinalibus Iuſtiniano, Millino, S. Suſannæ, & Capponio deputatis noluit, quod Cardinalis Kleſſelius detentus in Germania in quodam monaſterio de ordine eiuſdem *Pontificis* inſtante Cæſare liberaretur, vt Comitijs celebrandis pro electione Romani Pontificis poſſet interuenire.

23. Huius vero differentiæ rationem aſſignat Coccineus *pag.* 119. ex actis illius Conclauis, in quo electus fuit Clemens VII. quia ob auctoritatem maximam fauentium Cardinali Volaterano imminebat maximi damni periculum Eccleſiæ, ſi non fuiſſet ille liberatus. Gliſcebat, inquit, iam in immenſam diſcordia, cum primores *Patrum* admittente, & Iulio (ſci iicet Mediceo, qui in ea Sede vacante electus fuit *Pontifex* Clemens Septimus) etiam vt in miniorem partem decerneretur, aſſentiente, ſalutari decreto ſtatuerunt, vt libertas daretur Volaterrano, hac tamen lege, vt arcem non exiret publiciſque etiam Cardinalium conuentionibus abſtineret, ne aliquis motus ipſius interuentu excitaretur, donec ſtatuta dies ingrediendi Conclaue adueniſſet, & tunc liberum ei eſſet illud ingredi, & ſuffragium ferre. Reliquam vero ipſius cauſæ cognitionem futuri Pontificis arbitrio ſeruandam cenſuerunt. Sedata igitur tam graui contentione, quæ Senatum octo diebus ſuſpenſum, anxiumque habuerat X. Kal. Octobris Adriano parentari cæptum eſt.

24. Vbi ergo aliquod grauis damni periculum immineat, & grauis, neceſſitas præſentanea occurrat, tunc Sacrum Collegium ex vi DD. Cõſtit. Põtificia etiã gaudet iuriſdictione vt quãtũ opus eſt ea quæ ad Eccleſiæ pacem, & bonũ, & quietam, & legitimam, & pacificam electionem ſunt neceſſaria diſponat. Vnde benè poteſt ſi id neceſſitas poſtulet, & mutare electionis locum iuxta ſancita etiam in *cap. In nomine Domini* §. *Quod ſi prauorum*, & differre tempus ingrediendi Conclaue, & eligendi ſicuti factum fuit in præfata vacancia poſt mortem Adriani, in qua per octo dies ab eius morte tractatum eſt negotium liberationis Cardinalis Volaterrani, poſt quos nouendiales exequiæ defuncti Pontificis haberi cæptæ ſunt. Sed quid dicendum ſi euidens eſſet, & manifeſtum locum, aut tempus eſſe non tutum, & imminere periculum graue electoribus, & electioni, & tamen maior pars Collegij nollet

locum

locum mutare, vel tempus? Reſpondetur hoc de ſacro Collegio Cardinalium prudẽtia & charitate publici boni præſtantium non eſſe timendum. Et nihilominus conceſſo caſu per impoſſibile, dicendum videtur non eſſe eandem rationem electionum inferiorum Prælatorum, & Summi Pontificis. In electionibus enim inferiorum Prælatorum minor pars non poteſt cogi à maiori ad eligendum in loco non tuto, quia nec tãtum intereſt ſi diutius maneat Eccleſia viduata, & datur Superior, qui conſuli poteſt quã primum, vt ab eo reſoluatur quid agendum. Sed viduitas Eccleſiæ Romanæ ſummæ intereſt, ne longa ſit, nec datur Superior, qui vltimatè, & commodè decernere poſſit vbi electio haberi debeat. Nam Concilium Generale non poteſt niſi ad valdè longum tempus celebrari, & recurſus ad illud eſſet forſan remedium peius morbo ob lõgam dilationem electionis. Ideò in hac parte ſupremum iudicium eſt apud Collegium Cardinalium, & eius determinationi ſine appellatione eſt ſtandum; & tunc pars, quæ iuxta determinationẽ Collegij eliget, ſi liberè eliget valida erit electio. Si autem forſan contingat electionem cogi, electio erit nulla, quia coacta, & ſeruanda erunt, quæ ſtatuit Concil. Conſtant. prout infrà explicatur. Alias verò bene contingere poteſt, vt Eccleſiæ Dei magis conueniat, vt electores ſe exponant periculo, quam quod electio differatur, & ideo determinationi S. Collegij eſt ſtandum.

25. Altera etiam difficultas ſeſe offert. In caſu enim, quod omnes Cardinales exeant, quid agendum, ſi Sacro Collegio non congregato, eoque nihil decernente aliqui citius alijs, vel ſponte, vel coacti ingrediuntur Conclaue? Iſti enim ſtatim ac ingreſſi fuerit poſſunt ne eligere Papam? Gloſ *in d. Clem. ne Romani v. compellant,* cenſet quod ſi qui non intrant, non habent iuſtam cauſam, illi qui ingreſſi ſunt, poſſunt ſtatim e gere. Coccinus vero *pag. 278. à tergo ſu Gloſſem. manuſcript.* inquit, quod tutius videtur dicere hoc eſſe arbitrarium propter verbum, cito, poſitum in textu, quod licet referatur ad Dominum temporalẽ, tñ idem eſt, quoad Cardinales. Nam ex quo Conſtit. eos arctat ad reditum de-Let inte ligi, dum primum commodè poterunt, argumento *l. Nepos proculo ff. de verb. ſignif. l. Lex conditio ff. de condit. & demonſtr.* Vitalin. *in d §. Porrò n. 15. & ſeqq.*

27. Sed diſtinguendum eſt cum Gloſſ. Illi. n. qui exierunt, & non reuertuntur citò in Conclaue, vel habent iuſtam cauſam non exeundi, vel non habent: ſi habent non eſt in poteſtate aliquorum ingrediendi, & eligendi non expectato iudicio & deliberatione Sac. Collegij, vt fiat quod magis expedire Eccleſiæ viſum fuerat. Et ſi Collegium hoc deliberare negligeret, alij executores poſſent de huius Eccleſiæ neceſſitate cognoſcere, & Cardinales vel ad ingreſſum compellere, vel ad hoc vt Collegium cõgregaretur pro exequendo, quod iuſtũ exiſtimaretur, & opportunum. In hoc ergo caſu, in quo ex publicæ vtilitatis intuitu, & neceſſitate Cardinales aliqui nolunt intrare Conclaue, nihil eſt ab aliis priuatim intentandum. Sed ex iudicio publico res eſt deliberanda. Et tunc ſi redeundum ſit, æquum erit, vt determinetur dies ingreſſus, quo præterito, qui ingreſſi erunt poterunt validè eligere alijs non expectatis. Sed ſi non adfuit iuſta cauſa exeundi, ſeu non intrandi, qui citius ingrediuntur liberè eligunt, vt dixit Gloſſa, nec tenentur expectare alios qui ex propria libertate moram trahunt, vnde ſibi imputent ſi ab electione excluſi manent. Et huic ſenſui fauet etiam ex Roſell. Alban. q. 27.

An viuente Papa poſſit tractari de electione Succeſſoris.

QVÆSTIO XVII.

1. IAm explicatis quæ ad locum electionis Papæ faciunt, ordo doctrinæ poſtulat, vt quæ ſpectant ad tempus dictæ electionis conſiderentur. Et ideò primò quæritur, an antequam Papa mortuus fuerit poſſit ſucceſſor eligi, vel ſaltem de eius electione tractari. Eſt autem certa concluſio, quod nedum non licet eligere Põtificem ſucceſſorem viuente Pontifice, ſed nec licet de huiuſmodi electione tractare *cap. Si quis diſt 79. & Conſtit. Cum ſecundum* Pauli Quarti.

2. Et quidem quantum ad electionem ipſam certum eſt illam eſſe nullam, ſi fiat viuente adhuc Pontifice, & Eccleſiæ Papatu non vacante. Et ità quod vt benè aduertit Bald. *in cap. licet nu. 3. de elect.* electio nulla ſit etiam ſi habita fuerit, dum Papa credebatur mortuus, verè tamen mortuus non erat, & vt minimè liceat tunc ſucceſſorem eligere, cum Prior Pontifex agonizat, & certo eſt moriturus. Et cum modò non poſſit eligi Pontifex, niſi mortuo Pontifice à Cardinalibus intra Conclaue clauſis poſt decimum diem à morte Pontificis, & electio aliter facta ſit nulla, (iuxtà tamen infrà dicenda) conſtat, quod ſub pœna excommunicationis non poteſt eligi nouns Pontifex niſi mortuo Põtifice. Hanc verò electionem dicendum eſt eſſe nullam de iure diuino, quia Chriſtus non dedit facultatem eligendi Papam, niſi Papatu vacante. Ex nullo enim loco ſcripturæ aliud colligere poſſumus. Et in bis idem eſt, quod non eſt conceſſum, & quod habetur prohibitum; cum Eccleſiæ non conueniat alia electio, quam illa, quæ eſt ſibi conceſſa. Et alias etiam non conueniat, vt ſimul in Eccleſia ſint duo capita, & quod Eccleſia viuente ſponſo alteri nubat.

3. Tractatus autem de Romani Pontificis electione viuente, & inconſulto Pontifice fuerunt prohibiti à Symmacho Papa in Conc. Rom. anno 499. & poſteà à Paulo IV. in Conſtit. *Cum ſecundum,* anno 1558. circa quas Conſtitutiones hoc primò conſideratur, quod ſunt quoad perſonas vniuerſaliſſimæ, & compræhendunt tam Clericos, quam Laicos, & tam Imperatores, Reges, Cardinales, & quocumque alios quauis dignitate fulgentes, quam omnes vtriuſque ſexus perſonas. Sic enim expreſsè decernit Paulus IV. præcipuè in §. *Nec non quoſcunque in præmiſſis tam noſtro, quam ſucceſſorum noſtrorum prædictorum tempore publicè, vel occultè, aut alias quomodolibet delinquentes, cuiuſcunque ſtatus, gradus, conditiones,* ordi-

ordinis, preeminentia exiſtant, etſi Epiſcopali, Archiepiſcopali, Patriarchali, aut alia maiori Eccleſiaſtica dignitate, ſeù Cardinalatus honore, vel mundana etiam Ducali, Regali, Reginali, aut Imperiali auctoritate, ſiuè excellentia præfulgeant, & eorum quemlibet ſententias, cenſuras, & pœnas prædictas incurrere volumus, atque decernimus. Et quia Paulus IV. omnes antiquas Conſtitutiones confirmat, & innouat, vt videamus quas actiones prohibeant, & quibus pœnis afficiant delinquẽtes ſingulæ conſiderandæ ſunt.

4. Primò igitur Symmachus Papa in Concil. Romano, vt habetur *Cap. ſi quis diſtin. 79.* ità *diſponit. Si quis Papa ſuperſtite pro Romano Pontificatu cuiquam quolibet modo fauorem præſtare cõuincitur, loci ſui honore priuetur.* Et infra. *Si quis Presbyter, aut Diaconus, aut Clericus Papa incolumi, & eo inconſulto, aut ſubſcriptionem pro Romano Pontificatu accomodare, aut pictatia promittere, aut Sacramentum præbere tentauerit, aut aliquod certè ſuffragium polliceri, vel de hac cauſa priuatis conuenticulis factis deliberare aliquid, aut decernere præſumpſerit, loci ſui dignitate, vel communione priuetur.* & infra. *Propter occultas fraudes, & conuentionum ſecretas inſidias, quas ſententia huius diſtinctionis perſequitur, ſi quis ad Eccleſiaſticam pertulerit notitiam conſilia eorum, qui contra hanc Synodum de Pontificali egerint ambitu, & rationabili probatione conuicerit particeps huiuſmodi actionis non ſolum purgatus ab omni culpa ſit, ſed etiam remuneratione, qua non indignus ſit ſubleuetur.*

5. Plures igitur actiones hic prohibentur. Prima eſt fauorem quolibet modo præſtare alicui pro Pontificatu Papa ſuperſtite, & quilibet prohibetur, ne hoc modo faueat. Aliæ ſequentes actiones Clericos reſpiciunt, & ſecũda actio eſt accomodare ſubſcriptionem pro Romano Pontificatu, hoc eſt, vt explicat Turrecrem. promittere ſubſcriptionem, nimirum promittere, quod mortuo Papa ſubſcribet electioni huius, vel illius, vel nunc promittendo electionem, & ſuffragium pro aliquo promiſſioni ſubſcribere. Tertia actio eſt promittere pictatia, hæc pictatia ſunt ſcripta obligatoria dicta à pingendo, vel petendo *cap. Pictatium 30. q. 3. Gloſ. d. cap. Si quis v. pictatia*, Turrecr. ibid. Scortia *in ſelect. Theor.* 180. Caſtell. *de elect. cap. 10.* Quarta actio eſt Sacramentum præbere, nimirum præbere iuramentum de huius, vel illius electione. Quinta actio ſuffragium ad alicuius fauorem polliceri. Sexta actio vniuerſalior eſt in priuatis conuenticulis de electione futuri Pontificis aliquid deliberare, vel decernere, & hoc non eſt ſolum deliberare de perſona eligenda, ſed de aliquo ſpectante ad electionem eſt hic prohibitum, vt v. g. deliberare de loco, tempore, & medijs; ſeù vijs per quas procuranda ſit electio, etiamſi non fiat deliberatio determinata de perſona.

6. Pœnæ autem impoſitæ ſunt ſententiæ ferendæ, & pro prima actione quæ reſpicit præcipuè Laicos omnes pœna eſt priuatio honoris. Pro alijs verò actionibus, quæ concernunt Præſbyteros, Diaconos, & Clericos imponitur pœna, vel priuationis dignitatis, vel excommunicationis, vt ſcilicet qui non habent dignitates, quibus priuentur, communione priuentur: Ad hanc tamen pœnam incurrendam requiritur præſumptio, vndè ignorantia crimen excuſat.

7. Obiter colligitur ex hoc text. quod tempore Symmachi Papæ non Clerici eligebant, & populi erat conſentire huic, vel illi, vt a Clero eligeretur, ſed ſuffragium dare erat Præſbyterorum, Diaconorum, & Clericorum. Vndè iſti ſoli prohibentur ſuffragium promittere, & de electione deliberare ſuperſtite Pontifice, quia horum tantum erat præbere ſuffragium in electione, & de Pontifice deliberare. Ex hoc etiã habetur, quod tunc nedum Diaconi, ſeu alij Clerici habebant ſuffragium in electione Papæ.

8. In §. verò. *Propter occultas* &c. complici, & conſcio præfatorum criminum promittitur impunitas, & præmium ſi complices, qui tractarunt de Pontificali ambitu reuelauerit, ità vt eos conuicerit. Ex quo benè deducunt Gloſſa *v. peruenerit*, Turrec. & alij, quod tractare de futuri Pontificis electione ſuperſtite Pontifice eſt crimen ſimile crimini læſæ maieſtatis, & quod in eo complex & ſocius criminis poteſt accuſare alium cõplicem, & eſt audiendus, & licet reuelet turpitudinem ſuam non eſt puniendus. Quamuis ſi non poſſit probare crimen alterius ſocij ipſum puniendum eſſe tradat Gloſſa, quam ſequitur Turrecrem. *n.* 9. quia accuſare non debuit, quod probare non potuit, *cap. Pleriq; 2. qu. 7. & cap. ſi tantum 6. qu. 2.*

9 Succeſſiue autem multa ſtatuta ſunt contra conuentiones, obligationes, & pacta inita pro electione Pontificis à Gregor. X. *in d. cap. Vbi periculum §. Cæterum*, & à Iulio II. in Conſtitut. *cum tam diuino*: Sed quia non reſpiciunt determinare has actiones, vt factas ante mortem Papæ ſuo loco relinquuntur conſiderandæ, cum de electione ſimoniaca erit ſermo. Paulus tamen Quartus in Conſtitut. *Cum ſecundum* ex profeſſo prohibet ambitum Papatus per tractatus habitos ſede non vacante. Et poſt quam in principio reddens cauſam ſuæ Conſtitut. exagerauit malitiam huius criminis, & poſtea in ſeq. §. *Nos cupientes* confirmauit Prædeceſſorum ſuorum Conſtitutiones in § *nec non* decreuit, vt infrà. *Volumus, & declarando ſtatuimus, ordinamus, & decernimus, quod ſententijs, cenſuris, & pœnis prædictis in ſuo robore, & efficacia remanentibus, ac effectum ſuum ſortientibus omnes, & ſinguli tam Clerici, quam vtriuſque ſexus laici, qui per ſe, vel alios nobis viuentibus, & inconſultis, vel ſcriptis, aut nuncijs cum aliquo de futuro Pontifice eligendo hactenus tractarunt, vel tentarũt, ſeu impoſterũ Romano Pontifice viuente, & inconſultò tractabũt, vel tentabũt etiamſi vt præfertur qualitate, & dignitate, honore, & auctoritate, & Excellentia prædictis præditi exiſtant, ſint ipſo iure, & facto abſque alia deſuper ferenda ſententia excommunicati excommunicatione maiori, & maledictione æterna damnati, & ab excommunicatione huiuſmodi, & maledictione huiuſmodi per alium, quam per nos, & Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem, præterquam in mortis articulo abſolui non poſſint, incurrerint que, et incurrant reſpectiuè crimen ſimoniacæ hæreſeos, et læſæ maieſtatis in primo capite, ac priuationem omnis, etiam Epiſcopalis, Archiepiſcopalis, et Patriarchalis, ac cuius vis*

K maio-

Digitized by Google

maioris, vel minoris dignitatis, ac Cardinalatus honoris, nec non Ducalis, Regalis, Reginalis, et Imperialis auctoritatis, et excellentiæ, ac omnium, et ſingularum Eccleſiarum Cathedralium quoque, ac Prioratuum, aliorumque beneficiorum, et officiorum Eccleſiaſticorum cum cura, et ſine cura, ſecularium, et quorumuis ordinum regularium per eorum quemlibet obtentorum, nec non quorumuis fructuum, redditunm, et prouentuum Eccleſiaſticorum, ac penſionū annuarum ſuper ſimilibus fructibus, redditibus, et prouentibus reſeruatarum, et aſſignatarum, ac Regnorum, Dominiorum, feudorum, et bonorum ſpiritualium; et temporalium, vel mixtorum etiam patrimonialium; et allodialium, nec non Iurium patronatus, et Iuriſdictionum quorumcunque, carreantque voce actiua, et paſſiua, et effecti ſint, et efficiantur reſpectiue perpetuò inhabiles, et incapaces omnium dignitatum, honorum, bonorum, Iurium, et legitimorum actuum, perpetuaque infamia ubique gentium ſint notati, et notentur reſpectiuè, nec infamia huiuſmodi ab eis aboleri, neque ipſi vllo vnquam tempore ad vocem, dignitates, honores, bona iura, et actus huiuſmodi niſi ex ſpeciali verbo, et mandato noſtro ſeu Romani Pontificis pro tempore exiſtentis, noſtra, ſeu illius manu propria ſubſcripto, ac ſpecifica, et indiuidua reatus, et culpæ ſuæ qualitate expreſſa reſtitui poſſint.

10. Cum vero hoc decretum reſpectu perſonarum ſit vniuerſaliſſimum, duas actiones prohibet. Prima eſt mediatè vel immediatè ſcriptis, aut nuncijs tractare de eligendo Summo Pontifice ſucceſſore viuente Pontifice, & eo inconſulto, ſecunda actio eſt idem tentatè.

11. Primò igitur hic videndum eſt quid ſit tractare. Prætermiſſa autem vocis notatione, quæ à tractandi verbo deducitur, propriè quę corporeum tactum, atque atrectationem ſignificat, certum eſt, non modo apud Sacros, ſed etiam prophanos ſcriptores tractare, & tractatum ad motum quendam, atque agitationem ſpiritualem transferri. Vnde negotiorum tractatus paſſim appellantur, & qui negotia gerunt tractatores dicuntur. Ità factum eſt, vt Conſiliarij Principum tractatores interdum nuncupentur, locus in quo conſultationes haberi ſolent tractatorium, ipſa denique conſultatio, tractatus nomine ſignificetur. Nam Sidonius Appollinaris *lib. 1. epiſt. 7.* cum agit de damnatione Armandi, *In tractatorium*, inquit, *frequens. Senatus conuenit.* Quo ſpectans Iſidorus *lib. 6. ethimolog. c. 16. Concilij nomen*, ait, *tractum eſt ex Romano more; tempore enim, quo cauſa agitabantur, conueniebant omnes in vnum, communique intentione tractabant, ideſt conſultabant.* Certè in nouella Theodoſij tractatus ſignificat Conſilium, Tractatores autem ſunt Conſiliarij, & aſſeſſores. Ita Caſſiodorus *lib. 8. ep. 12. quæ* eſt de Conſiliarijs, & aſſeſſoribus. *Decet enim*, inquit, *tractatores habere doctiſſimos quibus poteſtas ſumma committitur.*

12. Quemadmodum igitur deliberare apud Latinos ſcriptores aliquando idem valet, quod inueſtigare, quid agendum ſit, alias decernere, & ſtatuere, quod inquiſitum fuerit, eademque ratione deliberatio interdum eſt inquiſitio, & diſcuſſio, nonnunquam rei inquiſitæ, & diſcuſſæ; decretum, & conſtitutio, non aliter tractatus aliquando eſt ipſa conſultatio, quæ præcedit aliquando ipſum conſilium, & decretum, quod ex conſultatione ſuſcipitur. Quoniam verò hæc olim à Cauſidicis, & oratoribus, qui cauſas perorabant, itemque à Conſiliarijs Principum, & aſſeſſoribus vſurpabantur, factum eſt, vt hi omnes tractatores, illorumque diſcuſſiones tractatus appellarentur. Tractatus itaque non rarò conſultationem ſignificat, quæ ad Conſilium de re quapiam ſuſcipiendum adhidetur. Ità loquitur Symmachus *l. 5. epiſt. 17. Conſilium autem*, ait, *rei agendæ tuus, et aliorum, quibus cordi ſumus tractatus inueniet.* qua mēte dixiſſe videtur Bartolus *Conſil. 133 vol. 4.* tractare eſſe colloquium habere, quomodo aliquid fieri queat. Sic etiam tractatus pro inquiſitione, vſurpatur in iure ciuili *l. vlt. in fin. ff. ſi pars hæredit. ſpetatur*, vbi manifeſtè tractatus pro inquiſitione, & diſcuſſione ponitur, quæ etiam communi nomine queſtio nuncupatur. Id verò non in rebus priuatis tantummodo, ſed multò frequentius in publicis conſultationibus, quæ plurium ſuffragio fieri conſueuerunt intelligendum eſt, qua ratione Sydonius Apollinaris *lib. 5. ep. 20. Quod die eſterno*, ait, *tractatui Ciuitatis in Concilio defuiſti, ex induſtria factum pars melior accepit.* Quo ſenſu accipitur in iure canonico *cap. ſine exceptione 12. qu. 2.* vbi ſtatuitur rerum Eccleſiaſticarum alienationem abſque præcurrenti tractatu vſurpandam non eſſe.

13. Alias tractatus ipſum Conſilium, & decretum ſignificat, ſiue communi ſuffragio firmatum, ſi res inter plures agatur, ſiue illius conſenſu ſtabilitum, cuius ex arbitrio pendet, ſi ad vnum pertineat. Quo ſenſu iure ciuili *l. ſi amicis ff. de adulter.* definitur eum quaſi adulterum puniendum, in cuius domum conſilia de adulterio agitari ſoleant, hoc eſt de adulterio tractari. neceſſe enim eſt eo loci tractatum accipere non pro ſimplici conſultatione, ſed vt coniungitur cum decreto, ac definitione, quæ ex conſultatione oriuntur. Non negauerim tamen tractatus nomen apud Eccleſiaſticos ſcriptores aliquando explanationem ſignificare, atque adeo explanatores, tractatores appellari. Itaque Seuerus Sulpitius *epiſ. 3. cap. 1. de Origene* hæc ſcribit: *Origenes tractator ſacrarum ſcripturarum peritiſſimus habebatur.* Auctor de operibus Cardinalibus apud Cyprianum in Prologo, *ſublimes materia, ſublimium ingeniorum exigunt tractatores.* B. Hieronimus Apolog. ad Domnion. *Didymum ſcientia ſcripturarum, omneſque ſui temporis vincat tractatores.* Beatus Auguſtinus lib. 1. de doctrina Chriſtiana. *Debet*, ait, *diuinarum ſcripturarum tractator, et doctor defenſor rectæ fidei, et debellator errorum, et bona docere, et mala dedocere.* Vincentius Lyrinenſis in commonitor ait: *Apoſtolus in primo ad Corinth. Et quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia, primum Apoſtolos, quorum ipſe vnus erat, ſecundo Prophetas. qualem in actibus Apoſtolorum legimus Agapum. tertiò Doctores, qui tractatores nunc appellantur:* Petrus Chryſologus ſerm. 91. *Vacat humanus ſermo, ſiue prædicatio tractatoris quando Angelico præconio Ioannis pro-*

ſer-

Digitized by Google

fertur gloria. Deniq. Nicolaus Papa *cau. 1. d. 19. Si Romanorum Pontificum decreta cæterorum opuſcula tractatorum approbantur, vel reprobantur.* Qua ratione S. Auguſtinus explanationes in Ioannem tractatus appellauit. Et Victor Vticenſis, quas Græci homilias appellant à Latinis populares tractatus nuncupari autumat. nec dubito hac eadem ſignificatione Epiſtolam tractatoriam ab Auguſtino nominari in Pſal. 36. Conc. 2., qua videlicet quid in Synodo de rebus, aut perſonis ſtatutum, ac definitum eſſet aliquanto vberius explicaretur.

14 Eadem plane ratione in iure ciuili vſurpari crediderim tractatum, & tractatorem. In eo enim tractatores dicuntur, quia iura, & cauſas explicant. Sic Vlpianus *l. Marcellus ff. de verb. ſignificat. Marcellus*, inquit, *apud Iulianum tractans notat verbo rupiſſe, & ſciſſum, & fractum contineri.* & alibi *l. 1. ff. de diuerſ. & tempor. præſcript. Tractatus*, ait de diebus vtilibus frequens eſt. Quin etiam *l. cum hic ſtatus* §. *ſi ambo ff. de donat. inter vir. & vxor.* tractare idem valet, quod exponere, proponere, & declarare. Itaque antiquus interpres Iuuenalis ad illa verba Sat. 1. *Iuriſque peritus Apollo.* Querit cur Apollo Iuriſperitus appelletur, & reſpondet, *quia iuxtà Apollinis templum Iuriſperiti ſedebant, & tractabant explanantes, quæ ad ſe in iure dubia deferebantur.* Itaque tractare iura apud Plinium *lib. 8. ep. 14.* nihil eſt aliud quam iura explanare, *cui ſuperfuit*, inquit, *curæ ſic iura publica, vt priuata ſic antiqua, vt recentia, ſic rara, vt aſſidua tractare.*

15 Cum ergo tractare in multiplici, hac ſignificatione ſummi poſſit, in preſenti quia accipitur, vt diſtinguitur contra tentare importat deliberationem diffinitione & ſententia completã, & non ſolam inquiſitionem, & examen: & ſic tractare eſt diſusè deliberando decernere circa ea quæ ad futuri Pontificis electionem ſpectant. Verum tractatus diſtingui debet in ſpeculatiuum & practicum. Cum enim praxis principium ſit finis intentio, ideò agere de eligibilitate huius, vel illius non ex animo illum eligendi eſt tractatus ſpeculatiuus, qui diffini poteſt, quod ſit extrinſeca inquiſitio, & diſcuſſio etiam deliberata circa negotium electionis Papæ, quæ ex fine operis non intendit niſi puram doctrinam, ſeu ſcientiam veritatis abſque applicatione ad opus, vt dum conſiderantur merita, vel demerita perſonarum eligibilium, earumque dignitas, vel indignitas, vel media, & viæ apta ad electionem huius, vel illius earum vtilitas, & honeſtas, vel inutilitas, aut turpitudo. Et decernitur, quod v. g. Titius eſt vir iuſtus, miſericors, prudens, & quod vere eſt dignus Pontificatu, ſeu quod viæ aptæ ad hoc vt Titius eſſet Pontifex eſſent ſi eſſet amicus talis Regis, aut Cardinalis, ſi talis perſona vellet eſſe mediator apud talem Cardinalem, & ſimilia inquirendo, & etiam iudicando, & diffiniendo, nihil tamen de habenda electione decernendo, & deliberando, ideoque nihil promittendo; & tandem nihil applicando ad opus, ſed ſolum conſiderando quid verum ſit, nimirum quis dignus, vel non dignus, quæ media apta, vel inepta, quæ honeſta, quæ non honeſta, nihil omninò applicando ad praxim, ſicoque nec decernendo hunc, vel illum eligere, vel non eligere, hanc vel illam viam aſſumere, hæc vel illa media tẽtare, vel hoc, aut aliud agere, aut tẽtare, vt alius hoc vel illud agat. Et tandem tractatus ille ſpeculatiuus eſt, qui non præſuponit animum aliquem eligendi, nec ex tali animo procedit, & ideo nihil de electione habenda decernitur, vnde eſt tractatus de electione veluti in actu ſignato, qui terminatur ad cognitionem veritatis, non verò ad hoc, vt electio in actu exercito habeatur. Neque obſtat, ſi dicatur, quod practicus ſermo eſt, qui poteſt mouere voluntatem, & ea mediante alias potentias ad exercitium agendi. Talis vero eſt ſermo, in quo decernitur alicuius viri dignitas, vel alicuius medij vtilitas, quia bonum cognitum mouet voluntatem. Nam dicitur, quod cum ſpeculatiuum ſit fundamentum practici, ideò ſpeculatiuum remotè, & mediatè poteſt mouere voluntatem & eſſe principium exercitij agendi, ſcilicet medio alio iudicio, quod ſit applicatiuum ad opus, & quod nedum decernat de dignitate, bonitate, & honeſtate alicuius actionis in eſſe vero, ſed deliberet de actuali exercitio eiuſdem actionis. Ad iudicium igitur, & ſermonem practicum in propoſito non ſufficit, quod poſſit remotè, & mediatè mouere ad amorem, vel odium, quia hoc pertinet etiam ad ſermonem ſpeculatiuum. Sed requiritur, vt ſit ſermo, qui importet applicationem ad exercitium agendi.

16. Alius eſt tractatus practicus, quem alij dicunt deliberatiuum, in quo tractatur de hoc, vel illo agendo, & in quo decernitur perſona eligenda in indiuiduo, vel etiam in ſpecie, & genere qualitatis quæ ex virtutis obligatione non neceſſitat ad ſui electionem, vt ſi deliberaretur de non eligendo alio, quam Romano, vel quam affecto huic vel illi Regi. Et ſimiliter ſi deliberaretur de medijs v. g. deliberando de impedienda, & differenda electione, donec veniat talis Cardinalis, ſeu de emendo huius, vel alterius ſuffragio, & ſi quis alicui ſuum ſuffragium promittat, vel petat promitti pro ſe, vel pro alio, ſi cum aliquo conueniat, & paciſcatur de hoc vel illo eligendo, ſeu quo pacto ſe gerere debeant, vt talis in Papam eligatur, aut quam rationem inire debeant, vt Cardinales ad iſtum eligendum inducantur, Et tandem ſi tractatus obiectum, & finis ex parte operis ſit praxis, & aliquod opus. Vnde quia vt dicebatur principium agendi eſt amor, & intentio finis ex duplici requiſito explicatur hic tractatus, qui nedum ſit in ſuo genere ſpeculatiuè definitiuus ſed practicè deliberatus. Primo ex cauſa, & præſuppoſito, quia tractatus practicus ſupponit in tractante de electione voluntatem determinatam electionis exercitæ alicuius perſonæ, & ex tali voluntate proficiſcitur. Secundo quia talis tractatus in ſe ipſo eſt ſermo importans exercitam aliquam applicationem ad exercitè eligendum, vel agendum aliquid pro ea perſona eligenda, & ſic vel eſt præceptum, vel conſilium, vel petitio electionis illius perſonæ, aut quid ſimile, vel eſt extrinſecus conſenſus mutuus tractantium de eligendo, vel agendo aliquid ad finem, vt talis

perſona eligatur. Et hic extrinſecus conſenſus ex diſcuſſione negotij electionis habitus propriè eſt tractatus de eligendo nam præceptum, conſilium, ſuaſio, poſtulatio; & huiuſmodi potius ſpectant ad tentationem electionis, quam ad tractatum. Quia poteſt eſſe, vt vnus in vanum ſuadeat, petat, vel præcipiat, & ſic tentet in vanum electionem, illamque completè non perficiat, nec tractatus deliberationem obtineant.

17. Dicitur itaque primò, quod tractatus ſpeculatiuus non eſt prohibitus per Conſtitut. Pauli IV. Ita Caſtel. *cap.* 10. *de elect. n.* 18. vbi quod non eſt prohibitum agere in communi de qualitatibus quorundam Cardinalium, qui ſecundum Deum, & homines ſapientes ſpectata eorum laudabili vita verè ſunt apti ad regimen Eccleſiæ, ex quorum regimine ſpectari poſſet non modica vtilitas vniuerſalis Eccleſiæ in hoc ſolum, ac tantum ſiſtendo, & longius ab eis voluntate exiſtente, & animo mouendi, vel diſponendi quempiam ad electionem huius, vel illius, ſed per modum diſcurſus abſque alia intenta deliberatione. Ita etiam Bonacin. *de elect. Pont. diſput,* 2. *q* 2. *n.* 8. vbi quod Pauli IV. excommunicationem non incurrit, qui interrogatur, vel interrogat quiſnam ſit futurus Summus Pontifex, & qui affirmat talem Cardinalem excultum, & ornatum eſſe ijs qualitatibus, quæ Pontifici ineſſe debent, quoniam hoc non ad praxim, ſed ad ſpeculationem pertinet. Idem tenent Lauor. *de elect. cap.* 3. *n.* 60. Theſaurus *v. ambitus cap.* 2. §. *nota*, & alij, qui ante Bullam Pauli IV. dixerunt, quod per *cap. ſi quis Papa d.* 79. & per *cap Bonæ el* 2. *de elect.* non eſt prohibitus tractatus ſpeculatiuus, inter quos fuerunt ad *d. cap. Bonæ* Innoc. *n.* 3. Hoſtien. *n.* 8. anorm. *n.* 12. admittentes tractatum conſultorium ante Electionem Eccleſia non vacante non eſſe prohibitum. Et horum ratio à priori eſt, quia per Conſtitut. Pauli IV. prohibitum eſt tractare de aliquo eligendo, alius verò eſt tractatus de dignitate eligendi, ſeu de mera, & pura eligibilitate huius, vel illius, aut de pura vtilitate huius, vel illius medij, ad hoc vt aliquis poſſit eligi, alius eſt de eligendo, quia hic importat praxim, & animum eligendi hunc, vel illum, & applicationem ad exercitè id agendum, ideo vbi in tractante de electione non eſt animus iam ad electionem alicuius ordinatus, & determinatus vnde nec tractatus ex animo ordinatur ad exercitè eligendum hunc vel illum, vel ad aſſumendum hoc, vel illud medium vt aliquis eligatur, non eſt tractatus de eligendo licet poſſit eſſe ſpeculatiuus, & veluti doctrinalis tractatus de electione Lauor. *de elect. cap.* 3. *n.* 62. Idem tenuit Reuerendiſs. Coccinus *in manuſcrip. Gloſſem, ad Conſtit. Aeterni Patris* Gregor. XV. §. *Aeterni Patris q.* 2. vbi id probat. Tum quia Paulus II. eodem tenore excommunicationem fert in tractantes de præterito, & de futuro ibi: *hactenus tractarunt, vel tentarunt, ſeu impoſterum &c. tractabunt, vel tentabunt.* Igitur loquitur de tractatu alias ante ſuam Conſtitutionem prohibito, alias excommunicaret innocentes, & qui actionem non prohibitam habuerunt. Tum ſecundo, quia Pontificum prædeceſſorum cõſtitutiones confirmat, & poſteà ad maiorem terrorem nouas pœnas ſtatuit præter antiquas non exprimendo noua delicta, ſed ſe referendo ad ſupra expoſita. Igitur eius mens non fuit nouas actiones in tractando prohibere, ſed antea prohibitas ſeuerioribus coercere pœnis, & extendere etiam ad perſonas acceſſorias videlicet ad dantes conſilium fauorem &c.

18. Dicitur ſecundo tractatum practicum, ſeu deliberatiuum pactionale, & diffinitorium de eligendo Summo Pontifice compræhendi ſub conſtitutione Pauli IV. & per illam prohibitum eſſe. Poſſet verò hic eſſe difficultas, quia hic tractatus practicus poteſt eſſe de eligẽdo genere aliquo perſonarum, abſque determinatione ad perſonam, vel poteſt eſſe de eligendo hoc vel illo determinate. Et primus tractatus adhuc diuidi poteſt, quia poteſt eſſe tractatus omninò honeſtus, quia ſcilicet ſit tractatus de eligendo meliori, ſeu omnium optimo ſincerus, & purus & non proueniens ex animo determinato ad aliquam perſonam, & poteſt eſſe tractatus de eligenda aliqua qualitate in eligendo, quæ non eſt neceſſaria ad rectam electionem, vt puta de eligendo ſolum aliquo, vel Romano, vel Hiſpano, vel Gallo, vel affecto huic, vel illi Regi.

19. Eſt autem indubitatum illum tractatum cenſendum eſſe practicum, & eſſe prohibitum per Conſtitut. Pauli IV. qui eſt de hac, vel illa perſona determinate eligenda. Et in hoc DD. omnes conueniunt.

An verò talis cenſendus ſit omnis tractatus licet non ſtatim ad extra ſufficienter expreſſus, qui venit ex animo ad aliquem determinate eligendum determinato. Vnde ille ſubdatus pœnis d. Conſtit. qui ex animo determinato ad aliquem eligendum ſibi parat viam agendo in communi de qualitatibus in Pontifice futuro eligendis. Reſpondetur non eſſe talem, ſed neceſſe eſſe, quod tractatus exterior ſit practicè deliberatiuus. Quia pœnæ requirunt actum externum, pro quo imponuntur eſſe conſummatum. Nec ſufficit mala intentio agendi ſi actio non ſequitur. Imò ſine aliqua deliberatione non eſt tractatus conſummatus, tractatus enim eſt diſcutere, & deliberare. Et ideo quantum ſit ex præciſa vi prohibitionis tractatus non incideret in has pœnas, qui diſcurrendo de futura electione alicuius nihil deliberaret. Sed tamen quomodo, & in ſimili caſu ſic tractantes ex animo determinato aliquem eligendi incidant in pœnas Paulinæ, quia tentent de eligendo, licet de hoc non tractent, dicetur inferius.

20. Sed ſi quis non determinatus in particulari de alicuius electione ſolum tractaret de eligẽda in futuro Pontifice aliqua qualitate pluribus communi, an iſte compræhendatur ſub illa Conſtitut. & eius pœnis ſubdatur dubitari poteſt. Quoniam non videtur, quod hic tractet de eligendo futuro Pontifice, quia electio Pontificis reſpicit perſonam ſingularem, & determinatam, cum electio Pontificis ſit acceptio huius perſonæ ad Pontificatum præ alia. Ideo vbi in tractante non ſit determinata intentio eligendi hunc, vel illum determinate, videtur, quod hic tractatus non ſit practicus, nec ſit de eligendo

Sum-

Digitized by Google

Summo *Pontifice*, ſed ſolum de eligenda qualitate aliqua in Summo *Pontifice*. Verum oppoſitum dicendum eſt, quia licet electio Pontificis ſit acceptio vnius perſonæ præ alia, tamen ad praxim conſultiuam, & ad tractatum de eligendo non eſt neceſſe, vt qui tractat ſit determinatus ad vnum ſolum indiuiduum, ſed ſufficit, quod ſit determinatus ad plura diſiunctiue, nimirum ad hoc, vt eligatur ille, vel iſte, cum exclusione aliorum. Qui veró eſt determinatus ad qualitatem non neceſſariam in Pontifice, iam eſt diſiunctiue determinatus ad aliquas perſonas illam qualitatem habentes cum aliorũ excluſione, eſt enim determinatus, vt nullus alius eligatur, & hæc determinatio non eſt ex lege, ſed ex ſua voluntate. Et ideò eſt diſiunctiue determinatus ad hunc, vel ad hunc, vel ad hunc cum aliorum excluſione, vnde tractans de eligenda qualitate determinata in futuro Pontifice tractat de futuro Pontifice eligendo etiam determinatè licet non de vnius ſolius tantum electione tractet, ſed de plurium electione diſiunctiuè, & propterea talis eſt ſubiectus pęnis Conſtitutionis *Pauli* IV. Coccin loco infra citando. Quia talis, & vere tractat de Pontifice eligendo ex tali numero tantum, vel tantum ex tali perſonarum genere, & verè eſt de numero eorum, qui aliqualiter delinquunt contra Conſtitut. *Pauli* IV. & alias huiuſmodi tractatus prohibentes. Et ideò *Paulinæ* pęnis eſt ſubiectus.

21. Benè verum eſt, quod ſi qualitas, de qua agitur in futuro Pontifice ſit neceſſaria ex aliqua lege, ſi quis tractet de non eligendo Pontifice, niſi qui habeat illam qualitatem, vt puta, niſi qui ſit omnium optimus pro Eccleſia regenda, non deſcendendo ad aliquem in particulari, nec per hoc tentando, vt de præſenti decernatur electio alicuius determinatæ perſonæ, non crederem, quod tranſgrederetur Conſtitutionem Paulinam, quia hic tractatus, nedum non eſt de eligendo aliquo in particulari, ſed eſt de non eligendo prohibitum eligi vel de non eligendo niſi legitimè eligibilem, & non eſt tractatus practicus, ſed ſpeculatiuus, cum ſit tractatus de eligendo in communi valde.

22. Nec obſtat, ſi quis dicat, quod poteſt eſſe, quod ſolus vnus de facto ſit omnium optimus. Et ex conſequenti quod deliberare electionem optimi ſit deliberare electionem huius *perſonæ* determinatæ. Tum quia qui deliberat electionem optimi non applicat determinationem ad hanc, vel ad aliam perſonam, & nihil de hoc decernit. Tum quia qui tunc eſt optimus nedum per accidens eſt, quod ſit hæc vel illa perſona, ſed per accidens omninó eſt, quod ſit futurus optimus tempore electionis. Cum nedum ille poſ[?]t mutari de bono in malum, ſed ex circunſtantijs ſumme variabilibus cõtingere poſſit vt qui nunc Eccleſiæ eſſet vtilis, eidem non ſit futurus vtilis alio rerum ordine variato. Imo hæc eſt vna ex rationibus, ob quas etiam contra ius naturæ, & diuinum eſt decernere electionem futuri ſucceſſoris, viuente *Pontifice*, quia cum determinatio optimi in ordine ad Eccleſiæ regimen maximè pendeat ex circumſtantijs temporis, & ſtatu Eccleſiæ, tunc enim eſt habenda electio, non licet ante illud tempus deliberare de perſona eligenda.

23. Duplici verò hac concluſione ſuppoſita dubium eſt an tractatus de excluſione alicuius determinatæ perſonæ cenſeatur compræhenſus, ſub hac Paulina, & per illam prohibitus. Videtur enim non compræhenſus, quia non eſt tractatus de eligendo, ſed de excludendo ab electione. Coccinus in manuſc. Gloſſem. ad Conſtitut. Gregor. XV. §. *Aeterni Patris qu. 2. num.* 25. diſtinguit. Nam tractatus excluſiuus, vel eſt ad excludendum indignum, vel á excludendum minus dignum, vel ad excludendum digniorem, vel ad excludendum æqualiter dignum pluribus alijs. In primo, & ſecundo caſu ſi tractatus ſit mere excluſiuus non eſt prohibitus. Tum quia non eſt ex ambitione, Paulus vero IV. contra ambitum Pontificatus loquitur. Tum quia electio indigni, vel digni prætérito digniori ſemper eſt mala, & abijcienda. Igitur ſemper, & pro omni tempore eſt iuſtum obiectum excluſionis deliberatæ. Vnde licet talem excluſionem ſemper decernere, & eligere, & deliberare. In tertio autẽ, & quarto caſu iterum diſtinguit. Nam hic tractatus excluſiuus vel ordinatur ad alicuius, vel aliquorum incluſionem, vel eſt merè excluſiuus. Si tractatus excluſiuus dignioris, vel æque digni ordinatur ad alicuius alterius, vel aliorum incluſionem, compræhenditur ſub Paulina, Ratio eſt, quia huiuſmodi tractatus ſic ad incluſionem ordinatus eſt indirectum conſilium, ſeu ſuaſio ad aliquem, vel aliquos eligendos in Paulina veró prohibitum eſt præſtare conſilium, vel fauorem ad decernendam alicuius electionem viuente Pontifice. Et hoc eſt verum nedum ſi ad huiuſmodi tractatũ excluſiuũ ſequatur effectus, ſcilicet deliberatio de aliquo eligendo, ſed etiam ſi effectus nõ ſequatur, quia hic ſic tractans tempore prohibito tentat aliquid de electione Pontificis. Tum ſecundo, quia tractare de excluſione dignioris ſemper pertinet ad ambitum, qui omni tempore eſt malus. Et licet tractare de excluſione æqualiter digni non ſit ambitus, eſt tamen malum ratione temporis verè prohibiti. Sed ſi tractatus excluſiuus non ordinatus ad alicuius incluſionem, aut talis ſic tractans aduertit, vel tenetur aduertere, quod inde ſequetur deliberatio de aliquo eligendo, & in hoc caſu, quia ſecundum D. Th. *p.* 2. *q.* 20. *a.* 5. effectus imputatur ei qui aduertit, vel tenetur aduertere, quod eueniet, ideo qui ſic tractat de alicuius dignioris, vel æquè digni excluſione incidit in pęnas *Paulinæ*. Secus vero ſi nec aduertit, nec tenetur aduertere, quod ex tractatu excluſiuo ſequetur tractatus incluſiuus, vel deliberatio de aliquo includendo ſaltem vage. Nam ad incurſum pœnarum ſufficit quod tractetur de electione alicuius perſonæ ſaltem vage. In hac tamen reſolutione multa ſunt, quæ diſcuſſione indigẽt, & quæ ex dicendis de alijs actionibus, quæ ſunt tentare, conſilium dare, mediatorem eſſe &c. reſolui debent.

24. Interim dicitur tertio, quod diſtinctio illorum caſuum meritò diſplicet, quia vbi tractatus excluſiuus non ſit purus, ſed ſit vel auxilium, vel fauor, vel tentatio de eligendo, non

inte-

intereſt, quod talis tractatus ſit de excludendo, vel indigno, vel digno, quia deliberatio etiam de eligendo optimo ſi ſit materialiter determinata ad perſonam aliquam eſt prohibita fieri ſede non vacante, & ſic tractatus excluſiuus indigni, imo & indigniſſimi, ſi ſit tentatio, vel fauor inducens ad determinandam electionem alicuius etiam digniſſimi eſt malus, & prohibitus, quia prohibitum eſt tentare de eligendo, vel ad ei fauorem dare. Sed ſi tractatus ſit purè purè excluſiuus dicitur, quod præcisè ex vi prohibitionis tractatus, vel teutationis de eligendo futuro Pontirice viuente Pontifice non prohibetur tractatus de alicuius excluſione præcisè, qui ſcilicet non ſit tractatus, nec tentatio, nec qualiſcunque fauor de alicuius alterius incluſione. Nam talis non eſt tractatus de eligendo aliquo, ſed de non eligendo, & de excludendo ab electione. In ea verò Conſtit. prohibitum eſt tractare, vel tentare de eligendo Pontifice Lauor. *de elect. cap. 3. n. 63.* Theſaur. *v. ambitus c. 2.* §. nota nec verum eſt, quod ait Caſtell. *d.c.10.n.20.* quod ſcilicet tractatus de excluſione aliquorum eſt à Paulo IV. prohibitus ſi fiat ex intentione includendi alium. Nam intentio agentis non mutat ſpeciem actus externi, ideo ſi actio externa non eſt tractatus, nec tentatio, nec qualiſcunque fauor de eligendo, ſed ſolum de excludendo non eſt ex lege Pauli IV. prohibitus. Quamuis alias ſi tractatus ſit de excluſione digni ad includendum indignum, vel dignoris ad includendum minus dignum, ille tractatus ſit omninò malus, & peſſimus, & alijs pœnis coercendus. Quomodo autem hic tractatus ex Greg. XV. ſit prohibitus haberi ſede vacante dicetur inferius.

25. Colligitur verò, ex dictis, quod tractatus definitiuus practicus eſt prohibitus nedum ſi ſit directè de eligendo hoc vel illo, ſeu etiam de eligendo aliquo genere perſonarum modo, ſupradicto, ſed etiam ſi ſit tractatus de aliquo ſpectante ad electionem, vt ſi eligeretur locus, vel tempus, vt ſi tractaretur de protrahenda electione, donec veniret aliquis ex Cardinalibus abſentibus, Quod multo magis eſſet verum ſi ſimilis tractatus fieret à toto Collegio, & Collegialiter, ſeu ſi per Collegium iam vocarentur, & citarentur abſentes ad electionem habendam. Tractat enim de electione futuri Pontificis quicunque tractat, & deliberat de concernentibus electionem. Et in decreto Symmachi Papæ per Paulinam confirmato prohibitum eſt priuatis conuenticulis factis aliquid deliberare, & decernere. Nam, & de iure communi tractatus diffinitiuus de ſucceſſoris electione factus Eccleſia non vacante eſt prohibitus, & nullus *cap. bona el 2. de elect. cap. 2. diſt. 79.* Innoc. Hoſtien. Panorm. & alij ad *d. cap. bona*.

26. Malitia autem huius tractatus augetur, ſi ſit ambitioſus, aut pactionalis, ſeu conditionalis, & quocunque modo ſimoniacus, aut aliunde inhoneſtus. Cum huiuſmodi tractatus nec vacante Sede haberi poſſit.

27. Nec excuſatur tractatus diffinitiuus habitus ſede non vacante de aliquo eligendo in Pontificem ex eo quod in eo agatur de electione digni præ indigno, vel de electione dignioris, & ſummè optimi. Quia vt dictum fuit licet huiuſmodi tractatus non ſit malus ex obiecto eſt malus, & prohibitus tanquam factus tempore non congruo, & quià viuente Pontifice quoddam genus læſæ maieſtatis eſt tractare, & decernere de ſucceſſoris electione vt multis exagerat Paulus IV. in ſua Conſtit. Vnde nec excuſatur ex eo, quod tractatus non ſit collegialis, aut communis, aut publicus, ſed priuatus, & occultus, quia Conſtitutio Pauli vniuerſaliſſimè prohibet tractatum de ſucceſſoris electione ſede non vacante §. *nec non ibi:* publicè vel occultè, aut alias quomodolibet delinquentes.

28. Pariter non intereſt an tractatus ſit vel abſolutus, vel ex parte obiecti conditionatus. Non enim tractatus deſinit eſſe practicus, diffinitus, & deliberatus ex eo, quod ſit obiectiuè conditionatus, nam talis ex parte volentis abſolutus eſt, & conditio appoſita ſuſpendit effectum futurum, non verò voluntatem volentis, qui ex parte ſui abſolutè vult electionem v. g. Titij, ſi talis, vel talis cōditio adfuerit. Imo huiuſmodi tractatus conditionales, & pactionales præcipuè prohibētur, cum eligere ex pacto ſit ſimoniacum. Verum quidem eſt, quod ſi conditio appoſita ſit adequatè neceſſaria ex parte electionis, vt electio ſit legitima, & in indiuiduo honeſta, & Deo grata, vt ſit dicatur eligam Titium, ſi cum ſedes vacauerit erit omnium optimus, huiuſmodi voluntas nec obiectiuè eſt mala, nec eſt prohibita haberi etiam viuente Papa, quia imò hæc voluntas ſemper eſt habenda, quia cum haberi debeat voluntas eligendi optimum, haberi etiam debet voluntas conditionata eligendi hunc, vel illum determinatè ſub conditione, quod tempore electionis ſit optimus. Et pariter ſi tractatus ſit conditionatus ex parte tractantium, vt ſi dicatur libenter eligerem talem, ſi eſſet tempus eligendi, vel ſi hoc, vel aliud non obſtaret, non eſt tractatus ex vi Paulinæ prohibitus, quia hic tractatus nec eſt deliberatus, nec efficax, & imò conſenſus talis non eſt voluntas, quæ adſit, ſed quæ adeſſet ſi aliqua conditio poneretur, vel non poneretur. Sic ſi quis diceret libenter conſentirem in electione Titij, ſi nunc eſſet conſentiendi tempus, & hoc non eſſet per Paulinam, aut alias leges prohibitum, ipſe legem Paulinæ ſeruaret, non verò illi aduerſaretur.

29. Tandem aduertendum, quod licet Papa moriturus ſoleat Cadinalibus commendare Eccleſiam, & noui Pontificis electionem, non cenſetur per hoc dare licentiam ex tunc tractandi de electione, quia commendatio illa Papæ morientis habet conditionem hanc annexam, ſcilicet ſeruato iuris ordine, & tempore legitimo. Coccinus vbi ſupra *num. 3.*

30. Secunda actio prohibita eſt tentare. Quia enim poteſt eſſe, quod tractatus non ſit completus, quia is, cum quo quis voluit tractare, vel noluit conſentire, vel in tractatu nihil deliberatum fuit & concluſum, & negotium remanſit ſuſpenſum, ideo Pontifex omnem tractatum volens excludere, prohibuit nedum tractare, ſed etiam tentare cum aliquo de eligendo futuro Pontifice. Ideò ſi aliquis Cardinalis ſede

non

Digitized by Google

non vacante promittat alicui ſuum votum, etiam ſi alius non acceptet, Cardinalis promittens ſubditur pœnis huius Conſtitutionis, Caſtell. *cap. 10. de elect. num. 19.* Vbi quod idem dicendum de Cardinali, qui cæpit tractatum oblationis ſui voti, & impeditus non potuit illum proſequi. Item ſi Cardinalis ab alio petat ſuffragium vel pro ſe, vel pro alio, etiamſi illud non obtineat. Item ſi Cardinalis alteri conſulat, vel ſuadeat, vt aliquem eligat, & non perſuadeat, ſed reijciatur. Item ſi Cardinales ſimul tractent de aliquo eligendo, & conſideratus hic inde plurium meritis, aut qualitatibus nihil deliberent. Vel ſi deliberãdo inter eos de eligendo aliquo diſcutiant media, & nihilominus nullum deliberatè eligant. Item ſi quis immediatè, vel mediatè agat apud Regem, vt ſibi affectis Cardinalibus proponatur ab eo, vt ſe vel alium eligant, vel quomodocunque immediatè, vel mediatè procuret ſuffragium pro futura electione obtinere. Item ſi Rex viuente Pontifice mandet ſuo Oratori, vt huius, vel illius electionem adueniente vacantia promoueat. In his enim, & omnibus alijs ſimilibus modis, in quibus aliquis Cardinalis in quantum ſit ex ſe, ipſo tentat cum aliquo de eligendo Summo *Pontifice* ſubditur pœnis Conſtitutionis Paulinæ. Tentare enim eſt rem incertam aggredi, inquirere, nec de eius ratione eſt conſecutio effectus, ſed ſola aggreſſio ad habendum aliquid tentatio eſt, ideo Cardinalis cum aliquo tentat de eligendo Pontifice, quando aggreditur, & inquirit, vt aliquis eligatur.

31. Si tamen externa locutio de electione *Pontificis*, nec ſit tractatus completus, quia nihil deliberatur ad futuram electionem exercitè habendam, nec ſit tentatio, quia non habetur ſermo de ea habenda, & illius diſcuſſio & inquiſitio, ſeu nihil petitur, nihil conſulitur, nihil inquiritur, ſed (licet ex animo parandi viam ad ſui, vel alterius electionem), vel demerita aliquorum extolluntur, vel inutilitas ex alterius electione exaggeratur, vel laudantur alicuius merita abſq; eo quod agatur de huius, vel illius electione habenda, vnde nihil etiam promittitur, nihil tranſigitur, nihil concluditur, aut deliberatur, imò nihil petitur, aut ſuadetur, quia propriè ſic loqui non eſt tractare, nec eſt tentare de aliquo eligendo, ideo non eſt contra Conſtitut. Pauli IV. Lauor. *variar. lucubr. tit. 4. de elect. cap. 3. num. 61.*

32. Ideò pro hac parte ad dubium ſupra *num. 21.* poſitum dicitur, quod vbi tractatur de excluſione alicuius, vel aliquorum merè, & purè, & itaut exterius nullum eſt verbum, quod ſonet incluſionem alicuius, etiamſi alias tractans excluſionem intendat ex hoc ſibi parare viam ad incluſionem alicuius, ſi ipſa externa locutio non eſt tentatio, ſed ſolum eſt excluſio non compræhenditur ſub Paulina, vt prohibente tentationem electionis. Quia actio externa ex fine operis ſolum tendit ad excluſionem, non verò ad incluſionem. Si verò externa actio non eſt prohibita, mala intentio agentis non facit, vt actio illa cadat ſub lege alias actionem prohibente. Quia lex humana intentionem agentis non reſpicit, ſed externam actionem mandat, vel prohibet, quia legiſlator humanus intentionem non videt, vt habet D. Th. *prim. 2. q. 100. art. 9.* Nec obſtat ſi dicatur, quod Eccleſia punit etiam actus interiores quando ſunt coniuncti cum exterioribus, vnde orationem diſtractam damnat, quia intentio operantis, extrinſeca actioni externæ nõ eſt per ſe eidem actioni coniuncta. Et in propoſito noſtro ſi actio ipſa externa vere vt externa eſt non eſt tentatio incluſionis alicuius, nec explicita, nec implicita illi accidit, & extrinſecum eſt, quod operans per eam incluſionem intendat. Si tamen excludens tot excludat, vt non remaneat includendus niſi vnus in indiuiduo, ad cuius incluſionem ipſe de excluſione agit, ſiue ex quacunque alia cauſa actio externa eſt implicitè vel moraliter, & æquiualenter incluſio alicuius, iam talis excluſio intrinſicè etiam eſt incluſio, & eſt ſaltem tentatio Incluſionis per Paulinam prohibita. Et non intereſt modo ſi huiuſmodi tentatio reſpiciat incluſionem digni, vel dignioris, quia tanquam facta in tempore per Paulinam prohibito eſt actio prohibita, & pœnis legis ſubiecta.

33. Sed forſan inquiret aliquis, quid ſit externa tentatio, & qui ſint modi illius. Reſpondetur verò, quod tentatio diſtinguitur à tractatu, quia tractatus conſummatus importat deliberationem ex parte omnium de electione Succeſſoris habenda diſſentientium, ſed tentatio neceſſario hanc non importat, niſi ex parte alicuius. Duplici autem modo fieri poteſt, quia vel ſupponit animum determinatum de alicuius electione in ijs, qui de electione illius loquuntur, & qui proptereà inter ſe diſcurrunt, & inquirunt; vel de acquirendo ſuffragio ab aliquo alio, vel de differenda vel accelerandа prout opus fuerit electione, vel de medijs oportunis ad obtinendam electionem illius quem deſiderant, vel de aliquo alio ſpectante ad eius electionem, & tamen nihil deliberant. Et ideo dicuntur tentare, quia licet in illis ſit deliberatus animus eligendi aliquem, nihil tamen deliberatè concludunt circa ea, quæ pro obtinenda electione inquirunt, & ſic non tam tractant quã tentant. Alio modo ſit tentatio quando in vno eſt deliberatus animus aliquem eligendi, & ipſe procurat, vt inducat aliquem alium ad eum eligendum. Et ſi quidem obtineat, iam hic erit tractatus conſummatus, ſi non obtineat erit tentatio, & ità tentatio hoc modo ſumpta erit vel præceptum, vel conſilium, vel ſuaſio, vel poſtulatio, vel aliud ſimile. Et hæc tentatio debet habere pro obiecto electionem ſucceſſoris, vt deliberandam ſede non vacante, vt ſit tentatio de eligendo. Nam alias ſi quis procuret vel conſequi huius, vel illius amorem, vel auertere huius, vel illius odium ad finem obtinendæ electionis tempore ſuo, hic ſede non vacante non tentat de eligendo, ſi nullum tunc ſermonem habet de electione habenda. Nam quod præcipuè prohibitum eſt per Paulinam, & alias ſimiles Conſtitutiones eſt deliberare ſede nondum vacante de ſucceſſoris electione, & ſic tractare eſt deliberare de electione habenda in perſonam alicuius, & tentare eſt procurare hanc delibera-

tio-

Digitized by Google

tionem, vt habendam ſede non vacante. Et propterea qui procurat vel amorem, vel odij extinctionem, vel quodcunque aliud, quod poteſt eſſe diſpoſitio ad habēdam electionem tempore ſuo, ſed nihil de electione loquitur, nec tentat de eligendo ſede non vacante, nec incidit in pœnas Paulinæ, quia ipſe nihil de eligendo loquitur, ſeu non procurat, vt aliquis tempore non habili de electione decernat. Vnde ille dicitur tentare de eligendo, qui vi vel pure, vel ſuaſione, aut conſilio, aut alio ſimili modo procurat, vt aliquis ex nunc, cum ſedes non vacat decernat vel dare ſuffragium, vel aliquid agere, quod ad electionem ſpectet, & ſic vel promittat votum, vel promittat mediationem, vel aliquid ſimile decernat. Quod licet non obtineatur tamen tentationis actio eſt conſummata in ratione tentationis, & ſufficit ad incurſum pœnarum.

34. Nam, & imo ex *Coccino* loco citato *n.* 11, aduertendum eſt, quod dupliciter poteſt aliquis tentare de aliquo eligendo, vel ſcilicet primo, vt tentatus ex nunc decernat ſe electurum Titium, vel vt non ex nunc ſed adueniente vacantia ſedis, tunc tentatus moueatur, vt Titium eligat. In primo ſenſu tentatio ſine dubio eſt contra *P*aulinam. Sed ſecundo modo ſi fiat tractatus non eſt ſub Paulina comprehenſus. Quia talis non eſt tractatus diffinitiuus de præſenti. Quod enim præcipuè prohibetur eſt Sede non vacante deliberare de electione futuri Pontificis, ideo qui tractat cum aliquo, vt obtineat ab eo ex nunc conſenſum determinatum de alicuius electione, ſiue illud obtineat, ſiue non obtineat, tentat de eligendo illum, & ſubditur pœnis *P*aulinæ. Sed ſi extrinſecus tractatus vi ſua non poſtulat aliquem conſenſum de præſenti, ſed ſolum eſt diſpoſitio proficua pro obtinendo conſenſu in electionem alicuius pro tempore habili ſui tractatus non eſt tentatio de eligendo, ſed eſt remota quædam diſpoſitio pro habenda electione alicuius tunc cum venerit legitimum tempus illam habendi.

35. Sed forſan dicet aliquis, quod ſicut non ſubditur Paulinæ, qui extrinſecus non tentat, licet intendat conſequi de præſenti conſenſum in alicuius electionem, ita è contra dicendum eſt peccare, qui extrinſecus tentat, licet non ex intentione quia iſte elicit actionem externam, quæ eſt prohibita. Reſpondetur vero, quod talis ſine dubio in foro externo punietur, nec iuuabit eum excuſatio non malæ intentionis. Sed & coram Deo peccare dicendus eſt, niſi eum ignorantia excuſet à peccato, quia bona intentio non excuſat actionem alias malam, & à lege prohibitam. Et eo magis in præſenti vbi in lege non eſt verbum præſumpſerint, ſed abſolutè prohibetur tractare, vel tentare de eligendo ſucceſſore Sede non vacante.

36. Sed quid dicendum, ſi qui incæpit tractare ſcit, quod licet exterior ſermo non ſit de ſui natura talis vt ſit ſufficiens ad mouendum audientem ad volendam alicuius electionem, quia talis ſermo nec eſt conſilium, neque ſuaſio, neque poſtulatio, neque præceptum, neque aliquod ſimile, ſed v. g. eſt ſola commendatio virtutum alicuius, vel alterius reprobatio, ſed tamen ſic tractans ſcit aliunde, quod audiens ex hoc mouebitur, vt ex nunc decernat electionem alicuius, tunc & in hoc caſu ſimilis tractatus poteſt ne dici tentatio prohibita? Affirmat *C*occinus loco citato *num.* 20. quia ad voluntarium, & ad hoc vt aliquis ſubdatur pœnis culpæ, & pœnæ ſufficit, quod euentus malus ſit præuiſus, quia hoc modo eſt volitus in cauſa. Sed diſtinguendum eſt. Nam bene poteſt eſſe, quod aliqua externa locutio implicitè, ſeu virtualiter, & moraliter ſit tentatio alterius voluntatis, prout eſt ab vno ad vnum, & non prout eſt ab alio, & ad alium nam ſæpè ſola deſideria perſonæ habent vim nedum ſupplicationis, ſed mandati nam & *P*rincipes cenſentur præcipere, & exigere aliquid ex eo ſolo, quod ſibi illud placere demonſtrant. Videndum igitur eſt primò ne ſola commendatio perſonæ cenſenda ſit ſupplicatio, ſeu etiam præceptum de eo eligendo. Nam quotieſcumque externa locutio eſt, vel formaliter, vel virtualiter ſpectatis in indiuiduo circunſtantijs ſupplicatio, vel ſuaſio, vel etiam mandatum, aut aliquid ſimile, ſine dubio eſt tentatio ſi non eſt tractatus completus. Sed ſi in rei veritate locutio externa non eſt de genere ſuo inductiua ad conſenſum habendum de præſenti in electionem, tamen eſt tentatio de facto ex circunſtantia perſonæ audientis, ex qua habet, vt ſit ſufficiens excitatio ad actionem nimirum ad habendum de præſenti externum conſenſum de aliquo eligendo eſt actu prohibita, nam & quatenus quis contendere vellet, & negare, quod hæc ſit propriè tentatio, negare non poterit, quod non ſit aliquod facere, vel aliquod dare operam ſaltem incidentaliter, ad hoc vt aliquis ſede non vacante decernat alicuius electionem in futurum Pontificem. Huiuſmodi verò actiones ſunt prohibitæ per Paulinam in §. *quodque ſimiles*.

37. Colligitur primo ex his, quod licet ambire *P*apatum ſemper ſit malum, nam ambitio in malum ſumitur, & definitur à D. Thoma 2. 2. *q.* 131. *art.* 1. quod ſit inordinata cupiditas honoris, & dignitatis, vnde ambitio Papatus eſt inordinata cupiditas honoris, & dignitatis Papalis, et Papatus cupiditas ex multis cauſis poſſit eſſe ambitio inordinata, vt quia appetens eſt indignus, vel etiam inhabilis ad tantam dignitatem, vel quia illam ita deſiderat, vt inquirat per indebita media, nihilominus per *C*onſtitut. Pauli IV. non prohibetur ambitus Papatus vniuerſaliter, ſed ſolum ex eo, quod procuratur, & de eo tractatur vel tentatur ſede nondum vacante; Vnde non bene fuit dictum à Bonacin. vbi ſupra *num.* 3. quod prima actio prohibita per Paulum IV. ſic ambire Papatum quia Paulus IV. deteſtatus quidem fuit ambitu *P*apatus, & aliorum Pontificum Conſtitutiones contra illum latas confirmauit, ſed tamen ipſe prohibuit ſolum ſic ambire Papatum, vt ex hoc tractetur ſede non vacante per ſe, vel per alium verbis ſcriptis, nuncijs de eligendo Pontifice, vel tentetur.

38. *C*olligitur ſecundo quod hoc modo tractare, aut tentare de eligendo futuro Pontifice

Sede

Sede non vacante eſt grauiſſimum crimen, vnde merito contra illud ſtatutæ ſunt grauiſſimæ pœnæ, & quidem ſententiæ latæ. Prima eſt excommunicatio maior, & maledictio æterna Papæ reſeruata, ſecunda incurſus criminis ſimoniæ, tertia incurſus læſæ maieſtatis in primo capite. Tractantem enim Principe viuente de ſucceſſore reum eſſe leſæ maieſtatis docuerat etiam Baldus *in l. quoniam liberi C. de teſtibus*, quarta eſt priuatio omnis honoris, & dignitatis etiam Cardinalatus, etiam Regalis, & Imperialis. Quinta eſt priuatio omnium beneficiorum, officiorum, & penſionum, & dominiorum, & bonorum, etiam patrimonialium & allodialium, ſexta priuatio vocis actiuæ, & paſſiuæ. Septima eſt inhabilitas ad honores, & dignitates, & bona, & iura, & legitimos actus. Octaua eſt infamia indelebilis niſi per Papam.

39. Quamuis vero huiuſmodi pœnę ſint latæ ſententiæ, tamen dempta pœna excommunicationis aliæ non incurruntur in conſcientia ante declaratoriam taliter, vt delinquens ſit priuatus poſſeſſione, & teneatur ſubire exercitè pœnam, ſunt enim pœnæ grauiſſimæ, & humanam fragilitatem ſuperat, quod quis deponat ſponte Imperialem, vel Regalem auctoritatem, vel Cardinalatus honorem ideo non eſt cenſendum quod Pontifex voluerit, quod delinquentes contra ſuam Conſtitutionem eſſent ſui ipſorum carnifices, & ſpoliatores bonorum. Et in ſimili *cap. de hæret. in 6.* cum hæretici ipſo facto ſint priuati bonis, tamen ante ſententiam declaratoriam criminis non ſunt priuati poſſeſſione, & non tenentur in conſcientia relinquere bona, vnde huiuſmodi leges pœnales non obligant ad pœnam in conſcientia ſubeundam, ante ſententiam declaratoriam.

40. An verò qui Papatum deſiderat peccet mortaliter vel non peccet, dixi ſufficicienter in *Commētaria ad articulum primū q.185.to.1. de Stat.*

41. Poſtquam vero Paulus IV. promulgauit legem contra tractantes, & tentantes de eligendo Pontifice ſede nondum vacante contra huius criminis complices eandem legem extendit §. *Quodque ſimiles ſententias, cenſuras, & pœnas reſpectiue incurrerint, & incurrant ipſo iure, ac facto, ac ſine alicuius ſententiæ prolatione omnes, & ſinguli etiam vt præmittitur qualificati, & dignitatibus huiuſmodi præditi cuiuſuis ſexus, & ordinis exiſtant qui per ſe, vel alium, ſeu alios a die noſtræ ad ſummi Apoſtolatus apicem aſſumptionis vſque in hanc diem in præmiſſis, aut eorum aliquo quouis auxilium conſilium, vel fauorem, ſeu operam verbis, vel ſcriptis, aut re vel facto, ſeu promiſſione, pollicitatione, ſuaſione, vel his modis inſimul, aut quouis alio modo directè, vel indirectè perſonaliter, vel incidentaliter præſtiterunt, ſeu in futurum quouis etiā ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum tempore præſtabunt, aut in præmiſſis mediatores, proxeneta, nuncii, mandatarii, procuratores, ſeu trapezitæ fuerūnt, vel in poſterū, vt præfertur erunt ſeu alias ſe in præmiſſis quouis modo intromiſerunt vel imiſcuerūt ſeu in poſterū etiam tempore ſucceſſorū huiuſmodi habebunt, niſi ea nobis, aut ſucceſſoribus noſtris, quorum tempore id continget, vel alteri cui id per nos, vel ſucceſſores prædictos commiſſum fuerit per ſe vel alium, ſeu alios cum primum commodè potuerint, reuelauerint etiam ſi in præmiſſis aliquod aliud auxilium, conſilium vel fauorem, aut opem non præſtiterint.*

42. Pœne igitur latæ contra tractantes, aut tentantes cum aliquo de eligendo futuro Pontifice viuente Pontifice, & eo inconſulto, extenduntur ad complices dantes præfatis tractantibus, aut tentantibus auxilium, conſilium, fauorem, vel operam verbis vel ſcriptis, re vel facto, ſeu promiſſione, pollicitatione, ſuaſione, directè, vel indirectè, principaliter, vel incidentaliter, & ad mediatores, proxenetas, nuncios, mandatarios, procuratores, & trapezitas. ſed ad hoc, vt huiuſmodi perſonæ incurrant has pœnas, neceſſe eſt, quod ſequatur tractatus, vel tentatio. Quoniam propter actiones acceſſorias non incurritur excommunicatio niſi poſita actione principaliter prohibita. Bonacin. *vbi ſupra n. 10.* Ideò non benè loquitur Caſtel. *d. cap. 10. n. 20.* dicens huiuſmodi auxilium dantes eſſe excommunicatos, præſertim, quando ſequitur effectus, quia non ſunt excommunicati, niſi ſequatur tractatus prohibitus aut tentatio, qui ſunt eorum auxilij effectus. Verū conſiderandum eſt, quod cum principaliter prohibitum ſit tractare, vel tentare etiam alio mediante, & per nuncium, & per ſcripturas, ideò ſæpius continget, vt eadem actio horum mediatorum cenſenda ſit principalis, & ſufficiens ad hoc, vt tam principales, quam mediatores incurrant dictas pœnas, ſi nomine principalium mediatores de eligendo vt ſupra Pontifice tractent, aut tentent. Secundum quod requiritur eſt, vt præfati auxilium dantes, aut fauentes ſeu mediatores non reuelauerint, quāprimum potuerint principales, & complices Pontifici, vel ei cui ipſe mandauerit. Nam pœnæ præfatæ contra illos feruntur, vt tamen non incurrantur, ſi vt ſupra complices reuelauerint.

43. Nam iſtis ſic reuelantibus, & impunitas, & præmia promittuntur in ſequenti §. *Nos enim iis, qui præmiſſa reuelauerint, etiam ſi complices fuerint, non ſolum veniam, ſed etiam gratiam, & præmia pollicemur, prout etiam ſucceſſores noſtros præfatos facturos eſſe confidimus ad hoc, vt eorum iudicio participes tanti criminis valeant coerceri.*

44. Hinc etiam pro hac parte ſoluitur dubium ſuprapoſitum, & dicitur, quod tractatus excluſiuus etiam ſi ordinetur à tractante ad obtinendam alicuius incluſionem, ſi verè non eſt extrinſecè aliquod tentare incluſionem, vt quia nec ſermo ex vi ſua id habet, nec ex circunſtantijs perſonarum, vnde nec poteſt aut debet præuideri, quod ex tractatu excluſiuo alius inducetur ad includendum aliquem, & conſentiendum in eius electionem, talis tractatus non eſt per Paulinam prohibitus. Sed ſi ſit talis, vt moraliter cenſendus ſit inductio ad hoc, vt audiens conſenſiat in alicuius electionem ſaltem de facto, & ex conditione perſonæ, & incidentaliter, tunc talis tractatus eſt malus, nec excuſatur ex eo quod ſit tractatus de excludendo indigno, vel minus digno, quia cum hoc ſimul

L habet,

habet, vt de facto, & incidentaliter ſit tentatio, vel auxilium, vel opera præſtita liberè ad hoc, vt ſede nondum vacante aliquis decernat alicuius electionem, quod eſt facere contrà Paulinã.

45. Tandem pœna anathematis damnat eos, qui ſuæ Conſtitutioni contradicere auſi fuerint, eamque vel iniuſtam, vel inualidam dixerint, decernens contra eos, tanquam contrà Schimaticos, & hæreticos poſſe inquiri. Sic enim, vt in ſequenti §. *Et ſi quis vllo vnquam etiam dd. noſtrorum ſucceſſorum tempore præſentes literas, & in eis contenta quæcunque iniuſta, illicita, vel iniqua exiſtere, aut in toto, vel in parte non valere, ſeu aliquo tempore non valitura eſſe, vel à nobis ſic fieri non potuiſſe, aut non debuiſſe, auſu temerario aſſerere præſumpſerit, cuiuſcunque dignitatis exiſtat, etiam ſi Cardinalatus honore, aut Regia, vel Imperiali præeminentia, & excellentia præfulgeat, ipſo iure, & facto anathematis mucrone percuſſus ſit, & contrà eum tanquam verè ſchiſmaticum, & hæreticum inquiri, & tanquam talis puniri, eiuſque memoria damnari poſſit*.

46. Circa præfatas excommunicationes, & pœnas autem aduertendum eſt Vrbanum Octauum in Breui Reformationis Sacræ Pœnitentiariæ dato anno 1634. 27. Septembris inhibuiſſe maiori Pœnitentiario, & alijs officialibus illius abſoluere in illis.

47. Putat etiam Nauar. *conſ. 17. de ſent. excom* præfatos tractantes de futuro Pontifice ſede non vacante incurrere in excommunicationem, & pœnas Extrauag. 2. *de Simonia*. Sed id negatur niſi tractantes iſti ſic tractent, quod adhibeant prætium ſimoniacum. Putat etiam quod incurrant excommunicationem latam in Extrauag. 1. *de ſentent. excom.* & in Conſtitut. Gregor. XIII. de datis, & promiſſis. Sed neque hoc admittitur, quia Collegium Cardinalium non eſt Sedes Apoſtolica, vnde qui dat pro obtinendo ſuffragio à Cardinalibus non dat pro aliquo obtinendo à Sede Apoſtolica Theſaur. *v. ambitus cap.* 2. §. *Nauarrus*.

An viuente Papa, vel etiam eo mortuo haberi poſſint ſponſiones ſuper vita, morte, & electione futuri Pontificis.

QVÆSTIO XVIII.

1. RESpondetur haberi non poſſe: Sponſio autē idem eſt ac depoſitio vulgo *ſcommeſſa* ex Paride de Puteo *tit. de ludo.* Azor. t. 3. *l.* 11. *c.* 19. *q.* 20. Soto *l.* 4. *de iuſt. q.* 5. *a.* 2. Molin. *tract.* 2. *de contract. diſp.* 508. et alijs, quos refert Scortia in ſelect. Theor. 384. & colligitur ex illo Virgil. in Bucol. *Depono, tu dic mecum quo pignore certes*. Dicitur enim depoſitio, quia pecunia, aut aliud apud tertium deponitur dandum vincenti, de qua *l. ſi rem* §. *ſi quis ſponſionis ff. de præſcript.* & dicitur ſponſio, quia alter alteri ſpondet, ſi res aliter euenerit, quàm ipſe aſſirmat, ſe aliquid colludenti ſoluturum.

2. Huiuſmodi autem ſponſiones fieri ſuper futura electione Pontificis prohibuerat Pius IV. in Conſtitutione *In eligendis* §. *Prohibentes*, ſed poſteà eaſdem fieri ſuper vita, aut morte, aut electione Pontificis, & creatione Cardinalium prohibuit Gregor. XIV. in Conſtitut. 4. *Cogit nos*, &c. in §. *nos igitur* ibi: *Damnamus, & reprobamus omnes, & quaſcunque ſponſiones, promiſſiones, ſtipulationes, conuentiones, aut pacta, excommiſſas vulgò dictas, quouis nomine aut vocabulo appellatas, quas &c.* vel ſub quauis nominati, vel innominati contractus forma, aut conditione in euentum vitæ, aut mortis vel futuræ creationis Summi Pontificis, tam eo viuente, quam Apoſtolica Sede vacante, aut in euentum promotionum S. R. E. Cardinalium fieri contingerit.

3. Prima autem pœna lata contra huiuſmodi ſpondentes, eſt nullitas ſponſionum talis, vt ex eis etiam iuramento firmatis, aut Inſtrumento in forma Cameræ roboratis nulla oriatur obligatio etiam in conſcientia nullumque dominium etiamſi ſolutæ, vel condonatæ fuerint. Secunda pœna eſt, vt quid quid pecuniarum aut alterius rei in iis ſponſionibus deductum fuerit eo ipſo pijs locis eiuſdem loci applicentur, in quo ipſæ ſponſiones initæ ſunt, vel vbi primum detectæ fuerunt, etiamſi prius alibi initæ fuerint, & ſpondentes ad id reſtituendum in vtroque foro teneantur, & ad id ab Epiſcopo compelli debeant, & ſi ſint ibi plura loca pia, præferatur qui prior agere cœperit. Et itaut hæc pia loca non poſſint componere cum dictis ſpondentibus, & aliquid compenſare, & ſi fiat compoſitio, & condonatio ipſa ſit nulla, & quod integrè non fuit exactum ad alia loca pia deuolutum cenſeatur, donec pœna prædicta integrè à tranſgreſſoribus fuerit perſoluta; tertia pœna eſt, vt ſi ſpondentes ſint Clerici quicunque etiam Epiſcopi, Archiepiſcopi, Patriarchæ, ſeu Cardinales, eo ipſo ſint priuati beneficiis, quæ eo ipſo cenſeantur vacare, & de quibus Ordinarij Collatores poſſint alios prouidere etiamſi illa eſſent affecta Sedi Apoſtolicæ. Quarta pœna eſt excommunicatio latæ ſententiæ reſeruata Papæ, à qua nec in mortis articulo ſpondentes abſolui poſſint, ſi aliquid præmiſſarum ſponſionum occaſione receperunt, niſi præuia eiuſdem reſtitutione. Et huic Cenſuræ ſubduntur quicunque etiam Cardinales, & etiam Reges, ac Imperatores, ſi hanc legem tranſgrediantur.

4. Extenditur verò hæc excommunicatio ad Imperatores, Reges, Dominos, Conſiliarios, Magiſtratus, Poteſtates, Gubernatores, Præfectos, aut Locumtenentes, ſi huiuſmodi ſponſiones in eorum locis fieri permiſſerint. Et amplius ad dantes auxilium, conſilium, vel fauorem, & in quoſcunque proxenetas, vel mediatores. Vide de his Sayrum *lib.* 2. *cap.* 31. *n.* 2. Filliuc. *tract.* 32. *n.* 105. Scortiam *in ſelect. Theor.* 834. Theſaur. *v. ſponſiones cap.* 1.

5. Legem autem hanc quantum ad obligationem reſtituendi lucrum fuiſſe conſuetudine abrogatam dixit Azor. 3. *p. l.* 11. *c.* 20. *dub.* 2. Sed hoc non admittitur à Filliuc. *tract.* 37. *cap.* 2. *q.* 7.

6. In ar-

6. In articulo verò mortis poſſe tranſgreſſorem abſolui etiam non præmiſſa reſtitutione, quia non irritatur abſolutio, & quia ille ablatiuus abſolutus, prænia reſtitutione integra, &c. non importat conditionem, tenet Bonac. *de Cenſur. in partic d. 2. q. 2. p. 3. n. 7.* Sed oppoſitum docet Scortia d. Theorem. 384. quia Pontifex non dat facultatem abſoluendi, niſi poſita illa conditione iuxtà doctrinam Caiet. *v. abſolutio*, & Suarez *de Cenſ. l. 7. ſect. 5. n. 44.*

7. Contractum quoque ſponſionum non eſſe iure naturæ illicitum, cum non ſit contrà aliquam iuſtitiam dixerunt Sotus *l. 4. de iuſt. q. 5. a. 2.* Nauar. *cap. 20. n. 18.* Lopez *p. 2. c. 21.* Azor. *p. 3. l. 11. c. 19. d. 1.* Bonacina vbi ſupra, & alij plures, quos refert, & ſequitur Scortia d. Theor. 384. quidquid in contrarium tenuerint Sylueſ. *v. negotium*, & Conrad. *de contract. q. 71.*

Quando ſede iam vacante fieri debeat electio Papæ.

QVÆSTIO XIX.

1. ANtiquitùs non erat ad hoc tempus determinatum, & fiebat aliquando ea ipſa die ſepulturæ Pontificis Defuncti. Sic enim Leo III. ipſo die mortis Hadriani Primi anno 796. & Leo IV. ipſo die obitus Sergij II. anno 845. creati fuerunt Pontifices, & antea Siſinius poſt Ioannem VII. anno 705. At vero Bonifacium II. qui floruit anno 580. inſtituiſſe vt in demortui locum tertia die ſi fieri poſſet eligeretur nouus Pontifex, refert Ciacconus, & dixit Tuſcus *litt. E. concl. 57. n. 2.* Sed & decretum emanaſſe, vt de electione Papç non ageretur niſi poſt triduum tradit ex Anaſtaſio Baron. ad ann. 606. Ad quod probandum Lauor. *de elect. cap. 10. n. 63.* citat *cap. Obeuntibus 63. diſt.* vbi nihil habetur, quod ad rem faciat, quia textus de Epiſcoporum electione habenda intra tres menſes à vacantia Eccleſię loquitur, Et nihilominus iuxta Eccleſiæ neceſſitatem ſæpius etiam ante triduum Pontificis electio celebrata fuit. Nam poſt mortem Eugenij II. vacauit ſedes diem vnum, electo ſtatim Valentino Primo anno 827. Et poſt mortem Formoſi vacauit ſedes duos dies poſt quos electus fuit Bonifacius VI. anno 896. inter mortem Romani, & electionem Theodori anno 900. & rurſus inter mortem Theodori II. & electionem Io: IX. anno 900. & iterum inter mortem Io: IX. & electionem Benedicti IV. anno 905. vacauit ſedes diem vnum, & dies duos poſt mortem Anaſtaſij II. & electionem Landi anno 913. & poſt mortem Ioann. X. & electionem Leonis VI. anno 928. poſt cuius mortem vacante Sede vno die electus fuit Stephanus Octauus dictus VII. eodem anno poſt cuius mortem vacauit Sedes duos dies electo Ioanne XI. anno 931. & ab eius morte vno die vacante Sede electus fuit Leo II. anno 935. Sicut & inter mortem Io. XV. & Ioann. XVI. diem vnum ſedes vacauit anno 985. & diem vnum vacauit pariter inter mortem Benedicti VII. alias VIII. & electionem Ioannis XIX. an. 1024. poſt cuius mortem vacata ſede duos dies electus fuit Benedictus Octauus alias IX. an. 1033. & Gregor. VII. anno 1075. tertia die poſt ſepulturam Alexan. II. electus fuit. Quæ omnia refert Ciacon. in vita dd. Pontificum. Sed modo per decem dies expectantur Cardinales abſentes, & poſteà Cardinales præſentes ingrediuntur Conclaue & die ſequenti procedunt ad electionem, & ità vt bis in die procedere debeant, donec Pontifex ſit electus. Quod per decem dies expectari debeant abſentes primus ſtatuit Gregor. X. in Concil. Lugdun. & habetur *cap. vbi periculum de elect. in 6. §. hoc Sacro. Cardinales qui fuerint in ipſa Ciuitate præſentes abſentes expectare decem diebus tantummodò teneantur, quibus elapſis ſiue abſentes venerint, ſiue non, ex tunc omnes conueniant in palatio &c.* hoc idem poſteà confirmarunt Pius IV. in Conſtitutione in eligendis §. *nos quantum*, & Gregor. XV. in Cæremoniali.

2. Hos verò decem dies numerandos eſſe à die mortis Pontificis tradiderunt ad d. §. *hoc Sacro* Gemin. *n. 6.* Franc. *n. 14.* Barbos. *& l. 1. de iure Eccleſ. cap. 1. n. 60.* Sed hoc ipſum expreſsè declarauit Pius IV. §. *lapſis verò decem diebus à die obitus Pontificis ingreſſus Conclauis minimè differatur.*

3. In his autem decem diebus fiunt exequiæ Pontificis defuncti, vt habet Pius IV. *d. §. nos quantum*, ibi, *Et interim ſolitas nouem continuorum dierum exequias omninò peragant, nec vllo prætextu vlterius differant.* In hoc eodem tempore ſæpius congregantur Cardinales pro diſponendis ijs, quæ ad Eccleſiæ gubernium, & ad Conſtructionem Conclauis, & ad miſſionem, & approbationem Conclauiſtarum, & ad futuram electionem Pontificis opportuna Cenſentur. Inprima autem Congregatione per Cardinales habita, vt habetur in Cæremon. Cardinales præſtant iuramentum de obſeruandis Conſtitutionibus Gregor. XV. de electione Pontificis, & alijs iurari ſolitis. Exequijs verò Pontificis defuncti per nouem dies completis Cardinales in Baſilica S. Petri, vel alibi pro temporis, & loci opportunitate conueniunt, vbi per Decanum, aut alium ex antiquioribus Cardinalibus cantatur miſſa de Spiritu Sancto, & per Oratorem deputatum habetur oratio & his peractis Cardinales proceſſionaliter intrant Conclaue, Epiſcopi primum, deinde Presbyteri, & poſtea Diaconi, & interim à Cantoribus cantatur hymnus: *Veni Creator Spiritus.* Et cum proceſſio ad Cappellam intrà Conclaue peruenerit, Cardinalium Decanus dicit orationem *Deus, qui corda fidelium.* Et poſteà Cardinales iurant Conſtitutiones de Romani Pontificis electione, & poſteà habetur per Decanum exortatio, qua finita Cardinalium vnuſquiſque ad Cellam ſorte ei deputatam accedit. Et poſt prandium coram Cardinalibus congregatis officiales Conclauis iuramentum præſtant, & de ſero tribus vicibus pulſata Campana circa horam tertiam noctis clauditur Conclaue, & tres Cardinales capita ordinum. & Camerarius cum magiſtro Ceremoniarum viſitant diligenter Conclaue, & facto Inſtrumento rogato per magiſtrum Ceremoniarum de clauſura Conclauis, ſe-

quenti die procedunt Cardinales ad electionem Pontificis.

4. Per præfatos autem decem dies tenentur quidem Cardinales preſentes expectare Cardinales abſentes, ſed non tenentur eos citare vel vocare, ſunt enim citati ſufficienter ex lege ad locum in quo eſt audientia Papę tempore mortis eius, vel ad vrbem propinquiorem loco, in quo Pontifex defunctus fuit, iuxta dicta ſupra *q.* 8. ideo non ſunt amplius vocandi Gloſſ. *in cap. vbi periculum de elect. in 6. v. decem diebus.* Franc. ibid. §. *hoc ſacro n.* 14. Theſaur. *v. Conclaue n.* 1. Lauor. *cap.* 7. *n.* 7. Barbos. *l.* 1. *de iur. Eccleſ. cap.* 1. *n.* 62. *&* 63. *& ad d.* §. *hoc ſacro.*

5. Sed nunquid ſunt ſaltem ad monendi de morte Pontificis, vt poſſint iter arripere, & ad nouam electionem venire? Cardinales monendos eſſe tradit Barbos. *l. primo de Iur. Eccl. cap.* 1. *n.* 60. *& ad d. cap. vbi periculum* §. *hoc Sacro*, Sed vnde hoc collegerit non exprimit. Neque hoc vel alicubi ſtatutum, vel ab alio Doctore tãquam neceſſarium iudicatum fuiſſe lego. Et quidem verum eſt, quod à Cardinalibus admoneantur abſentes de Pontificis morte. Et Lauor. poſt tractat 4. de elect. ponit exemplar litterarum, quæ nomine Collegij Cardinalium ſcriptæ ſunt poſt mortem Pauli V. pro monendis Cardinalibus abſentibus de eius morte, Sed hoc eſt ad decentiam, & bene eſſe non de neceſſitate, quia Gregor. X. & Pius IV. & Gregor. XV. ſolum iubent, vt Cardinales expectentur, non verò vt admoneantur. Et alias mors Pontificis ſtatim per totum mundum ſui rumorem ſpargit, & habentes intereſſe in electione, & ſuffragio abſentium non dormiunt, ſed illos admonent & ad veniendum inuitant.

6. Quæri etiam poteſt, an ſi adſint præſentes Cardinales præter aliquos ità abſentes, vt infra ſpatium dierum decem venire non poſſint ad locum electionis, poſſint Cardinales procedere ad electionem lapſu decem dierum non expectato. Non poſſe tenuerunt Gloſſ. *v. decem diebus* Archidiac. *col.* 2. Io: Monac. *n.* 5. Anchatan *n.* 2. & ex Guliel. Francus §. *hoc ſacro n.* 15. Manfred. *deciſ.* 226. & apud eum Albanus *quæſt.* 12. Iacobar. Bonacin. *de elect. d.* 1. *q.* 4. *n.* 1. Bald. ad *cap. licet n.* 16. *de elect.* Lauor. *tract.* 3. *cap.* 4. *n.* 3. *& tract.* 4. *cap.* 7. *n.* 5. Coccinus in *manuſcrip.* Gloſſam. *ad* §. *Hac noſtra pag.* 291. Tum quia ſic lex decernit, Tum quia poteſt contingere, vt ipſi à loco remoto receſſerint, & de propinquo ſint. Tum quia hæc mora decem dierum non eſt inſtituta ſolum vt abſentes veniant. ſed vt interim præparetur Conclaue, & fiant ſolemnes exequiæ, defuncto Pontifici. Tum quia cum regulariter non ſtatim poſt conclauis ingreſſum concludatur electio Papæ, bene contingere poteſt, vt longe abſentes, ſi expectentur decem dies ad ingreſſum conclauis adueniant ſaltem tempore electionis. Et quamuis oppoſitum docuerint Archid. *cap. vbi periculum n.* 5. Azor. *p.* 2. *lib.* 4. *c.* 2. *q.* 5. Diana *par.* 5. *tract.* 2. *reſol.* 76. Barboſa *l.* 1. *de Iure Eccl. cap.* 1. *n.* 61. Tamen prior ſententia rationibus dictis præferenda eſt.

7. Ex quo etiam ſequi; quod dato quod omnes Cardinales eſſent præſentes adhuc expectandi eſſent decem dies, quia hi decem dies expectari debent etiam ad exequias peragendas colligit Bonacina vbi ſupra, ſed ratio hæc non vrget, quia principalis cauſa differendi eſt, vt expectentur abſentes, vt in d. cap. *Vbi periculum* §. *hoc ſacro* ibi: *abſentes expectare decem* diebus *tantummodò teneantur*, exequiarum autem nouem dies ex hoc ſtatuti ſunt, quia alias per illos dies non poterat haberi electio. Et ideò ſi omnes Cardinales eſſent præſentes, & Conclaue eſſet paratum, poſſent Cardinales non expectatis decem diebus eligere valide, & etiam licite, ſi iuſta cauſa id poſtularet.

8. Non eſt verò dubium, quod neceſſitas expectandi abſentes per hos decem dies eſt ex lege obligante in conſcientia, cum ſimul ſit nedum ex lege poſitiua, ſed ex lege iuſtitiæ, cum abſentes habeant ius, vt ſine illis infrà terminum decem dierum non fiat electio. Bonacin. vbi ſupra.

9. Et nihilominus dicendum eſt Cardinales ex iuſta cauſa poſſe præuenire lapſum decem dierum, & iuſta cauſa eſt grauis aliqua Eccleſię, ſeu electionis neceſſitas; vt bellum ingruens, timor impreſſionis, aut aeris inficiendi, & alia ſimilis neceſſitas. Qua poſita poſſe anticipari electionem Pontificis tradiderunt Bonacin. vbi ſupra n. 2. & Barboſa d. n. 61. Ad hanc verò neceſſitatem iudicandam ſufficiet maior pars Collegij Cardinalium ſumma verò ſinceritas eſt in ſimili caſu neceſſaria, & omnis dolus, & fraus euitanda, vt lites, & diſſidia tollantur, & vitentur ſchiſmatum occaſiones.

10. Et eadem ratione ex iuſta ſimili cauſa poteſt ingreſſus in Conclaue deferri vltra decem dies. Quæ iuſta cauſa non eſt neceſſitas expectandi aliquem abſentem, quia hæc eſt à iure reprobata. Neceſſitas enim à lege excuſat. Et poſt obitum Alexandri VI. & Pauli III. longius delatam fuiſſe electionem refert Bonacina vbi ſupra. Sed quamuis in electione Pij Tertij poſt mortem Alexandri VI. diutius protractus fuerit ingreſſus in Conclaue, ob violentias Cæſatis Borgiæ, & vt exercitus Gallorum egrederetur ex Vrbe, vt narrat Ciaconus, tamen poſt mortem Pauli Tertij in electione Iulij Tertij poſt decem dies ſtatuto tempore Cardinales ingreſſi ſunt Conclaue, vt idem narrat Ciacconus, licet poſteà non tam citò elegerint Pontificem.

11. Meritò tamen inquiritur an expectare lapſum horum decem dierum, vel non protrahere ingreſſum in Conclaue ad longius tempus ità ſit de neceſſitate, vt electio aliter facta ſit nulla. Hoc enim tempus eſſe de ſubſtantia, & electionem intra decem dies factam eſſe ipſo iure nullam multis probare conatur Albanus *q.* 14. Sed quia hoc eſt expreſsè contrarium *cap. Licet de elect.* non admittens exceptionem aliquam contra electum à duabus partibus Cardinalium, ideò aliorum aliquorum opinio eſt, quod ſi non expectentur illi decem dies ſine iuſta cauſa electio ſit iniuſta, quia contra ius Cardinalium abſentium, ſed tamen non ſit nulla, quia ſicut locus, ſic & tempus non eſt de ſubſtantia electionis. Et de electione Papæ loquendo. Nedum talis e-

lectiò

lectio nõ videtur nulla, ſed neque videtur caſſãda ad inſtantiã abſentium, qui non poſſunt agere de contemptu, quia contra electionem Papæ factam à duabus partibus Cardinalium non datur exceptio, *cap. Licet de elect.* Gloſſ. *cap. Vbi periculum, ver. Decem diebus.* Francus ibid. §. *hoc ſacro nu.* 16. Azor. *par. 2. lib. 4. c. 2. q. 5.* Lauor. *tit. 4. cap. 7. nu. 4.* Diana, *p. 5. tract. 2. reſp. 75.* Barboſ. *l. 1. de iur. Eccleſ. cap. 1. nu. 61. & ad cap. Vbi periculum num.* 19. eThesaur. *v. Conclaue cap.* 1. Bonac. *d. qu. 4. num.* 4 Limitat autem hoc Bonacina, vt electio etiam irrita dicenda ſit, ſi Cardinales, qui intrant Conclaue ante decem dies non ſint duæ tertiæ partes Cardinalium, quia ad electionem Papæ neceſſe eſt, vt electus nominetur à duabus partibus. Verum aliud eſt, quod electio Papæ, vt ſit valida debeat eſſe à duabus partibus Cardinalium, qui ſunt intra Conclaue, quod eſt verum, aliud eſt, quod adhoc vt ſit valida debeant eſſe in Conclaui duæ tertiæ partes Cardinalium, qui ſunt in mundo, & hoc ex nullo textu, aut lege probatur, & abſolutè eſt fal'um. Nam ad validam electionem Papæ ſufficit, quod ſit à duabus partibus Cardinalium præſentium in Conclaui, vt patet ex *cap. Licet de elect.* & Conſtitut. Pij IV. & Gregor. XV. Quare vbi electio Papæ vrgeret, nec poſſent expectari decem dies electio pertineret ad illos Cardinales, quotquot illi eſſent, qui inuenirentur in loco electionis, & vellent intrare, & intrarent Conclaue, prout eſt ſenſus DD. qui citati ſunt.

12. Duæ igitur difficultates ſunt in præſenti opinione, quæ diſcuſſione indigent. Prima an electio ſit valida. Secunda an electio ad inſtãtiam contemptorum ſit caſſanda. Circa primum poterit videri, quod ad valorem electionis *Papæ* ſit neceſſarium, vt in Conclaui ſint duæ tertiæ partes electorum, quia multi tenent hoc eſſe neceſſarium ad valorem electionis de iure communi, vt videre eſt apud Sigiſm. *de elect. dub. 9. num.* 11. Sed in oppoſitum eſt. Tum primo quia de iure communi ſufficit ad valorem electionis, quod in Capitulo ſit maior pars. Nec argumentum ſumptum ex iure ciuili, *l. Nulli, & l. planè, ff. quod cuiuſq. vniuer. nomin. & in l. Nominationum C. de Decur.* aliquid probat. Quia ius ciuiles in hoc eſt abrogatum per ius canonicum, quod ex vna parte vult, vt abſentes vocati habeantur tanquam alieni, & minor pars tunc ſufficiat ad valorem electionis; *cap. Cum nobis de elect.* vbi Panorm. *nu.* 3. & alij, quod de iure ciuili *d. l. Nominationum*, non licet, & ex alia parte lex Canonica *cap. De his, qui fiunt à maiori parte*, vult quod geſta à maiori parte ſint valida. Tum ſecundo, quia electio *Papæ* non ſubeſt communibus legibus de electione lat s. Tum tertio quia electus à duabus partibus Cardinalium exiſtentium in Conclaui habendus eſt, vt Papa non obſtante quacunque exceptione, quæ veniat ex iure poſitiuo, vel non ſit ſtatuta poſt Alexandrũ Tertium cum decreto irritante electionem. At verò cum Gregor. XV. iuxta decretum Concil. Lugdun. & Conſtitut. Pij Quarti requirat, quod Cardinales per decem dies expectent abſentes, nihilominus vbi in §. *Quod ſi electio* irrita ſit electio Papæ, ſi illi deſint aliquæ qualitates ibi numeratæ, non tamen eam irritat, ſi fiat abſentibus non expectatis. Ideò hic recurrendum eſt ad ius naturæ, aut diuinum. Quando autem aliqua actio ſpectat ad vniuerſitatem, aut Collegium, quod fit à maiori parte cenſetur fieri à toto Capitulo, vel Collegio, *c.* 1. *De his quæ fiunt à maiori parte*. Et certè ratio naturalis dictat, vt minor pars non præualeat maiori, nec validè diſponat de his, quæ ad totum Capitulum, ſeù Vniuerſitatem ſpectant. Vndè videtur dicendũ, quod ſufficiat maiorem partem Cardinalium eſſe in Conclaui, & ex his duas tertias partes excepto electi voto conuenire in nominatione vnius.

13. Sed dicitur, quod quæſtio iſta indiget auctoritatiua determinatione. Ex doctrina tamen *Panormit. cap. In Geneſi* 55. *de elect.* quam tetuli in *tract. de elect. cap. 11. nu.* 106. dici poſſet, quod vbi Cardinales ſine cauſa rationabili anticipent non expectantes abſentes per decem dies, vota eorum, qui ſunt abſentes, & non expectati computanda ſunt in numero, ac ſi eſſent præſentes, ac propterea quod ad valorem electionis non ſufficiunt duæ partes exiſtentium in Conclaui, ſed duæ partes ex illis electoribus, & votis omnium eorum qui fuerunt præſentes, & fuerũt expectandi, & non fuerunt expectati. Vndè ad minus computandi ſunt tanquam præſentes, qui infra illos dies antequam incipiant ſcrutinia de iure poterant venire, & adeſſe, & hunc ſenſum habet Gloſſ. citata. Archidia. & Roſell. apud Albanum *q.* 14. & Franc. *d. nu.* 16. Azor. & Diana citati, & alij, qui mouentur hac ratione, quia ſcilicet ſi abſentes non expectati eſſent præſentes, nihilominus electio habita à duabus partibus eſſet valida. Quæ ratio nihil valet niſi ſupponendo, quod in accipiendis duabus partibus illi abſentes computati ſint in numero Cardinalium. Nam ijs non computatis benè contingere poſſet, vt ſi illi fuiſſent præſentes, electio eſſet nulla, quia illis computatis electus non fuiſſet nominatus à duabus partibus. Et ſic ſi iſti abſentes erant v. g. decem, & Conclaue ingreſſi ſunt viginti non expectatis illis decem ad valorem electionis non ſufficit, quod electus ſit nominatus a quatuordecim qui numerus continet duas partes viginti, ſed neceſſe eſt, quod ſit nominatus à viginti ſuo voto excluſo, qui numerus continet duas tertias partes triginta, qui eſt integer numerus eorum qui cenſendi ſunt præſentes, & ponendi in numero electorum. Quod ſi Cardinales licet ante decem dies ingreſſi fuerint Conclaue, tamen electio non facta fuit niſi eo tempore, quo fieri deberet, tunc poſtea ad valorem electionis ſufficit, quod electus habeat duas partes votorum exiſtentium in Conclaui, quia pro eo tempore abſentes non erant expectandi. Verum vt dicebam hæc quæſtio indigeret à Pontifice definiri. Et grauiſſimè peccarent Cardinales hoc modo electionem anticipantes, & Eccleſiam maximo periculo exponerent. Quod tamen nullo modo eſt timendum, vt eueniat ſtante DD. Cardinalium charitate, iuſtitia, & prudentia.

14. Ad ſecundam quæſtionem dicitur, quod vbi electio Papæ alias ſit valida, nulla reſtat a-

ctio

Digitized by Google

ctio de contentu non expectatis, vt bene DD. citati dixerunt, quia nec eſt in mundo poteſtas Superior Papa, qui de eo, & de electione eius certò valida poſſit iudicare, & eam electionem caſſare, niſi Papa exiſtente hæretico incorrigibili. Sed validè electus habendus eſt, vt Papa. Et ideò non habet ſuperiorem, à quo remoueatur. Et bono communi intereſt, vt priuatorum vtile ceſſet in ſimili caſu. Pius IV. Conſtitut. *In eligendis, §. Declarantes*. Et iam ex iure non valet exceptio contra electionem Papæ validam.

15. Electio autem facta dilato ingreſſu in Conclaue vltra, & pluſquam per decem dies nec eſt iniuſta, nec eſt inualida. Non quidem iniuſta, quia non eſt contra ius alicuius, néc etiam inualida, quia id non eſt de ſubſtantia electionis. Non quidem quia in *cap. Vbi periculum* non præcipiatur quod Cardinales non expectent vltra decem dies, ſed quod per decem dies expectent. Nam licet hoc verum ſit, tamen Pius IV. in *d. §. Lapſis verò ſtatuit*, vt lapſis decem diebus qui fuerint præſentes ſtatim Conclaue ingredi teneantur. Sed ratio eſt, quia tempus non eſt de electionis ſubſtantia, præcipuè in electione Pontificis in quo electus à duabus partibus Cardinalium ſine exceptione habendus eſt, vt Pontifex Summus, ideò etſi etiam ſine iuxta cauſa Cardinales different ingredi Conclaue per maius tempus, quàm decem dierum electio eſſet valida. Gambar. *de off. legat. l. 6. nu.* 108. Barboſa *vbi ſup. num. 64. & ad cap. Vbi periculum §. hoc ſacro*. Bonacin. *vbi ſup. n. 5*.

16. Sed quid dicendum ſi maiori parte nolente ingredi Conclaue minor pars ingredi velit, & ingrediatur, poterit ne eligere maiori parte non expectata? Non eſſe hoc attentandum à minori parte ad ſchiſmata euitanda ex Gamb. *de off. legat. lib. 6 nu.* 110. referunt Lauor. *titul. 4. cap. 4. nu. 9.* & Barboſa vbi ſupra. Verum in rigore iuris poteſt minor pars maiori nolente contempta ingredi, & eligere. Nam Pius Quartus ingreſſum præcipit *d. §. Lapſis*, ibi: *Qui fuerint præſentes ſtatim*, ſcilicet, *lapſis* 10. *diebus, Conclaue ingredi teneantur, & ingredientes ipſi abſque mora aliqua, omiſſa omninò Capitulorum confectione primis diebus fieri ſolitorum in electionis negotio procedant, & ſingulis diebus ſcrutinium fiat, & in primo ſcrutinio etiam accedere liceat*. Quilibet igitur Cardinalium habet ius ad legem ſeruandam. Subdit verò Pius in: *Si quis verò intrare noluerint &c. dictæ Conſtitutionis Gregor. X. pœnam incurrant*. Hæc vero pœna eſt priuatio vocis actiuæ, in illa vacantia, vt ſæpius dictum eſt. Nec tenetur minor pars obedire maiori contra legem. Vndè ſi de facto minor pars ingrediatur, & eligat, electio eſt valida, nec maior pars poteſt agere de contemptu, & omni alij cauſæ præponderat accelerata electio Papæ. Et executores tenentur compellere Cardinales ad ingrediendum tempore ſtatuto. Quamobrem ſi non adſit iuſta cauſa prorogandi ingreſſum Conclauis. Nedum minor pars poteſt, ſed tenetur intrare Conclaue, quia ingreſſum lex præcipit.

17. Sed quid dicendum ſi nolentes ingredi Conclaue allegent metum cadentem in conſtantem virum, ſimul aſſerendo, quod Dominus loci non eſt potens ad ſecuritatem illorum. Reſpondetur, quod hæc difficultas ſupra reſoluta fuit. & iuxta ibi dicta reſpondetur, quod ex iuſto perſonali impedimento Cardinalium non tenentur alij Cardinales differre electionem, aut ingreſſum in Conclaue, vt ibi probatum eſt. Nã & de iure communi ex perſonali impedimento non habent impediti ius detinendi electiones, ſed mittendi Procuratorem, qui eorum nomine eligat, Gloſſa *cap. Bonæ. 23. in ver. Securè de elect.* Panorm. *nu.* 20. In electione vero Papæ locum non habet Procurator, & alias Eccleſiæ bonum quod conſiſtit in celeri electione Papæ exigit, vt non habeatur ratio impedimentorum priuatorum eorum, qui commodè adeſſe non poſſunt, ſed electio ſpectet ad eos, qui ſunt præſentes in Conclaui. Sed vbi impedimentum ſit ex neceſſitate publici boni, quia v.g. timetur impreſſio, & violentia imminet electioni, tunc iudicare de tali neceſſitate, & de conuenientia mutandi, vel non mutandi locum, & tempus electionis ſpectat ad Sacrum Collegium Cardinalium, & ab eius determinatione non eſt recedendum. Ideò tunc ſi minor pars ingrediatur Conclaue Collegij maiori parte decernente protrahendum eſſe tempus electionis, & ingreſſus in Conclaue, minor pars non eligit validè, vt diffuſiùs loco citato explicatum eſt. Sed quando non adeſt cauſa iuſta differendi ingreſſum, ſi aliqui etiam maior pars liberè, & propria voluntate non vult ingredi, alij qui ingrediuntur validè eligunt. Sed hic caſus eſt moraliter impoſſibilis. Et in hoc caſu non poſſet dici, quod vtilitas priuata abſentium redundet in publicam, quia poteſt eſſe, quod qui abſunt, ſi ſint præſentes trahant alios ad electionem Optimi Pontificis. Tum quia hoc eſt per accidens, & vt aduertit Card. Albanus *q. 28.* poteſt etiam contingere oppoſitum. Tum quia hoc bonum reſultat Communitati, vt habet idem Cardinalis, quod Cardinales quo pauciores facilius conueniunt ad Papæ electionem, & alias de ipſis non eſt vt præſumatur, quod non ſint optimum electuri. Tum quia legibus ſtandum eſt quæ merito ne electio Papæ differatur volunt non attendi neceſſitates priuatas Cardinalium.

18. An verò electio Pontificis fieri poſſit de nocte, Bonacina *num. 6.* arbitratur non eſſe faciendam præciſa graui neceſſitate, factam tamẽ valere. Sed non oſtendit vndè hoc prohibitum ſit, nec eſt ad rem illud Pſalmi. *Exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam vſque ad veſperam.* Quia loquitur de operibus corporalibus, manualibus, & mecanicis, vt de cultura Camporum, paſtura ouium, venatione, & alijs. Nam alias operibus, quæ intellectualia ſunt valdè, quia ſunt opera Conſilij, deliberationis, diſcuſſionis, electionis, nullum tempus eſt aſſignatum cum ſint propria hominis, vt eſt intellectualis, & ideò vt eſt tempore ſuperior. Vndè huiuſmodi operationes non indigent, vt homo exeat ad opus, cum intra domum haberi poſſint, & Deus quidem eſt lux, ſed ſi ex hoc inferatur, quod opera facta de nocte ſint opera tenebrarum, maior pars operum ſanctorum erit opus tenebrarum, cum maximè de nocte vigilantes Deo

ſer-

ſeruierint. Opera enim tenebrarum ſunt peccata, quia iſti nonniſi ex obtenebrata ratione procedunt, vt habet D.Thom. *p.1.qu.63. ar.1. ad* 4. Sed quæ prudenter fiunt etiam de nocte facta ſunt lucis opera. Et quod dicitur ſententiam latam à Iudice de nocte eſſe nullam nec eſt certum, vt patet ex Menoch. *de arbitr.l.3.q.62.* Nec eſt ſimile, quia ſi illa ſententia ſit nulla erit ex aliqua lege hoc diſponente, at verò nulla lex eſt, quæ prohibeat electionem Papæ fieri de nocte. Dicitur igitur, quod accenſis multis luminaribus quantum ſufficit electio Papæ poteſt fieri de nocte. Quia vbi dies artificialis non eſt de ſubſtantia, quod fit de nocte, dicitur factum de die. Abb *in cap.Conſuluit nu. 6. de poteſt. & offic. delegat.* vbi Felin. ante *num.6. v.nota ibi*, & *n.* 20. poſt Gloſſ. *in v.Lucem*, dicit, quod regulariter omnes actus poſſunt fieri tam de nocte, quam de die, niſi repetiantur prohibiti fieri de nocte. Dec. *in d.cap.Conſuluit n.26.& 34. de off. delegat.* Cum tamen electionem fieri de nocte ſit de genere ſuſpectorum, & habeat præſumptionem contra ſe Gloſſ. *in d.cap.1.in v.occulta, vt Eccleſ. benef.ſine dmin. conſ.* Dec. vbi ſupra *n.*44. Propterea dixi, quod ſecundum dignitatem electionis requiruntur plura luminaria, videlicet talia, vt fraudes euitari poſſint ex textæ *in l.1. §. tria, ff. de Ventr. inſpiciend.* & benè ad propoſitum Surd. *conſ.*158.*n.*3.*&* 7. *& nu.*19. & per totum Concilium.

19. Concluditur tandem, quod poſtquam Cardinales ingreſſi ſunt Conclaue ex lege Pij Quarti tenebantur ſemel quotidiè procedere ad electionem, ſed nunc ex lege Gregor.XV.in Cōſtit. *Aeterni Patris, §.ſimiliter*, ſub pœna excommunicationis tenentur bis in die electionis acta peragere.

An, & quo iure electio Papæ facta per metum ſit nulla.

QVÆSTIO XX.

1 PErtractatis iis, quæ ad eligentes Papam, & ad locum, & tempus electionis Papæ pertinent, iam tempus eſt, vt de forma electionis huius ſermo habeatur. Hæc verò duplex eſt naturalis, & poſitiua à canonica lege inſtituta. Naturalis autem forma electionis eſt libertas, eligentium, ceſſat enim electio dum libertas adimitur eligendi *cap Vbi periculum, §. Cæterum de elect. in* 6. Libertas verò læditur, vel per vim, & metum, vel per pacta, obligationes, & conuentiones ſimoniacas, ideò de hac naturali electionis forma agendo, quæritur an, & quo iure vis, vel metus reſiſtat electioni Pontificis.

2. Cum autem in tractatu *de Electione cap.* 4. abundè ſatis tractata ſit in communi quæſtio de valore electionis coactæ per vim, & metum, ex quo loco multa haberi poſſunt facientia ad hanc quæſtionem, hic ſolum pauca addenda ſunt, & neceſſaria ad huius difficultatis intelligentiam. Et ſuppoſito eo, quod ibi probatum eſt, ſcilicet, quod electio coacta per metum nō eſt ipſo iure nulla, ex quo ſequitur, quod nec electio Papæ ex naturæ iure nulla non eſt ipſo facto.

3. Dicitur primò hoc eſſe proprium electionis Papæ, vt ſi ſit facta per metum cadentem in conſtantem virum ſit ex iure canonico ipſo iure nulla. Habetur hoc diffinitum in Concil. Conſtantien. *ſeſſ.39. cap.Si verò*, ibi. *Quod ſi fortè electionem Romani Pontificis per metum, qui caderet in conſtantem virum, ſeu impreſſionem de cætero fieri contingat, ipſam decernimus nullius efficaciæ eſſe, vel momenti, nec poſſe per ſequentem conſenſū, etiam metu prædicto ceſſante ratificari, vel approbari, non tamen liceat Cardinalibus ad aliam electionē procedere, niſi ille ſic electus fortè renunciet, vel decedat, donec per Generale Concilium de electione illa fuerit iudicatum. Et ſi procedant nulla ſit electio ipſo iure, ſintque ſecundo eligentes, & electus, ſi ipſe Papatui ſe ingeſſerit, omni dignitate, & ſtatu etiam Cardinalatus, & Pontificali ipſo iure priuati, & inhabiles de cætero ad eadem, ac etiam ad Papalem. Nec etiam in aliquo eidem ſecundo electo, vt Papæ ſub pœna fautoriæ, ſchiſmatis obediatur quoquo modo.*

4. Si ergo electio Papæ fiat per metum eſt ipſo iure nulla. Sed non eſt cenſenda nulla ſi metus ſit leuis, ſed ſi ſit cadens in conſtantem virum, quidquid in contrarium dixerint Cardinales Iacobat. *lib.4.a.4. concl.1.pag* 247. & apud eum *Card.* Egidius. Nam nec, quæ adducunt loquuntur de metu leui, ſed de metu cadente in conſtantē virū, nec adhuc probāt. Nā electionē factā per metū non eſſe ipſo iure nulla dictū eſt. Et ſi non adeſſet præfatum decretum Concil. Conſtant. nec electio *Papæ* eſſet ipſo iure nulla etiam ſi facta per metum cadentem in conſtantem virum. Et certè antiquitus nō defuere Pōtifices per vim, & metū creati. Nā quod poſt mortem Agapyti I. Theodatus Rex Italiæ cōminata electoribus morte coegerit eos, vt in Pontificem eligerent Siluerium anno 536. Et quod licet non omnes conſenſerint decreto illius electionis, illique ſubſcripſerint ante eius ordinationem poſteà id fecerint ad pacem Eccleſiæ conſeruandam ex Anaſtaſio tradunt Baron. ad ann. 536. & Ciacon. in Vita Siluerij. Sed & antea cum Theodoricus Rex Italiæ poſt mortem S.Ioannis ſqualore carceris conſumpti ſibi nominationem Pontificis eligendi vſurpauit, & nominauit Felicem IV. coacti fuerunt electores illum eligere, vt habetur ex Baron. ad ann. 526. Et quotieſcūque Principes ſibi vſurpauerunt nominationem eligendi in Pontificem coarctata fuit libertas electorum, & fuerunt neceſſitati, vt nominatum eligerent, vellent, nollent. Et nihilominus electi habiti fuerunt tanquam veri Pontifices, & Petri ſucceſſores. Nunc verò electio Papæ facta per metum, & vim eſt nulla ex decreto Concil. Conſtant. Cæterum dictum decretum expreſſe loquitur de metu cadente in conſtantē virum, & alias communiſſima ſententia Theologorum, & Canoniſtarum eſt, quod metus lenis non irritet electionem. Lauor. *c.6. n.* 38. Vbi quod ad hoc, vt metus dicatur cadens in conſtantem virum habenda eſt ratio loci, temporis, rerum, & perſonarum.

5. Ad hoc etiam, quod metus irritet electionem,

nem, neceſſe eſt, quod non ſit incuſſus à cauſa naturali, vel à Deo, ſed à creatura libera. Sic non vitiat electionem timor graſſantis peſtilentiæ, vel aliunde à Deo miraculoſe incuſſus. Vlterius oportet, quod timor iniuſtè incutiatur, nam timor iuſtè incuſſus non facit inuoluntariũ, cum moueat ratione ſuæ honeſtatis, & pulchritudine virtutis, & vbi leges iuſtè compellunt ad actum comminando pœnes grauiſſimas, actum non irritant. Et præterea eſt neceſſe, vt timor incutiatur ad extorquendum votum eligentium, & electionem. Nam ſi aliunde proueniat, electio non cenſetur coacta, etiam ſi aſſumpta tanquam medium ad vitandum malum, quod aliunde imminet. Sic ſi timeantur hoſtes Ciuitatis, eligere aliquem citò ad fugiendam obſeſſionem non irritat electionem. Et præterea ſi metus non ſit incuſſus niſi paucis ex eligentibus, & ſtant illis demptis adhuc *Papa* eſt electus à duabus partibus Cardinalium præſentium, qui ſine metu illum liberè elegerunt, electio illa non eſt coacta.

6. Conſiderandum quoque eſt, ad quid cogantur Cardinales, nam ſi relicta illis plena libertate eligendi quem voluerint ſolum coguntur ad exercitium electionis, non vitiatur electio. Nam & ex lege neceſſitantur Cardinales ad quã primum poſſunt eligendum Pontificem. Imò Gregor. X. & poſtea Clemens V. in Concil. Lugdunen. & Viennen. elegerunt Dominos ſeculares Rectores, & officiales Vrbis, in qua eſt electio, ad hoc vt ſi opus ſit compellant Cardinales ad ingrediendum Conclaue, & ad ſeruanda reſpectiue alia à dicto Gregor. X. ſtatuta, vt obſeruanda in electione *Papæ*. Sed etſi quis iniuſtè compellat Cardinales ad eligendi exercitium relicta eis plena libertate eligendi quem voluerint, electio non eſt irrita, quia Cardinalibus non fuit determinata perſona, ſed liberum fuit eis eligere, quem volebant. Propterea benè Baldus *in c. licet de elect. n.* 9. dixit, quod Cardinales cogi poſſunt indirectè ſi diſcordent, vt concordent in aliquo relicta eis libertate concordãdi in quem volunt. Et in hac parte metus poteſt eſſe iniuſtè illatus ex modo, ſi ab eo, qui non habet poteſtatem compellantur Cardinales ad exercitium eligendi tunc cum eligere tenentur, nimirum poſt decem dies à morte Pontificis. Et quia tunc Cardinales tenentur eligere, & ſi differant non bene faciunt, non compelluntur niſi ad id quod conuenit, vt fiat ab illis nihilominus tamen in huiuſmodi coactione eſto non vitiaretur electio, male tamen facerent compellentes non habentes ad id facultatem. Nam & executores Conſtitutionis Greg. X. ſi vltra id quod illis permittitur compellant Cardinales ſunt excommunicati. Vnde nec Cardinales iuſtè poſſunt compelli ad exercitium electionis niſi in terminis Conſtitutionis Greg. XV. qui præcepit, vt Cardinales bis in die ad electionem procedant, & ideò à Cardinalibus executoribus dictæ Conſtitut. poſſunt alij Cardinales compelli ad id exequendum. Si verò compellerentur ad eligendum infrà decem dies, iniuſta coactio eſſet etiam ex obiecto, ſed nihilominus licet exercitium eligendi eſſet iniuſte coactum, electio tamen eſſet libera, quoad perſonam electam, & ideo ex hac parte eſſet valida. Indifferentia enim quæ eſt de ſubſtantia electionis, eſt indifferentia ſpecificationis, & dominium eligendi ex perſonis eligibilibus, quem volunt.

7. Eſt vero difficultas an vitietur electio ſi electores iniuſtè compellantur ad certum genus Perſonarum. Panormit. enim *cap. licet de elect. n.* 12. quem plures ſequuntur tenet non vitiari electionem ex dicto metu, quia non tollit, ſed ſolum reſtringit libertatem. Lauor. *c.* 6. *n.* 40. Verum oppoſitum eſt dicendum aduertendo, quod ad genus perſonarum poſſunt electores aliquando compelli iuſtè, & ſecundario, ſeu conſecutiue ab eo, qui poteſt ſtatuere conditiones eligendorum, & decernere, quod eligendus ſit talis qualitatis, ex quo conſecutiue ſequitur, quod electores non poſſint eligere niſi ex tali genere habentium talem qualitatem. Sic enim ſtatuta decernentia, vt non eligatur, qui non eſt de gremio Eccleſiæ, vel de Diæceſi, vel de Regno, quæ iuſta eſſe poſſunt, conſecutiue coarctant eligentes, ne eligant extraneum. Et ità coarctare hoc modo electionem ad certum genus perſonarum directè faciendo per legem iuſtam, quod ſolum tale genus ſit eligibile, non vitiat electionem. Tum quia hoc iuſte fit. Tum quia non violatur ius eligentium, cum eorum ius ſit libere poſſe eligere, quem volunt ex ijs, qui ſunt eligibiles, non vero, quod hic, vel ille ſit eligibilis. Vnde ſi quis eum, quem Cardinales volunt eligere occideret, vel inhabilem redderet ad Papatum, non per hoc violaretur ius Cardinalium. Sed ſuppoſita eligibilitate plurium generum perſonarum compellere iniuſtè Cardinales ad eligendum ex certo genere, irritat electionem, vt benè probat Card. Iacobat. *l.* 4. *a.* 4 *concl.* 2. *pap.* 249. nec obſtat, quod per hoc non tollitur libertas, ſed diminuitur, quia imò diminutio libertatis eſt ablatio, & ſimpliciter eſt coacta electio, ſi electores ex ijs, qui eligi poſſunt, non poſſunt eligere, quem volunt. Nec obſtat, quod remaneat ſubſtantia electionis, cum maneat indifferentia ad plures eligendos, quia non manet illa Indifferentia, quæ de iure conuenit electoribus, & quæ eſt ex eligibilibus accipere quem volunt. Vnde benè contingere poteſt quod ideo hunc eligant, quia ex alio genere eligere non poſſunt, vnde huius electio non eſt libera, ſed coacta.

8. Benè verum eſt, quod in hoc caſu facilius contingere poteſt, vt metus concomitanter ſe habeat ad electionem, & ideo non ſit cauſa illius, & illam non vitiet, nam ex quo manet eligentibus libertas ad eligẽdum ex aliquo genere poſt cõtingere, quod nihilominus libenter eligant aliquem ex eo genere, ac ſi non impedirentur eligere ex alio. Et tunc illa electio non eſt facta per metum, quia non eſt ex metu, & eſſet etiam ſi metus non fuiſſet incuſſus. Et ita ad hoc vt metus vitiet electionem, & cauſet inuoluntarium neceſſe eſt, vt antecedenter, & non concomitanter ſe habeat ad illam, vt ex D. Th. *p.* 2. *q.* 6. *a.* tradunt communiter Theologi.

9. Sequitur ex his, quod electio ſit irrita ſi Cardinales per vim, aut metum compellantur

ad

ad electionem alternatiuam aliquorum determinatè, vt ad eligendum ex ſex propoſitis talem, vel talem. Ita Card. Iacobat. *l.4. a.4. concluſ.3. pag.* 250. Quoniam licet maneat libertas ad vnū ex illis ſex propoſitis, cogitur tamen voluntas, vt non eligat alium, quam ex prædictis, & ſic eligit vnum ex illis, quia alium non poteſt eligere libere, ſed coactè. Tandem indubiè ſecundum omnes electio *P*apæ eſt coacta, & nulla ſi Cardinales per vim, & metum compellantur ad eligendam determinatam perſonam.

10. Optime tamen Concilium prouidit, vt licet electio Papæ per metum cadentem in conſtantem virum ſit nulla ipſo iure, & ex ſubſequenti conſenſu non validanda, non poſſit noua electio celebrari, niſi prius iudicata priori, & declarata nulla, & ita vt electio ſecunda ſit omninò nulla, ſi fieri contingat, & eligentes. & electus ſi illi ſecundæ electioni ſe ingerant ſint priuati, & inhabiles ad Cardinalatum, & Papatum. Quia hoc modo ſublata eſt occaſio ſchiſmatis ex prætextu, quod prior electio fuerit facta per metum.

11. Eſt verò etiam conſiderandum, quod Cardinalibus dicentibus ſe libere elegiſſe, & ſine metu, credendum eſt, vt benè docet Bald. *c. licet n. 8. de elect.* nam etiamſi conſtet de incuſſione iniuſta metus, quia poteſt eſſe, quod metus ad electionem mere ſe habuerit concomitanter, & hoc in voluntate interiori Cardinalium conſiſtit, eis credendum eſt, ſi dicant ſe libere elegiſſe. Sed è contra eis non creditur, ſi dicant ſe coactè elegiſſe, niſi appareant ſigna coactionis probabilia, & veriſimilia, & nottoria Bald. *ad d. cap. licet n.* 8. Azor. *p. 2. l. 4. c. 2. q. 6. & cap. 5. q. 7.* Lanor. *cap. 6. n.* 39.

12. Sed circa hoc benè fuit prouiſum à Concil. Conſtantien. vbi ſupra. *Et eo caſu, inquit, Concilium de electione Papæ prouideat illa vice, ſed liceat, imò teneantur electores omnes, aut maior pars ipſorum quam cito ſine perſonarum periculo poterunt, etiamſi periculum omnium bonorum immineat, transferre ſe ad locum tutum, & metum prædictum allegare coram notarijs publicis, & notabilibus perſonis, ac multitudine in loco inſigni, ità tamen, quod allegantes metum huiuſmodi habeant in ipſiuſmet allegatione exprimere ſpeciem, & qualitatem dicti metus, & iurare ſolemniter quod metus taliter allegatus ſit verus, & credant ſe ipſum poſſe probare, & quod per malitiam, ſeu calumniam huiuſmodi metum non proponunt, nec vltra proximum futurum Concilium vllo modo poſſit differri allegatio dicti metus. Teneantur inſuper poſtquam ſe tranſtulerint, & metum allegauerint modo prædicto prouocare ſic electum ad Concilium quod Concilium ſi vltra annum pendeat à die prouocationis huiuſmodi intelligatur ad annum, vt ſupra ipſo iure terminus breuiatus. Et nihilominus electus ipſe ſub pœnis prædictis, & Cardinales prouocantes ſub pœna amiſſionis Cardinalatus, & omnium beneficiorum ſuorum, quam ipſo facto incurrant, infrà menſem à die prouocationis Concilium ipſum, vt ſuprà dicitur indicere, & publicare, & quàm citius poterunt intimare, ac Cardinales ipſi, cæterique electores ad locum Concilij tempore conuenienti perſonaliter ſe transferre, & vſque ad finem cauſæ expectare. Teneantur quoque Prælati, cæterique, vt ſupra ad conuocationem Cardinalium tantum, ſi forte ſic electus conuocare ceſſaret, accedere: qui ſic electus in Concilio ipſo non præſideat, quinimò ſit à termino initiandi Concilij ipſo iure ab omni adminiſtratione Papatus ſuſpenſus, nec ſibi à quoquam ſub pœna fautoria, ſchiſmatis quomodolibet obediatur. Quod ſi infrà annum ante diem indicti Concilij contingant ſupradicti caſus, videlicet, quod plures gerant ſe pro Papa, vel quod vnus per metum, vel impreſſionem eligatur, cenſeantur ipſo iure tàm ſe gerentes pro Papa, quàm electus per metum, ſeu impreſſionem, & Cardinales ad dictum Concilium prouocati, teneanturque in ipſo Concilio comparere perſonaliter cauſam exponere, & iudicium Concilij expectare. Sed ſi dictis caſibus occurrentibus contingat fortè caſus aliquis quo neceſſarium ſit locum Concilij mutare, vt obſidionis, guerræ, aut peſtis, vel ſimilis, teneantur nihilominus tam omnes ſupradicti, quàm omnes Prælati, cæterique qui ad Concilium ire tenentur ad locum proximiorem, vt præmittitur, qui ſit habilis ad Concilium conuenire, poſſitque maior pars Prælatorum, qui infra menſem ad locum certum declinauerint illum ſibi, & alijs pro loco Concilij deputare. Concilium autem, vt præfertur, conuocatum, & congregatum de huiuſmodi ſchiſmatis cauſa cognoſcens, & in contumacia electorum, ſeu gerentium ſe pro Papa, vel Cardinalium, (ſi forte venire neglexerint) litem dirimat, atque cauſam definiat, ac culpabiles in ſchiſmate procurando, ſeu nutriendo, vel in adminiſtrando, ſeu obediendo, & adminiſtrantibus fauendo, ſeu contrà interdictum ſuperius eligendo, vel calumniosè allegando metum etiam vltra prædictas pœnas cuiuſcunque ſtatus, gradus, aut præeminentia exiſtant, Eccleſiaſtica, vel mundana ſic puniat, vt vindictæ rigor luceat cæteris in exemplum.*

Qualiter, & quo iure electio Papæ ſimoniaca ſit nulla.

QVAESTIO XXI.

1. IVlius II. anno 1505. contra Cardinales ſimoniacè eligentes Pontificem conſtitutionem edidit, cuius initium eſt. *Cum tam diuino.* In qua grauibus pœnis ſimoniam compeſcens electionem ſimoniacè habitam ipſo iure caſſat, & irritat. *Statuimus, inquit, ordinamus, decernimus, & definimus, quod ſi, quod Deus pro ſua Clementia, & ineffabili bonitate auertat, contigerit poſtquam nos, vel ſucceſſores noſtros ſucceſſiuè, ipſe Deus ab huiuſmodi Vniuerſalis Eccleſiæ regimine abſoluerit, humani generis inimico procurante, & ambitione, vel cupiditate ad hoc inclinante, ſeu impellente, electionem Romani Pontificis ab eo, quem eligi contigerit, vel ab aliquo, ſeu aliquibus de cætu Cardinalium quomodolibet votum dantibus per ſimoniacam hæreſim, in dando, promittendo, vel recipiendo pecunias, bona cuiuſque generis, Caſtra, officia, vel beneficia, ſeu promiſſiones, & obligationes commiſſam per ſe vel alium, ſeu alios quomodocunque, & qualitercunque etiam in duarum partium vel omnium Cardinalium vnanimi concordia, quomodolibet etiam per viam aſſumptionis vnanimis nemine diſcrepante, etiam ſine ſcrutinio facta*

Digitized by Google

celebrari vel fieri, non ſolum huiuſmodi electio, vel aſſumptio, eo ipſo nulla exiſtat, & nullam eidem ſic electo, vel aſſumpto adminiſtrandi in ſpiritualibus, & temporalibus facultatem tribuat, ſed etiam contrà dictum ſic electum, vel aſſumptum de ſimoniaca labe à quocunque Cardinali, qui eidem electioni interfuerit, opponi, & excipi poſſit, ſicut de vera, & indubitata hæreſi, ità quod à nullo pro Romano Pontifice habeatur, quinimò ipſe ſic electus à Priori ſuo Cardinalatus, & alio quocunque honore, Eccleſijs Cathedralibus etiam metropolitanis, & Patriarchalibus, Monaſterijs, dignitatibus, & alijs quibuſcunq; beneficijs, & penſionibus, quæ tunc obtinebat in titulum, vel commendam, aut alias quomodocunque eo ipſo abſq; alia declaratione, priuatus exiſtat, & idem electus non Apoſtolicus, ſed Apoſtaticus, & tanquam ſimoniacus, & Hæreſiarcha, & ad prædicta omnia, & ſingula perpetuò inhabilis habeatur. §. Nec huiuſmodi ſimoniaca electio per ſubſequentem ipſius inthronizationem, ſeu temporis curſum, aut etiam omnium Cardinalium adorationem, ſeu obedientiam, vllo vnquam tempore conualeſcat.

2. Circa huiuſmodi Conſtitutionem conſiderandum eſt primò eam etiam prout irritat electionem Papæ eſſe pœnalem. Tunc enim lex irritans actum eſt pœnalis quando id facit in odiũ delicti. Sanchez *lib. 3. de matrim. diſp. 4. num. 9.* Suarez *de legib. lib. 5. cap. 19. num. 7.* & alij quos ſequitur Theſaur. *in prax. par. 1. cap. 35.* At verò in odium ſimoniæ hic irritatur electio *Papæ*, vt patet ex proemio Conſtitutionis ibi. *Cum tam diuino, quam humano iure in ſpiritualibus præcipuè deteſtabiliter ſit ſimoniæ labes prohibita & longè magis in electione Rom. Pontif. Vicarij Ieſu Chriſti D. N. abominabilis ſit & vniuerſali Eccleſiæ pernicioſa. Nos qui regimini &c.*

3. Conſiderandum eſt ſecundo quæ ſit electio habita per ſimoniam. Eſt enim ſimonia voluntas emendi vel vendendi rem ſpiritualem pro pretio, vt ex D. Th. 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 1. docent communiter DD. & ideò non eſt ſimonia niſi vbi ſit intentio pretij, & pactum de ſui natura obligans ex iuſtitia, per quod pro re ſpirituali detur aliquid tanquam æqualis recompenſatio debita ex iuſtitia, vt latius explicaui in *tract. de elect. cap. 7. quæſt. 1. 2. & 3.* Ideò electio Papæ per ſimoniam facta eſt illa, in qua aliquod ſuffragium, vel aliquid aliud ſpirituale ad electionem ſpectans fuit emptum, vel venditum.

4. Verùm ſimonia diuiditur in pure mentalem, & in exteriorem, conſtat vero ſimoniam pure mentalem non ſubdi Eccleſiaſticis pœnis ex doctrina Theologorum communiter recepta, ſecundum quam nec hæreticus purè mentalis ſubditur pœnis latis in hæreticos. Quia Eccleſia de peccatis occultis, & ſola mente conſumatis in foro iudiciali non iudicat. Simonia etiam exterior diſtinguitur in veram, & fictam, quæ committitur quando quis fictè paciſcitur, & ſe obligat cum animo interius retento non perficiendi id, ad quod perficiendum ſe obligat. Ficta verò ſimonia non eſt vera ſimonia, vt contrà Nauar. *in Manual. cap. 23. num. 106. ad tertium* tradiderunt Caiet. *tom. 4. opuſ. tract. 9. q. 2.* Sotus *lib. 9. de iuſt. q. 8. art. 1. &c.*

5. Cum verò ſimonia diſtinguatur in conuentionalem & realem quæret forſan aliquis an ſola ſimonia realis comprehendatur ſub hac Conſtitutione Iulij, ità vt ſola ſimonia conuentionalis, nec electionem Papæ irritet, nec ſubdatur pœnis in d. Conſtitutione latis. Ita enim videtur dicendum. Nam Extrauag. Pauli II. *cum deteſtabile de ſim.* quæ loquitur de inferioribus non comprehendit ſimoniam conuentionalem, ſed tantum realem ex vtraque parte, vt eſt communis opinio teſte Caſſadoro *dec. 5. num. 9. de conſtit.* dicente, ità benignè fuiſſe temporis decurſu interpretatam d. Extrauag. à tempore, quo fuit emiſſa, ſequitur Nauar. vbi ſupra in Manual. *cap. 23. num. 103. & 106. & in cap. ſi quando, in præfat. de Reſcript., & in cap. fin. n. 28. De Simon.* Couar. *in reg. Peccatum 2. par. §. 8. num. 7.* Sarnen. *in reg. de Trien. quæſt. 12 num. 3. verſ.* ſic etiam Pariſ. dicens communem *conſ. 29. num. 19. vol. 4. Clar. in §. ſimonia verſ. Item Clericus* in Henriq. *in Summ. tit. de Excomm. cap. 37. §. 3. in gloſſ. R.* & idem dicendum eſt de Conſtit. quinta §. 8. Pij V. contrà ſimoniacos, licet Corduba *caſu 32.* teneat contrarium. Nam Conſtitutio Pij V. addidit ad Extrauag. Pauli II. ſolum pœnas amiſſionis beneficiorum obtentorum non tamen ſe extendit vltra caſus in d. extrauag. contentos, ſcilicet vltra ſimoniã realem completam ex vtraque parte, vt docet Viuald. in Appendic. Candelabr. aurei *cap. 1. num. 29.* & ſic videtur dicendum, quod ſi committatur ſimonia conuentionalis non inducat priuationem prout in alijs beneficijs non inducit priuationem, ſed inhabilitatem ad alia obtinenda Verall. *d. 201. num. 4. lib. 1. & deciſ. 238. num. 3. par. 3.* qui ità declarat prædictam deciſionem.

6. Verùm dicitur quod per Conſtitutionem Iulij prohibetur, & punitur etiam ſimonia conuentionalis per hoc commiſſa, quod ſuffragium aliquod ſit venditum, & datum ſub pacto pecuniæ promiſſæ. Nam hoc expreſsè decernitur ibi. *In dando, promittendo, & recipiendo pecunias &c. ſeu promiſſiones, & obligationes &c.* Ex his enim conſtat Pontificem de ea ſimonia loqui, quæ ſit commiſſa etiam ex promiſſione pecuniæ. Coccin. in gloſſemate manuſcript. ad Conſtitut. Gregor. XV. *Æterni Patris* in introductione *quæſt.* 3.

7. Verùm quia ſimonia conuentionalis duplex eſt, alia conſumata ex parte pretij, ſed nõ ex parte rei ſpiritualis, Alia vero conſumata ex traditione rei ſpiritualis. Sed ſub promiſſione pretij; De hac ſecunda ſermo eſt in Conſtitutione Iulij II. Vnde ad hoc vt electio ſit nulla, & ſit locus alijs pœnis in d. Conſtitutione contentis, neceſſe eſt vt emptio, & venditio electionis ſit conſumata, per hoc quod ſuffragium aliquod vel aliud ſpirituale concernens electionem ſit realiter traditum, licet ſub ſpe, & promiſſione pecuniæ, quia aliter electio Papæ non eſſet facta per ſimoniam. Theſaur. *verbo ſimonia cap. 8. 9. aduertendum*. Nec obſtat ſi dicatur hoc videri contrà Conſtitutionem Iulij II. loquentis ſub diſiunctione de ſimonia commiſſa vel ab electo, vel ab aliquo Cardinalium. Nam ex hoc habetur, quod ſufficit ſimonia commiſſa ab electo

tantum,

Digitized by Google

tantum; quæ nequit eſſe niſi attentata, & ſine traditione rei ſpiritualis, quia ſi eſſet conſummata eſſet etiam commiſſa ab aliquo Cardinalium vendente, & tradente ſuffragium. Reſpondetur enim, quod poteſt eſſe ſimonia ex parte electi tantum, & ſine venditione alicuius ſuffragij, quia poteſt eſſe, quod electus pecunia non emat immediate ſuffragium alicuius Cardinalis ſed emat fauorem, & mediatorem apud Cardinalem qui ſimoniæ neſcius, ſed tamen motus arte, conſilijs, aut præcibus mediatoris ſimoniacum eligat. In hoc enim caſu ſimonia ſolum eſt ex parte electi, & non ex parte Cardinalis & ſufficit, vt reddat electionem nullam.

8. Cum verò ſimonia ad electionem poſſit ſe habere, vel antecedenter, vel concomitanter. Et ſi antecedenter, vel inſcio, aut repugnante, vel ſciente, & conſentiente electo, & hoc vel publicè aut notoriè, vel potius occultè, ideò plura dubia remanent explicanda.

9. Dubitatur propterea, an electio, quæ alias conſtat ex ſufficienti numero legitimorum vocalium ſit nulla ex eo, quod aliquod votum fuerit emptum, licet ex vi illius voti electio non ſubſiſtat. Videtur enim talem electionem eſſe nullam. Primò ex illo verbo Textus, *vel ab aliquo de cætu Cardinalium*, ex quo habetur, quod ad irritandam electionem ſufficiat, quod vnum votum Cardinalium ſit emptum, etiamſi alias electio facta ſit à duabus partibus, vel etiam ab omnibus Cardinalibus vnanimiter. Et præterea vbi vnum votum ſit emptum, cum electio in indiuiduo ſumpta ſit etiam ex illo voto, & per accidens ſit quod illud votum non fuerit neceſſarium, iam illa electio eſt per ſimoniam, & ex conſequenti eſt nulla. Item meus Iulij II. fuit omninò remouere ſimoniam ab electione Papæ, & ideò eius conſtitutio intelligi debet, vt afficiat omnem electionem quomodocunque per ſimoniam factam. Quod ſentiunt aliqui apud Bonac. loco infrà citando. Sed id non ſufficere non improbabile putat Bonac. *de elect. Papæ contr. p. q. 2. §. vnico num.* 9. Et hoc poteſt probari, quia electio non poteſt dici commiſſa per ſimoniam, niſi procedat ex vi voti empti, & venditi. Si verò electio conſtat ex ſufficienti numero votorum non venditorum, votum vel vota alia vendita per accidens, & concomitanter ſe habent ad electionem, illique ſunt extrinſeca, nec electio per illa eſt habita, vnde nec eſt habita per ſimoniam. Textus vero vult, vt ſufficiat vnum votum ab aliquo Cardinali venditum in caſu, quod ex vi illius proceſſerit electio, itaut ex vi illius electio notuiſſet, ſi non fuiſſet ſimoniaca. Et ſi dicatur, quod Pontifex vult, quod ſi ab aliquo commiſſa ſit ſimonia in electione Papæ electio ſit nulla, etiam ſi ſit omninò vnanimiter facta, reſponderi poteſt, quod hoc non reſpicit caſum, in quo ſimonia commiſſa ſit ab aliquo tantum, ſed ab aliquibus; itaut electio non habuerit ſufficientem numerum votorum legitimorum. Semper enim, vt ex textu patet, requiritur, quod electio ſit per ſimoniam commiſſa, & ad hoc ſufficit, quod ſit commiſſa ab aliquo, & non obſtat, quod electio facta ſit vnanimiter ſi tamen tot fuerunt vota vendita, vt non remaneat ſufficiens numerus legitimorum votorum. Quo numero exiſtente nunquam in proprietate dici poteſt quod electio ſit ſimoniaca, vel ſit commiſſa per ſimoniam, quæ ſola eſt electio, quæ per Iulium II. decernitur nulla.

10. Quo ſtante dubitatur vlterius an in caſu, in quo ſimonia ſe habuit, etiam antecedenter ad electionem, & votum emptum adimpleuit numerum duarum partium vocalium, electio cenſenda ſit nulla ſi facta fuit electo inſcio, vel repugnante. Nam hoc non obſtante talem electionem debere dici irritam probatur. Nam aliæ electiones irritæ ſunt etiamſi electo neſciente ab aliquo alio commiſſa ſit ſimonia, vt dictum eſt *cap. 7. queſt. 14. num. 323. & ſeq.* Videtur igitur quod etiam electio Papæ ſit nulla ſi eſt ſimoniaca, etiam ſi talis ſit neſciente electo. Et probatur quia Conſtitutio Iulij II., vbi irritatur electio, ſiue ſimonia commiſſa ſit ab electo, ſiue ab alio ex electoribus, alij verò electores poſſunt ſimoniam committere inſcio electo. E contrà autem Sopranus *lib. 4. cap. 1. quæſt. 8.* relatus à Bonacina ſenſit non poſſe legem ferri, in qua irritetur electio Papæ ſimoniaca inſcio electo, quia nullus debet puniri pro delicto alieno eo inſcio, quia pœna non imponitur ei qui culpam non commiſit *cap. crimen. 1. quæſt. 4. & cap. Si habes 24. quæſt. 3. & l. ſancimus C. de pœnis.* Sed quid quid de hoc ſit, quia irritatio actus poteſt induci ſine culpa agentis non vt pœna, ſed vt medium ad bonum commune ordinatum ſicut Concil. Trident. irritat matrimonium non celebratum coram Parocho, & teſtibus, certè vt dictum fuit ſupra, hæc Iulij conſtitutio eſt pœnalis, & ideo dicitur electionem Papæ non eſſe ipſo iure nullam ex eo, quod ſimoniaca ſit, ſi ſimonia commiſſa eſt electo, vel inſcio, vel contradicente. Non enim eſt veriſimile quod Pontifex voluerit innocentis electionem eſſe nullam, cum hoc non exprimat, & lex iſta odioſa reſtringenda eſt per regulam *odia de regul. Iuris in ſeſto.* Tum quia Pontifex eam electionem caſſauit, per quam electus poteſt accuſari tanquam de indubitata hæreſi, imò per quam ipſe electus ſit priuatus ipſo facto Cardinalatu, & alio quocunque honore, & beneficio; non eſt verò dicendum mentem Iulij II. fuiſſe, vt innocens priuetur Cardinalatu, honore, & beneficijs, & ad illa ſit inhabilis. Et ideò hanc partim tenent Gambara in expoſitione bullæ Iulij II. *num.* 137. Supranus *lib. 4. cap. 1. quæſt. 4.* quos refert, & ſequitur Bonacina *de elect. Pontif. diſp. 1. quæſt. 2. §. vnico num.* 10. & ad obiectionem in oppoſitum dicitur non eſſe eandem rationem de electione Papæ, & aliarum, & Iulium II. voluiſſe, vt ſit irrita electio ob ſimoniam ab alio commiſſam conſcio tamen electo.

11. Quamobrē electus ſi ſit conſcius alicuius ſimoniæ debet reclamare, & ſimoniam ſi opus eſt propalare. Addit verò Bonac. ex Soprano, quod debet curare, vt electio iterum inſtruatur. Quod non eſt omnino benè dictum quia ſi electus ante electionem fuit conſcius ſimoniæ debuit antea reclamare, & reſiſtere, ne electio ſimoniacè fieret. Sed ſi poſt electionem habuit notitiam ſimoniæ iam eſt canonicè electus, nec eſt vndè noua

Digitized by Google

electio habeatur, ſed ſufficit, quod de ſui innocentia appareat, vel quod contra eius innocentiam nihil vrgeat. Et tunc ſi alius eligeretur inualida eſſet electio. Ad maiorem tamen cautelam, & ad occaſiones ſchiſmatum vitandas, ſi Cardinales iterum eum eligerent ſine ſimoniæ labe optimum eſſet conſilium.

12. Dubitatur amplius an ad hoc, vt electio Papæ ſit nulla ob ſimoniam neceſſe ſit, quod ſimonia ſit notoria, Non eſſe recedendum à Pontifice ſub prætextu electionis ſimoniacæ, ſi ſimonia non ſit notoria, tenuit Iacobat. *l.4. a.4.verſ. ex his concludit* pag. mihi 236. & pro eadem ſententia Gambar. *in extrauag.Iulij II. n.* 33. & Sopranum in manuſcriptis refert Bonac. *de elect.Papæ diſp.* 1. *q.* 2. *puncto vnico n.* 14. Ex eo quod aliter legitima Papæ electio ſubiecta eſſet fraudibus, & quia Iulius II. vult, vt de ſimonia poſſit contra electum excipi, vt de vera, & indubitata hæreſi. Requiritur igitur, quod ſimonia ſit indubitata. E contra verò Bonac. poſtquam deſcripſit quibus modis ſimonia ſit notoria, aſſerit electionem ſimoniacam occultam in conſcientia irritam eſſe, quia Iulius II. abſolutè loquitur. Sed aduertendum, quod aliud eſt, an fideles poſſint recedere ab obedientia *Pontificis*, & aliud eſt, quod Pontificis electio ſit nulla. Hoc enim ſecundum poteſt eſſe verum ſine primo, quia ab occulto ſimoniaco Eccleſia recedere nō poteſt. De primá queſtione tractatur ex propoſito infrà vbi explicatur qualiter, & quando contra Papam hæreticum, vel ſimoniacum excipi poſſit etiam de facto ab eius obedientia recedendo. Sed de ſecunda quæſtione modo agitur.

13. Pro cuius ſolutione præſupponitur quod etiamſi vera eſſet ſententia Bonacin. nihilominus, cum hæc nullitas ſit inducta à lege poſitiua tanquam pœna, non obligat in conſcientia ante ſententiam declaratoriam. Circa modos autem notorij ab eodem Bonacin. poſitos nonnulla præmittenda ſunt. Primo quidem attendi debet quod notorium propriè notorietate facti eſt illud, quod ita maiori parti communitatis eſt manifeſtum & indubitatum, vt nulla poſſit tergiuerſatione celari *cap.tua & cap. euidentia de accuſat. & ibi DD. cap. tua de verb. ſignificat. & cap. Veſtra de cohabitat. Cleric.* vbi Panormit. *n.* 14. & 19. Sylueſ. *verb. notorium n.* 1. Clar. 5. *fin. q.* 9. *n.*2. Menoch. de Arbitr. *conſ.*166. Coccin. loco ſupra cit. Tuſcus *pract. concl. litt. N. concl.* 104. *n.*1. & alij DD. communiter. Vnde nulla probatio facit notorium, cui rationabiliter opponi poteſt, quia id poteſt aliqua tergiuerſatione celari, quod probatur ea probatione, cui poteſt rationabiliter opponi de falſitate.

14. Ex hoc colligitur primò, quod impoſſibile eſt per ſola Inſtrumenta continentia pactū ſimoniacum electionem ſimoniacam eſſe plenè notoriam notorietate facti. Nam Inſtrumento poteſt opponi de falſitate, ſecundo poteſt opponi de reuocatione. Tertio e Inſtrumento poteſt probari pactum ſimoniacum, ſed non poteſt probari, quod ex vi talis pacti proceſſerit electio, niſi hoc aliundè probetur. Et Quarto nullum Inſtrumentum probat niſi ſit exhibitum in iudicio citata parte, itá vt is, contra quem agitur poſſit contra excipere, & exceptiones probare. Quamobrem inſtrumentum quodcunque extraiudicium exhibitum non probat ſufficienter, nec facit notorium. Notoriam tamen eſſe ſimoniam ſi de ea conſtet publica fide munita Inſtrumento ex Gambar. *n.* 35. *dixit* Coccin. vbi ſupra. Sed licet hoc poſſit eſſe verum in iudicio, & vbi datis defenſionibus prætenſus ſimoniacus non eliſerit vim probationis, quæ ex tali Inſtrumento deducitur. Extra iudicium tamen ex tali Inſtrumento nec notorium, imò nec omnino indubitatum deducitur, quia plures exceptiones contrá idem talem, & Inſtrumentum dari poſſunt, vnde talia non probant parte non citata. & quod iuxtá Bald. *in l.* 1. *in princ. ff. de nou. oper. nunc.* & Butr. *in cap. cum contingat in tertio notabili de reſcript.* notorium dicatur, quod poteſt probari per publicum Inſtrumentum, hoc non eſt verum niſi ſit tale Inſtrumentum, vt nihil contra eius valorem poſſit rationabiliter excipi et adhuc neque id eſt verum de notorio propriè dicto, & in actu, ſed in aptitudine, quia quod poteſt in iudicio probari poteſt eſſe notorium etiam ſi ſit occultum.

15. Colligitur ſecundo quod ſimonia in electione eſt delictum, quod extra iudicium non tam facile in præſentia multorum committitur, vt nulla poſſit tergiuerſatione rationabili celari, ad eius enim notorietatem requiritur nedum notorietas electionis, & notorietas pacti ſimoniaci, ſed etiam notorietas eius, quod electio prouenerit ex pacto ſimoniaco. Quamobrem ſi detur caſus, quod adſit Inſtrumentum pacti ſimoniaci, ſeu quod quis fuerit tam fatuus, vt coram populo pepigerit de electione ſub pacto alicuius pretij, ſi eligatur Titius, & vlterius, quod Titius ſit electus conſtet ex ſchedulis electionis, adhuc non conſtabit de electione ſimoniaca, ſi non conſtet Titium electum ex vi pacti, & hoc non conſtat notoriè tanquā factum coram populo, quia vt dictum eſt contrá inſtrumentum poteſt rationabiliter opponi de falſitate, & contra pactum quomodocunque notorium poteſt opponi de reuocatione. Vlterius huic pacto quantumuis notorio poterit forſan opponi, quod ſit factum in fraudem, & in odium electi. Item electus forſan poterit opponere ignorantiam talis pacti. Non igitur erit notoria ſimonia in his, & ſimilibus caſibus. Et alias ad excludendum notorium delictum ſufficit quod poſſit allegari aliquid, quod probatum delictum excludat, & niſi etiam ſit notoria hæc negatiua, quod nihil adeſt quod poſſit opponi, ſeu quod non eſt poſſibilis dari aliqua tergiuerſatio rationabilis, qua poſſit delictum excludi, non eſt delictum notorium.

16. Colligitur tertio quod nedum confeſſio extraiudicialis, ſed nec, vt vult Bonacina confeſſio facta in iudicio facit notorium, quia & contrâ propriam confeſſionem poteſt excipi à reo confeſſo, qui confeſſionem ſuam poteſt interpretari, vt ſibi non noceat. Innoc. *in cap. per Inquiſitionem de elect.* relatus ab Abb. ibidem. Et niſi confeſſus perſeueret in confeſſione

ne

ne non poteſt haberi pro conuincto, quia licet ſibi etiam ex interuallo reuocare confeſſionem ſuam, & illam erroneam fuiſſe probare, & vt ex Farinac. *q.* 81. *n.* 335. probat Carrena *p.* 3. *tit.* 8. *n.* 52. admittenda eſt erroris probatio, etiamſi pro confeſſione eſſent mille indicia; & qualiter, & quibus modis confeſſio rei non noceat confeſſo, oſtendit Syln. *verb. confeſſio n.* 6. Ideo confeſſio deiẽti facta in iudicio non facit notorium ſufficiens ad condemnandum, ſed ſic confeſſo dandæ ſunt defenſiones, & commoditas excipiendi, nec delictum eſt notorium ad condemnandum, ſi poteſt aliqua tergiuerſatione celari, & deliquens ſe defendere niſi poſtquam Iudex declarauit delinquentem illud commiſiſſe,

17. Colligitur quarto nulla probabilitate dici à Bonacin. *n.* 15. quod fama etiam prouenìens ex probabilibus indicijs faciat notorium, nam longè diſtinguuntur famoſum, & notoriũ, vt in *tract. de elect. cap.* 26. *qu.* 4. *nu.* 18. dixi, & tantum abeſt quod fama faciat notorium, quod nec eſt ſufficiens indicium ad torturam ſe ſola, niſi ſit vehemens, & adminiculata, prout latè explicat pluribus citatis Carena *p.* 3. *tit.* 10. *n.* 64. Et prorſus improbabile eſt, quod ex ſola fama ſimoniæ electio Papæ haberi poſſit, vt nulla, & quod Eccleſia ab eius obedientia poſſit recedere.

18. His verò præmiſſis de notorio conſideratur vlterius, quod manifeſtum non eodem modo in iure accipitur, vt docet Panormit. *cap.* 3. *loco de præſumpt. nu.* 3. *& cap. Veſtra de cohabit. Cleric. n.* 12. *& cap. cum olim de verb. ſignificat. &* ex eo Sylu. *verbo manifeſtum*. Aliquando enim idem eſt quod notorium facti permanentis. *Cap. manifeſta* 2. *q. prima. cap. quã Lotarius, & cap. de manifeſta ſecunda q. prima* Aliquando etiam videtur eſſe idem quod notoriũ facti tranſeuntis, quod ſignificare videtur Nicolaus Primus epiſtola ad Michaelem Imperatorem, & habetur *cap. quo ſuſpecti* 3. *q.* 5. Aliquando autem idem eſt, quod notorium Iuris. *cap. cum olim de verb. ſignificat. & cap. ſuper quibuſdam eod. tit.* nihilominus tamen hoc nomen manifeſtum in propria ſignificatione non eſt idem quod notorium, ſed importat illud quod probari poteſt Panormit. *in d. cap. cum olim nu.* 2. *de verb. ſignificat. milis, & Syltes. verbo manifeſtum* Nauar. *in manuali cap.* 27. *n.* 255.

19. Stante igitur diſtinctione præfata, quæ eſt inter notorium, & manifeſtum dicitur ad dubium quod ad hoc vt electio Papæ ſit nulla, nec ſufficit ſimonia occulta, nec eſt neceſſaria ſimonia propriè notoria, nec ſufficit ſimonia qualitercunque manifeſta, ſed neceſſe eſt, vt ſimonia ſit manifeſtè vera, & indubitata. Probatur hæc aſſertio quantum ad primam partem, quia vt patet ex verbis Conſtitutionis Iulij Secundi ſimonia ab quam electio Papæ ſit nulla ipſo facto eſt illa ſola, de qua poteſt opponi, & excipi, ſicut de vera, & indubitata hæreſi, & ità vt ob eam liceat negare obedientiam electo, imò ab eius obedientia recedere, imò Conciliũ generalem inducere contrà ſic electum: quæ locum non habent vbi ſimonia ſit occulta, & nullo modo ad externum iudicium deducta. Probatur ſecunda pars, quoniam vbi ſimonia ſit manifeſta, & indubitata licet propriè, & in rigore non ſit notoria poteſt rationabiliter ex vi Conſtitutionis Iulij Secundi de ea opponi, & excipi, vt clarè habetur in dicta Conſtitutione. Probatur tertia, & quarta pars quoniam non ſufficit, quod ſimonia quocunque modo poſſit in iudicio manifeſtari, ſed debet eſſe talis, vt in rei veritate ſit vera, & indubitata, & ſic poſteà ità manifeſta, vt tanquam indubitata poſſit in iudicio probari. Et aduertendæ ſunt illæ dictiones Textus ſcilicet *non ſolùm*, & *ſed etiam*, & conſiderandum, quod eadem eſt electio, de qua Textus aſſerit, quod non ſolum ſit nulla cum electione de qua ſubiungit, ſed etiam contra dictum ſic electum à quocunque Cardinali, qui eidem electioni interfuerit, opponi, & excipi poſſit, ſicut de vera, & indubitata hæreſi. Igitur ob eam ſolam ſimoniam electio eſt nulla, quæ eſt vera, & indubitata, & de ea, vt tali poteſt excipi. Quoniam verò valdè difficile eſt, vt ſimonia ſit vera, & indubitata niſi ſimul ſit notoria, & talis quæ non poſſit tergiuerſatione celari, ideo ex hac parte non omninò malè dixerunt, qui aſſeruerunt electionem Papæ ſolum eſſe nullam ex ſimonia notoria. Addo ex infra probandis ad nullitatem huius electionis adhuc eſſe neceſſarium, quod contra illam excipiatur ab aliquo Cardinalium præſentium, electioni tanquam de vera, & indubitata, & hoc in tempore iuris, non verò ad quodcunque beneplacitum tempus.

20. Nec obſtat, quod videatur Pontifex abſolutè loqui,& quod electio ſimoniaca quantumuis occulta ſit omninò mala, vnde, & de ea militet eadem ratio allata à Pontifice in proem. ſcilicet, quod tam diuino, quàm humano iure ſit prohibita. Nam nec verum eſt, quod Pontifex abſolutè loquatur, ſed ad ſimoniam vt ſupra manifeſtam ſe reſtringit. Nec verum eſt, quod militet eadem ratio cum iure humano imò, & diuino, non eodem modo prohibita ſit ſimonia occulta non habens annexum periculum ſcandali, & rationem mali exempli in perniciem communitatis,ſicut habet ſimonia publica. Tum quia conſiderandum eſt periculum diſſenſionum, & ſchiſmatum, cui ſubijceretur Eccleſia, ſi ob ſimoniam occultam, imò, & publicam, ſed ſolum famoſam, & non plenè indubitata n liceret excipere cõtra electionem Papæ, & illi obedientiam negare, vim que hoc modo aperire Principum, & Rerum publicarum paſſionibus, & violentijs, vt ſub quacunque apparenti, & grata prauis affectionibus probabilitate liceret electionem Papę impugnare.

21. Dubitatur vlterius, an omnis ſimonia etiam ſi ſit cauſa electionis Papæ, & notoria, & publica illam irritet. Reſpondetur autem plures eſſe caſus, in quibus ob ſimoniam etiam publicam non irritatur electio. Primus eſt ſi ſimonia non ſit commiſſa ab electo, vel ab aliquo Cardinalium. Hoc patet ex illis verbis Conſtitutionis *electionem Romani Pontificis ab eo, quem eligi contigerit, vel ab aliquo ſeu aliquibus*

de ca-

de cætu Cardinalium quomodolibet votum dantibus per ſimoniacam hæreſim &c. comiſſam. Vnde ſi aliquis ſecularis Imperator, Rex, Princeps, vel quicunque alius committat ſimoniam, emendo ſibi fauorem, vel auxilium ab aliquo non Cardinali ad hoc, vt aliquis euadat electus per hanc ſimoniam non vitiatur electio, cum non ſit commiſſa ſimonia ab electo vel ab aliquo Cardinalium. Imò ſi hæc ſimonia ſit commiſſa ab aliquo Cardinalium exiſtentium extrà Conclaue non obſtat electioni, quoniam non eſt facta ab aliquo de cætu Cardinalium votum dante.

22. Secundus Caſus eſt, ſi ſimonia ſit quidem coram Deo, ſed ob leuitatem pretij non ſit ab Eccleſia præſumpta. Licet enim coram Deo eò ſimonia ſit vilior, & peior, quo pretium eſt vilius, quia maior iniuria fit rei ſacræ cum pro viliori pretio diſtrahitur; Nihilominus in foro externo vbi pretiũ eſt leue non præſumitur ſimonia, quia nõ præſumitur obligatio, & pactũ, cum non ſit veriſimile, quod Vir prudens, diues, nobilis, dignitate ſublimis, (quales ſunt DD. Cardinales) velit pro vili pretio ex obligatione iuſtitiæ, & pacto vendere electionem Pontificis. Gambar. ad Conſtit. Iulij Secundi *nu.* 122. Et colligitur ex textu aduertendo nomen illud num pluralis *pecunias*, cum enim ad ſimoniam ſufficiat, quod res ſpiritualis, vendatur pro modica pecunia, nihilominus Pontifex dixit in plurali, promittendo, vel recipiendo pecunias, vt inde inueret, non habendam eſſe vt ſimoniacam in hac materia largitionem paruæ pecuniæ. Vnde maximè in hac materia conſideranda ſunt illa quatuor quæ Oſtien. *tit. de ſimon.* §. *qualiter* expreſſit his verſibus.

Muneribus dandis attendas quatuor iſta.
Qui dans, quiſque petens, & quid, quæ cauſa petendi.

23. Tertius caſus eſt ſi ſimonia commiſſa ſit ante mortem Pontificis, & ſede non vacante. Coccin. vbi ſupra *in Introductione qu. 4. per tot.* & ratio eſt, quoniam textus expreſſe hoc ſignificat in illis verbis, *quod ſi, quod Deus pro ſua Clementia, & ineffabili bonitate auertat, contigerit, poſtquam nos, vel ſucceſſores noſtros ſucceſſiuè ipſe Deus ab huiuſmodi vniuerſalis Eccleſiæ regimine abſolnerit, humani generis inimico procurante, &c.* & §. *Inhibentes* hæc habet. *Inhibentes poſtremò omnibus, & ſingulis S. R. E. Cardinalibus, qui pro tempore erunt, & eorum Sacro Collegio ne Apoſtolica ſede vacante prædictis contrauenire, &c.*

24. Nec obſtat ſi dicatur, quod ratio Conſtitutionis eſt generalis ibi in principio: *Cum tam diuino, quàm humano Iure ſit ſimonia labes prohibita*, quæ ratio militat tam Sede vacante, quam ſede plena. Reſpondetur enim, quod ratio illa vniuerſalis non eſt vniuerſaliter applicata, vt ex verbis citatis apparet. Vis verò Conſtitutionis non ſe extendit ad caſus non expreſſos, & pro quibus non militat eadem applicatio, & eadem ratio applicationis, quæ in præſenti longè diuerſa eſt, & maior reſpectu ſedis vacantis, in qua, periculum ſimoniæ magis viget, & faciliùs eſt, quod animi venales corrumpantur.

25. Dubitatur verò vlterius, an Conſtitutio iſta Iulij II. quantum ad hanc partem, in qua annullat electionem ſimoniacam ipſo facto ſit vſu recepta, vel abrogata. Suar. *tom. 1. de Relig. tract. de ſimon. cap.* 57. *n.* 57. & apud Gibaleſi. loco citato infra citando, Tanner. *tom. 3. diſp.* 5. *q.* 8. *n.* 98. & 110. & Leſſ. *l. 2. c. 35. n.* 145. Filiuc *tract* 45. *cap.* 13. *n.* 23. non eſſe vſu receptam, ſed abrogatam tenent. vbi quod dicta Conſtitutio non fuit recepta ſaltem quando ſimonia eſt occulta, & præualuit ſtatutum *cap. vbi periculũ & c. licet de elect.* vt cõtra electionem Papæ canonice factam nulla admittatur exceptio, & apud Theſaur. loco citando Boſ. *in prax. tit. de ambitioſis in fine*. Et probatur hoc, tum quia nunquam d. Conſtitutio fuit exequutioni mandata, tum quia alias ſequeretur, quod Eccleſia non eſſet certa de capite ſuo, cum non ſit certa electionem non eſſe ſimoniacam, cum tamẽ Papam electum canonicè à duabus partibus Cardinalium, & ab Eccleſia receptũ eſſe Papam, & Chriſti Vicarium ſit veritas Catholica, vt tradidit Turrecr. *lib. 4. ſum. p. 2. cap.* 9. Tum quia eidem Conſtitutioni derogatum fuit per Conſtitutionem Pij Quarti *in eligendis*.

26. At eſſe vſu receptam, & vigere tenent Bonacin. *de elect. Pontif. d. 1. q. 1. p. 1, n.* 8. Theſaurus *in prax. v. ſimonia cap.* 7. §. *ſed ſtante* Gibalin. *in Synopſi Cenſurarum v. electio n.* 1. Et idẽ per conſequentiam tenent qui aſſerunt quod cõtra electionem Papę poteſt excipi de crimine ſimoniæ ad nullitatem illius inferendam, qui ſunt Caiet. *v. excommunicatio cap.* 24. Iacobat. *lib. 4. ar. 4.* §. *Ex his concludit n.* 85. Azor. *p. 2. lib. 4. c. 5. q.* 7. Sanchez *l. 2. opus cap. 3. dub.* 104. *n.* 12. Scortia *in ſelectis* Theor. 135. §. *Sed dubitatur* Barboſ. *ad cap. licet de elect.* & alij. Et ratio eſt, quia prioris opinionis motiuo minimè vrgent.

27. Ad primum enim dicitur, quia non cõſtat vnquam hunc caſum contigiſſe, vnde non poteſt conſtare, quod illa Conſtitutio non ſit in vſu. Ad ſecundum dicitur quod vbi ſimonia ſit occulta electus à duabus partibus Cardinalium habendus eſt pro vero Pontifice Chriſti Vicario ob titulum collocatum, concurrente communi errore, quod etiam tenuerunt Iacobat. *l. 4. a. 4.* §. *ex his concludit n.* 84. Innoc. Hoſtien. Anan. & Bellarm. *ad cap. licet de elect.* Ad tertium dicitur quod imo Pius IV. §. 28. confirmat d. Iulij II. Conſtitutionem. Et licet §. 29. ſtatuat Cardinales non poſſe excludi à voce actiua, aut paſſiua prætextu cenſurarum, quod & ſtatutum fuerat in *Clemen. ne Romani de elect.* et poſtea confirmatum à Greg. XV. in Conſtitutione 13. *Aeterni Patris*, tamen hoc non releuat in hoc caſu, in quo agitur de vi decreti irritantis electionem. Confirmatur verò hæc ſententia quoniam hæc Conſtitutio ab eodem Iulio II. fuit confirmata per aliam Conſtitutionem in Concil. Lateran. *Seſſ.* 5. ſub eo inceptum, et poſtea ſub Leone Decimo terminatum. Item nedum poſtea confirmata fuit à Pio IV. in Conſtitutione *in eligendis* ſed Pontifex eam legi, et iurati per Cardinales mandat poſt Conclauis ingreſſum.

28. Non poſſum negare quod ſecunda ratio prioris opinionis non multum vrgeat, & vis il-

lius

Digitized by Google

lius magis apparet, ſi conſideretur, quod per Cônſtitutionem Iulij II. nedum decernitur nulla electio ſimoniaca, ſed mandatur, vt Papa habeatur, vt Apoſtaticus, & datur venia fidelibus recedendi ab obedientia electi, & facultas Cardinalibus eligendi nouum Papam. Ex alia vero parte de fide eſt, quod canonicè electus, & ab Eccleſia receptus ſit verus Papa in rei veritate, habens verè à Chriſto poteſtatem papalem. Turrecr. *in ſum. l. 4. p. 2. c. 9.* Suarez *de fide diſp.* 10. *ſect.* 5. Grauina *tom. 3. p. 2. l. 4. contr. 4. difficul. 3.* Io. à S. Thoma 2. *2. à q.* 1. vſque ad 7. *diſp. 2. a. 2.* vbi quod Eccleſia acceptans aliquem vt Papam, acceptat illum, vt fidei animatam regulam Azor. *p. 2. l. 5. c. 5. q. 4.* Bonacin. *de Cens. tom. 3. diſp. 1. q. 2. p. 1. n. 9.* & ex Turiano, & Pucro Carena *p. 2. tit. 3. §. 16. n. 73.* Et bene aduertit Grauina loco cit. quod Eccleſia dum vel tota omnino, vel pro tanta parte, quæ Eccleſiam totam repreſentet, recipit aliquem vt Papam non poteſt errare, quia Eccleſiæ conſenſus fallibilis eſſe non poteſt, cum rei de fide definiendæ conſenſus Eccleſiæ pro tanta parte quæ Eccleſiam totam repreſentare poſſit det firmiſſimum argumentum. Vnde ſicut Eccleſia non poteſt errare colendo aliquem vt ſanctum, qui ſanctus non ſit, vel credendo aliquid eſſe de fide, quod non ſit de fide, multò minus poteſt errare, recipiendo aliquem in Papam ideoque vt certam regulam credendorum, qui talis non ſit.

29. Sit ergo aliquis canonicè electus, licet ſimoniacè, ſed ſimonia penitus occulta non quidem mentali, ſed reali, & conſummata, & perfectiſſima, ſed tali quam non ſcit niſi electus, qui emit, & elector, qui vendidit votum. Certè talis electus habebitur ab Eccleſia ex communi conſenſu verus Papa, quia imò eum, vt talem habere debet, cum in faciem Eccleſiæ ille ſit canonicè electus, & Eccleſia ex præcepto fidei talem debet credere verum Papam cum ergò fatendum ſit, & quod fidei non poſſit ſubeſſe falſum, & quod Eccleſiæ communis conſenſus non ſit fallibilis in materia fidei, fatendum quoque eſt, quod talis licet ſimonaicè electus ſit coram Deo verus *Papa*, & coram Eccleſia, & talis verus Papa, quod ſit ei nedum obediendum, ſed credendum ſi aliquid de fide definiat.

30. Addo quod etiam tertia ratio allata à prima opinione non paruam vim habere videtur. Quod enim ſecunda opinio dicebat, quod ſcilicet *Pius* IV. mandauerit illam Iulij II. Conſtitutionem legi, & iurari non eſt verum, quia ſolum recenſet illam iurari, & eius verba ſunt iſta in §. *Volumus autem*, nimirum: *Et deinde poſt Conclauis ingreſſum legi, & iurari eo modo quo leguntur, & iurantur Conſtitutiones Iulij Secundi, & aliorũ.* Et ex quo etiã hæc conſtitutio legitur, & iuratur non ſequitur quod ſit in vſu in omni rigore, & ex omni parte, nã iuramenta de obſeruãdis legibus humanis intelliguntur de legibus quatenus ſunt in vſu, & obſeruãtur. Gomez. *in l. Tauri n. 365. & 366.* Gutierez *de iure confirmat. p. 1. c. 38. n. 14.* Malder. *in* 2. 2. D. Th. *tr.* 10. *cap.* 6. *dub.* 9. Sanchez *in Sum. l. 3. cap.* 14. Diana *p. 2. tr. 6. reſol. 39. & par. 12. tract. de collect. tem concl.* 28. 15. & alij apud ipſos. Et quod *Pius* IV. ibi Conſtitut. Iulij II. ſimul cum alijs confirmet non obſtaret ſi alias quantum ad eam partem, in qua Conſtitutio Iuliana irritat Papæ electionem illa fuiſſet abrogata per Pium, quia *Pius* illam Conſtitutionem non confirmat in ijs in quibus ſua Conſtitutio derogat, vel eſt contraria Conſtit. Iulij II.

31. Ex alia verò parte, ex quo Pius IV. & Greg. XV. voluerunt ex nulla Cenſura impediri poſſe electionem ne legitima ſit, videtur quod ex identitate rationis hæc determinatio extendi debeat ad omnem inhabilitatem de iure poſitiuo inductam, vt vel ſub nomine Cenſuræ veniat omnis inhabilitas, vel ex quo excommunicatio eſt ſumma inhabilitas, quam Eccleſia ferat contra delicta, cum reddat excommunicatum inhabilem ad beneficia, ordines, & quoſcunque actus legitimos, dum *Pontifices* decreuerunt excommunicationem non impedire quin aliquis valide eligatur in Pontificem, & hoc vitandi ſchiſmata gratia, multo magis voluerint alia impedimenta canonica non impedire hanc electionem, quin ſi fiat ſit valida. Sed hæc ſint dicta, & valeant ad probandas efficaciter has ſequentes duas concluſiones.

32. Dico igitur primò ſub Conſtitutione Iulij II. non compræhendi electionem ſimoniacam adeò occultam, vt non impediat quin electus nedum à Cardinalibus omnibus, ſed ab vniuerſali Eccleſia ſine oppoſitione recipiatur, vt Summus Pontifex. Ratio illius concluſionis eſt quia Eccleſia vniuerſalis in recipiendo Pontificem non poteſt errare, vt bene probant Grauina, & Io. à S. Thoma citati. Nam & infallibilis eſt certitudo Summi *Pontificatus*, vt actu in Eccleſia exiſtentis, & infallibilitatis Conciliorum, & Papæ in difiniendis rebus fidei, neque enim credi poteſt, quod res definita ſit veritas fidei, ſi dubitatur de legitimitate, & valore, & infallibilitate diffinitionis, & diffinientis, nec diffinitio poteſt credi, vt infallibilis, ſi dubitatur an Papa diffiniens ſit Papa habens infallibilem aſſiſtentiam Spiritus Sancti; nec poteſt dici quod ad fidei infallibilitatem ſufficit, quod credatur, quod his qui habetur vt Summus *Pontifex* eſt talis Deo ſupplente auctoritatẽ Pontificiã illam ratione erroris communis, & illam tribuente ei qui non eſt verus Papa. Tum quia ſecundum hanc reſponſionem ſtat quod aliquis electus à *Cardinalibus* in facie Eccleſiæ canonicè, & ab Eccleſia vt talis receptus poſſit haberi, vt non verus Papa, vel non credi, vt talis, vel dubitari, quod non ſit talis, cum tamen fidem hanc, vt infallibilem à quolibet fideli Eccleſia exigat, vt patet ex illa interogatione Martini V. in Concil. Conſtan. *ſeſſ.* 45. quam eſſe faciendam ſuſpectis de fide decernit, & eſt: *Interim vtrum credat, quod Papa canonicè electus, qui pro tempore fuerit eius nomine proprio expreſſo ſit ſucceſſor B. Petri habens ſupremam auctoritatem in Eccleſia Dei?* Hæc enim interrogatio petit fidem huius propoſitionis in ſingulari. v.g. Alexander VII. qui in facie Eccleſiæ eſt canonicè electus eſt Succeſſor B. Petri habens ſupremam auctoritatem in Eccleſia Dei. Sed ſi poteſt eſſe, quod aliquis in facie Eccleſiæ canonicè electus, ideoque ſine oppoſitione ab vniuer-

ſali

ſali Eccleſia receptus non ſit verus Papa, eſto ſit Papa fictione Iuris, vel ſuppletiuè, illi interrogationi poſſet tutò reſponderi *non credo* quod hic canonicè in facie Eccleſiæ receptus ſit ſucceſſor B. Petri &c. non eſt vero credendum, quod Iulius II. vel in minimo voluerit præiudicare infallibilitati credulitatis, quam fideles ex fidei præcepto habere tenentur de vero Pontificatu eius qui, in facie Eccleſiæ totius ſine oppoſitione habetur vt canonicè electus Igitur dici debet, quod eius Conſtitutio non compræhēdit electum ſimoniacè itá occultè, quod in facie Eccleſiæ eſt canonicè electus, & ſine vitio & nullo opponente receptus.

33. Si quis objiciat, quod Iulius II. vult quod contra electum ſimoniace poſſit objici, & excipi de ſimoniaca labe tanquam de vera, & indubitata hæreſi etiam poſt inthronizationem, & adorationem, & itá vt ſimoniaca electio per adorationem, & omnium Cardinalium conſenſum nullo vnquam tempore conualeſcat, etiam poſt longiſſimum tēporis curſum. Reſpondetur quod nulla hic ſit mentio conſenſus totius Eccleſię, ſed adorationis Cardinalium, & inthronizationis, & ſolum ſtatuitur, quod huiuſmodi ſimoniaca electio, nec per ſubſequtntem inthronizationem ſeu temporis curſum, aut omnium Cardinalium adorationem vllo vnquam tempore conualeſcat. Prohibetur igitur quod electio non conualeſcat, vel ex adoratione Cardinalium, vel ex vi curſus temporis, cum quo ſtat, quod non ſit nulla illa, quæ nedum habet omnium Cardinalium, ſed totius Eccleſiæ conſenſum, quæ non indiget, vt curſu temporis conualeſcat, quia non eſt nulla, ſed valida, & vt talis haberi debet ſi haberi debet fides, quod electus canonice in facie Eccleſiæ & ſine oppoſitione á tota Eccleſia receptus ſit verus B. Petri ſucceſſor. Alias enim dicere, quod ex vi Conſtitutionis Iulij Secundi inſurrexerit in Chriſto obligatio ad talem prouidentiam Eccleſiæ adhibendam, vt ſcilicet non permittat, vel quod aliquando in electione Papæ committatur ſimonia, vel ſi committatur, quod maneat occulta, & Eccleſiæ non manifeſtetur, ne contingat illam errare in receptione Papæ, eſt magis confirmare, quod illa Conſtitutio non loquitur in caſu Papæ recepti á tota Eccleſia quia tunc caſus Bullæ eſt impoſſibilis, ſcilicet quod Papa receptus ſimoniacè intrauerit.

34. Dicitur ſecundo ſub Conſtitutione Iulij Secundi non compræhendi ſimoniam ita occultam, vt de illa tanquam de indubitata hæreſi in tempore debito non exceperit aliquis ex Cardinalibus preſentibus electioni. Vnde electio ratione ſimoniæ non eſt habenda vt nulla, ſi nullus Cardinalium in tempore legitimo defectum ſimoniæ non oppoſuit. Probatur hæc concluſio quia de iure diuino nulla electio ſimoniaca eſt nulla ipſo facto, & de iure humano electio Papæ non eſt nulla ratione ſimoniæ niſi ex Conſtitutione Iulij II. qui tamen non vult eam haberi vt nullam, niſi Cardinalium aliquo ex preſentibus electioni de illa excipiente in tempore legitimo. Quod electio ſimoniaca de iure diuino non ſit ipſo iure nulla, quid quid in contrarium dixerit Henticus *quodlib. 6. q. 26.* Adrian. *quod ib. 9. art. 3.* Armac. *lib. 10. qq.* Armen. *cap. 13. & 25.* optimè docuerunt Sotus *de iuſt. & iur. lib. 9. q. 8. art. 1. in princ. & ad 6.* Couar. *regula peccatum p. 2. §. 8. n. 7.* Palud. in 4. *diſt. 15. q. 5. n. 9.* Sylu. *ver. Simonia* q. 20. Cajet. *eod. verbo.* Victor. *2. p. prælect. de ſim. n. 4. & 5.* Redean. *p. 3. cap. 8. n. 4.* Rebuff. *in prax. tit. de ſimonia in reſignat. n. 15.* nam vbi Chriſtus *Matth.* 10. dixit; *Gratis accepiſtis, gratis date* non per hoc largitionem aliter factam irritam eſſe ipſo facto decreuit. Et apud Iuriſconſultos receptum eſt legem, quæ aliquid prohibet, & modum agendi preſcribit non declarare ipſo facto actionem irritam ſi aliter fiat, niſi apponat decretum irritans. Sic enim cum lex diuina Luc. 6. præcipiat mutuū date, nihil inde ſperantes, nihilominus Vſurarius acquirit dominium lucri vſurarij ſecundum Gloſſ. *cap. ſi quis vſuram 14. q. 4.* quam ſequuntur Nauar. *in man. cap. 17. n. 265.* & alij quamuis in hac parte merito oppoſitum ſentiāt ex D. T. *2. 2. q. 78. a. 3.* Valent. Salon., & Bannes ibid. & plures alij apud Bonac. *de contract. diſp. 3. q. 3. p. 14. n. 1.* Et nihilominus hoc non obſtante, ſi rei lucrum hoc cōſiſtat in rebus vſu conſumptibilibus, quæ ſint admiſtæ rebus vſurarij, quod earum dominium tranſeat in vſurarium dixit Baſſæus *v. vſura 6. n. 1.* ſed de his alias.

35. Et in propoſito noſtro licet Bonifacio Secundo, Vigilio, & alijs Pontificibus ſimoniacæ quædam ſponſiones objiciantur, cum tamen alias de legitima eorum electione conſtet, nemo iuſte de eorum Pontificatu dubitauit.

36. In iure autem Canonico antiquo non eſt tam facile reperire canonem, in quo ſimoniaca promotio declaretur ipſo iure nulla, vt conſideraui etiam *in tract. de elect. c. 7. q. 14.* Hoc verò eſt certum ex Extrauag. *cum deteſtabile de ſimonia* ſed tamen, nec alij canones, nec Extrauag. *cum deteſtabile* comprehendit electionem Summi Pontificis, vt infrà etiam conſidero, quæ nec venit ſub nomine communi electionis ad Eccleſias, & pro ſui dignitate proprijs legibus regitur, non verò communibus. Vnde ſequitur, quod ratione ſimoniæ electio Papæ ſolum ex Conſtitutione Iulij Secundi eſt nulla ipſo facto.

37. At verò conſiderandum eſt, quod vbi alias aliqui, in facie Eccleſiæ eſt electus legitimè in Pontificem, ſi ipſe conſentiat electioni non poteſt illi negari obedientia, niſi in caſu, in quo contra eius electionem poſſit excipi de facto, & de iure. At verò præciſa Conſtitutione Iulij Secundi, vt infra probo ex profeſſo, contrà electionem Papæ non poteſt excipi ex iure communi de Simonia, vnde pro hac parte tantum poteſt excipi quantum permittit Iulius Secundus in ſua Conſtitutione. At verò Iulius Secundus ſolum Cardinalibus, & quidem non omnibus, ſed ijs ſolis, qui electioni Pontificis interfuerint permittit, vt poſſint ſe opponere, & excipere de ſimonia contrá eiuſdem Pontificis electionē, vt patet ibi: *Sed etiam contra dictum ſic electum, vel aſſumptum de ſimoniaca labe, à quocunque Cardinali qui eidem electioni interfuerit, opponi, & excipi poſſit, ſicut de vera, & indubitata hæreſi, ita quod à nullo pro Romano Pontifice habeatur.* Quamobrem,

brem, quod Iulius II. in §. *Liceatque omnibus*, concedit Cardinalibus vniuerſo Clero, & Populo Romano, & ſubditis diſcedere ab obedientia electi ſimoniacè debet intelligi iuxta prædicta verba, vt id licitum ſit ſuppoſita exceptione data à Cardinalibus, qui electioni præfatæ interfuerunt, hoc enim importat illa particula poſita poſt quam conceſſa fuit facultas excipiendi, quæ eſt *ita quod à nullo pro Romano Pontifice habeatur*. Cuius ſenſus eſt tunc demum licere non habere electum pro Romano Pontifice, quãdo ab aliquo Cardinalium, qui eidem electioni interfuerit contra eandem electionem exceptum fuerit de ſimonia. Sic enim, & in §. *ad cuius*, Cardinalibus, qui ſe præfatæ electioni opponere voluerint concedit poſſe implorare auxilium brachij ſecularis contra electum. Ex quò clarius patet, nec licere ſecularibus excipere de ſimonia contra electionem Papæ, nec eiſdem ſecularibus competere, vt electioni Pontificis ſe opponant, prętextu ſimoniæ, niſi præeunte iudicio alicuius Cardinalis, qui contra præfatam electionem exceperit tanquam de vera, & indubitata hæreſi.

36. In omnibus enim iſtis, & ſimilibus caſibus, in quibus de iure communi aliquod non eſt permiſſum, idem eſt quod ex iure ſpeciali aliquid non fuerit expreſſe conceſſum, & quod fuerit ſnegatum. Ac propterea cùm nec omnibus Cardinalibus, ſed illis qui fuerint præſentes electioni Papæ Iulius II. expreſſe concedat poſſe contra eandem electionem excipere de ſimonia, hoc alijs omninò tam Cardinalibus, quam ſecularibus intelligitur eſſe negatum. Et cum ex eiuſdem Iulij conſtitutione tunc ſit locus, vt electus à nullo pro Romano Pontifice habeatur, quando contrà eius electionem ab aliquo Cardinalium fuerit exceptum de ſimonia, tanquam de vera, & indubitata hæreſi, ſequitur quod extra hunc caſum id omnibus ſit omninò prohibitum.

39. Ex his igitur manet probata concluſio, quia nullo ex Cardinalibus, qui interfuerunt electioni Papæ excipiente contra illam de ſimonia, nec licet alicui alteri id excipere, nec ab obediẽtia alias legitimè electi diſcedere, & ex conſequenti eius electio non poteſt haberi vt nulla ex vi Conſtitutionis Iulij II. Quod ſi addatur, quod exceptio dari debet in tempore legitimo, hinc etiam apparet, quod tranſacto tempore ad excipiendum non eſt vnde prætextu ſimoniæ electio Papæ dicatur nulla nam in Concil. Conſtan. vt ſupra *q.* . . . . dictum eſt, in ſimili caſu de exceptione danda de coactione ob vim, & metum expreſſa eſt forma ſeruanda, vbi contra Papæ electionem excipi debeat.

40. Tandem aduertendum, quod ſi ad probandam ſimoniam neceſſe ſit alicuius ſuffragiũ publicari, publicandum eſt, quia cum vitium ſimoniæ poſſit opponi contra electionem, ſi ad hoc probandum neceſſarium eſt inſpicere ſchedulas, & in eis nomen eligentis, ſchedulæ aperiendæ erunt, vt opponens poſſit probare, quod oppoſuit, ſicut ex Conſtitutione Gregor. XV. aperiendæ ſunt ad videndum ſi electus ſe ipſum elegit. Bonac. vbi ſupra *n.* 16. uam ex eadem Conſtitutione §. *etſi* aperiende ſunt ſchedulæ, præſata, aut alia neceſſitate cogente.

41. Præter nullitatem autem electionis Papæ celebratæ ex ſimonia, & pœnas latas contra intruſum ſimoniace in ſedem Apoſtolicam, Iulius etiam contra Cardinales ſimoniacè eligentes, & contra mediatores ſimoniæ pęnas tulit, & ita diſpoſuit. *Cardinales verò, qui eum ſic ſimoniace elegerint à ſuis ordinibus, & etiam Cardinalatus titulis, & honore, ac quibuſcunq; Patriarchalibus, Archiepiſcopalibus, Epiſcopalibus, & alijs Prælaturis, ac dignitatibus, & beneficijs, quæ in titulum, vel commẽdam tunc obtinebant, vel in quibus, ſeu ad quæ ius tũc habebant, abſque alia declaratione priuati exiſtant. niſi ab illo penitus, & cum effectu diſceſſerint, & reliquis Cardinalibus, qui huiuſmodi ſimoniæ non conſenſerint, infra terminum octo dierum poſtquam fuerint ab eis requiſiti, perſonaliter ſi fieri poterit, alias per edictum publicum ſe abſque fictione, vel fraude vniuerint, & coniunxerint. Et tunc ſi præfatis alijs Cardinalibus ſe vniuerint, & coniunxerint, in priſtinum ſtatum, & ad priſtinos honores, & dignitates etiam Cardinalatus, & Eccleſias, ac beneficia quibus præerant, & quæ obtinebant reintegrati, rehabilitati, ac reſtituti, & repoſiti ab huiuſmodi ſimoniæ labe, & cenſuris, ac pęnis Eccleſiaſticis quibuſcunque abſoluti eo ipſo exiſtant. Mediatores verò, proxenetæ, trapezitæ tam Clerici, quam laici, cuiuſcunque dignitatis, qualitatis, & ordinis fuerint etiam Patriarchali, Archiepiſcopali, ſiue Epiſcopali, vel alia ſeculari, mundana, ſiuè Eccleſiaſtica dignitate præditi, etiam quorumcumque Regum, & Principum Oratores, vel Nuncij, huius ſimoniacæ electionis participes, ſint omnibus ſuis Eccleſijs, beneficijs, prælaturis, & feudis, ac alijs quibuſcumque honoribus, & bonis eo ipſo priuati, & ad ſimilia inhabiles, ac etiam actiuè, & paſſiuè inteſtabiles, & eorum bona ipſo facto ad inſtar reorum criminum læſæ maieſtatis, fiſco Apoſtolicæ Sedis applicentur, & deuoluantur, ſi prædicti delinquentes Eccleſiaſtici fuerint, vel alias Romanæ Eccleſiæ ſubditi. Bona verò, & feuda taliter delinquentium non ſubditorum ſecularium, in partibus exiſtentia, fiſco ſecularis Principis, in cuius territorio bona ſita fuerint ipſo facto ſimiliter applicentur. Ita tamen, quod ſi infrà tres menſes à die quo notum fuerit illos ſimoniam comiſiſſe, vel participaſſe Principes dicta bona fiſco ſuo actualiter non applicauerint, ex tunc illa fiſco Eccleſiæ Romanæ applicata cenſeantur, & ſint eo ipſo abſque aliqua ſimiliter declaratione.*

42. Circa verò huiuſmodi pœnas latas contra Cardinales ſimoniace eligentes Pontificem, & contra mediatores in huiuſmodi ſimonia conſiderandum eſt, quod quantum ad excommunicationem Gibalin. in ſynopſi Cenſurarum *v. electio n.* 1. extendit eam etiam ad complices ſimoniæ, ſcilicet ad mediatores, auxilium dantes &c. ſed verum eſt, quod hæc excommunicatio afficit ſolos Cardinales Caiet. *v. excom. c.* 24. Theſaur. *v. ſimonia cap.* 8. Bonac. *de Cenſur. in part. diſp.* 2. *quæſt.* 7. *punct.* 1. §. 1. Et de elect. Papæ *diſp.* 2. *quæſt.* 7. Scortia *in ſelectis theoremat.* 136. Imò percu it ſolum tempus vacantiæ ſedis Apoſtolicæ, vt tradunt Caiet. & Scortia citati & Suarez *de Cenſur. diſp.* 22. *ſect.* 6. *num.* 1. & afficit Cardinales tempore vacantis Sedis Apoſtolicæ vnam ex ſequentibus ſex actionibus habentes, quæ ſunt contrauenire diſpoſitis in ea Conſti-

Digitized by Google

tutione vel contra eam ſtatuere, diſponere, & ordinare aliquomodo facere, & aliquomodo attentare. Imo Scortia dicto Theorem. 139. ſentit quod contra electum ſimoniacè nulla ſit ibi lata excommunicatio, ſed ſolum contra Cardinales eligentes, quod poſſet habere locum ſi electus non eſſet Cardinalis, quia verè in ea Conſtitutione in §. *Inhibentes excommunicantur ſoli Cardinales*, ſed ſi electus ſit Cardinalis, cum non poſſit dici, quod non contrafaciat illi Conſtitutioni præſtando conſenſum electioni ſimoniacæ, negari etiam non poteſt, quod non ſit excommunicatus. Ponitur autem diſtinctio inter hanc excommunicationem & alias pœnas irritationis electionis, priuationis bonorum, Cardinalatus, &c. quæ latæ ſunt tam contra Cardinales, quam contrà mediatores, & auxilium dantes, quod excommunicatio afficit etiã attentantes electionem ſimoniacam etiam illa nõ ſequuta, & ideò ſi vnus, vel plures Cardinales venderent votum pro vno, ſed electus fuerit alius ſunt excommunicati, quia iſti attentarunt electionem ſimoniacam, imò dicendus erit excommunicatus Cardinalis, qui verè vendidit ſuum ſuffragium pro vno eligendo, & poſteà alium eligit, quia contrafecit in aliquo dictæ Conſtitutioni, & electionem ſimoniacam attentauit, In terminis tamen Conſtit. Gregor. ſi pænituerit liberatur à pœnis. Sed aliæ pœnæ non afficiunt attentata, ſed imponuntur pro actione, contra quam latæ ſunt, ſi fuerit conſummata, & perfecta Theſau. *v. ſimonia c.* 8. Bonac. *de elect. Pontif. diſp.* 1. *quæſt.* 2. §. *vnico num.* 17. & apud eum Sopranus, qui tamen minus benè non diſtinguit inter excommunicationem, & alias pœnas, quia ad excommunicationem incurrendam ſufficit aliquid attentare contra d. Conſtitutionem.

43. An verò Cardinales eligentes Papam ſimoniacè incidant in pœnas Extrauag. 2. de ſimonia Theſaur. vbi ſupra ex Nauar. *conſil.* 17. *de ſententia excom.* probabilius eſſe arbitratur eos incidere in excom. dictæ extrauag. ſed non tamen ex vi illius electionem irritam eſſe, quia non derogat *cap. licet de elect.* ſed dicendum eſt ſub nomine electionis ad Eccleſias, & beneficia ſic in generali non venire electionem ad Summũ Pontificatũ, vnde & alia quæ generaliter de electione ſtatuta ſunt non habent locum in electione Papæ ob ſui excellentiam.

Quæ pacta, conuentiones, & obligationes prohibitæ, & quis tractatus permiſſus in electione Pontificis.

QVAESTIO XXII.

1. ITà per Summos Pontifices prohibitæ fuerunt ſponſiones, pacta, conuentiones, &c. habitæ de aliquo eligendo in Pontificem, quod tamen Gregor. XV. expreſsè permittit, vt Cardinales ſede vacante de huiuſmodi tractent electione, vndè videndum eſt, quid in hac parte ſit prohibitum, & quid conceſſum. Et quidẽ per Nicolaum Secundum in Concil. Rom. emanauit decretum, de quo in *cap. Si quis pecunia diſt.* 79. *Si quis, inquit, pecunia, vel gratia humana, vel populari, ſeu militari tumultu ſine concordi, & canonica electione, ac benedictione Cardinalium Epiſcoporum, ac deinde ſequentium ordinum Religioſorum Clericorum fuerit Apoſtolica Sedi inthronizatus, non Apoſtolicus, ſed apoſtaticus habeatur, liceatque Cardinalibus Epiſcopis cum Religioſis, & Deum timentibus Clericis, & Laicis inuaſorem etiam cum anathemate, & humano auxilio, & ſtudio à Sede Apoſtolica repellere, & quem dignum iudicauerint præponere. Quod ſi hoc intra Vrbem perficere nequiuerint noſtra Apoſtolica auctoritate congregati in loco, qui eis placuerit eligant quem digniorem, & vtiliorem Apoſtolicæ Sedi perſpexerint, conceſſa ei auctoritate regendi, & diſponendi res, & vtilitatem S. R. E. ſecundùm quod ei melius videbitur iuxtà qualitatem temporis, quaſi iam omnino inthronizatus ſit.*

2. Eſt verò circa hunc canonem conſiderandum, quod directè militat non contra ſimoniã, ſed contra electum à non habentibus ſuffragium in electione Papæ, ſiuè electum, ſinè concordi & canonica electione, vt bene notat Gloſſ. *v. Non Apoſtolicus.* Iacobat. *l.* 4. *a.* 4. §. *Et licet.* Nam ex vi huius canonis electio ſimoniacè facta ab electoribus legitimis non eſt ipſo iure nulla, imò tunc neque erat caſſanda, & neque tunc, vt benè aduertit Turrecrem. poterat contra electionem excipi, quia facta fuiſſet ſimoniacè, ſi alias facta erat ex concordi, & canonica electione. Sed Nicolaus Secundus cenſet nec eſſe Papam, nec habendum vt talem illum, qui ſine concordi, & canonica electione per ſimoniam, vel tumultum popularem fuit intruſus.

3. Conſiderandum eſt ſecundo, quod Nicolaus Papa mandat, vt intruſus anathemate reijciatur, & videtur, quod hanc poteſtatem excõmunicandi tribuat etiam laicis. Sed vt aduertit Gloſſa in *v. laicis*, quæ ibi dicuntur, debent reſpectiuè intelligi, & ſingula ſingulis referri, vt ſcilicet Clericis competeret inuaſorem excommunicare, & Laicis humano auxilio, & vi illum repellere. Sed melius dicitur ex Card. Iacobat. *de Conc. l.* 3. *a.* 1. *pag. mihi* 146. quod ibi textus loquitur non de facultate excommunicandi, ſed habendi intruſum vt excommunicatum, quod tam Clericis, quam Laicis conceditur, & mandatur.

4. Et quia verè talis non electus canonicè non eſt Pontifex præcipitur electoribus, vt aliũ eligant, quem digniorem, & vtiliorem Eccleſiæ perſpexerint, qui electus etiam nedum inthronizatus auctoritatem habebat adminiſtrandi Eccleſiam, ſecundùm quod ei melius videbatur. Et huic etiam competebat inuaſorem excommunicare, & auxilio brachij ſæcularis implorato expellere.

5. Poſteà Gregor. X. in Concil. Lugdun. vt habetur *cap. Vbi periculum,* §. *Cæterum de elect. in* 6. exhortans Cardinales ad hoc vt liberè ab omni obligatione, & affectione, & Dei gloriam ſolam, & Eccleſiæ vtilitatem præ oculis habentes in electione non quærant, quæ ſua ſunt, ſed idoneum ad Eccleſiæ regimen eligant, caſſauit, & irritauit omnes prouiſiones, & pacta etiam iurata, quæ fieri contingerent, & in hanc formã

loquu-

loquutus fuit: *Cæterum quia cum arbitrium, vel inordinatus captiuat affectus, vel ad certum aliquod obligationis cuiuſque neceſſitas adigit, ceſſat electio, dum libertas adimitur eligendi, Cardinales eoſdem obſecrantes per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, per aſperſionem ſui pretioſi Sanguinis obteſtamur, vt penſantes attentius quid eis imminet, cum agitur de creatione Vicarij Ieſu Chriſti ſucceſſoris Petri, Rectoris vniuerſalis Eccleſiæ, gregis dominici directoris, omni priuata affectionis inordinatione depoſita, & cuiuslibet pactionis, conuentionis, obligationis neceſſitate, nec non condicti, & intendimenti contemplatione ceſſantibus non in ſe reciprocent conſiderationis intuitũ, vel in ſuos, non quæ ſua ſunt quærant, non commodis priuatis intendant, ſed nullo arctante ipſorum in eligendo iudicium, niſi Deo puris & liberis mentibus nuda electionis conſcientia vtilitatem publicam liberè proſequantur omni conatu, & ſollicitudine prout poſſibilitas patitur, ad actum tantummodò, vt eorum miniſterio acceleretur vtilis, & pernecessaria totius mũdi prouiſio, idoneo celeriter eidem Eccleſiæ ſponſo dato. Qui autem ſecùs egerint diuinæ ſubiaceant vltioni, eorum culpa (niſi graui propter hoc peracta pœnitentia) nullatenus abolenda. Et nos nihilominus pactiones, conuentiones, obligationes, condicta, & intendimenta omnia ſiuè iuramenti, ſiuè cuiuslibet alterius fuerint vinculo firmitatis innixa, caſſamus, irritamus, & viribus decernimus omninò carere, ita quod nullus ad illa obſeruãda quomodolibet ſit adſtrictus, nec quiſquam ex eorum tranſgreſſione notã vereatur fidei non ſeruatæ, ſed non indignæ laudis titulum potius mereatur, cum lex etiam humana teſtetur: Deo magis tranſgreſſiones huiuſmodi, quam iuſiurandi obſeruationes acceptas.*

6. Nonnulla autem conſideranda ſunt circa hunc textum. Et quidem primo quod prauæ affectiones captiuant arbitrium, & quodammodo ſeruum reddunt. Et licet iuxta doctrinã D.Thom. *p.2.q.6. a.7.* concupiſcentia potius augeat voluntarium, nihilominus affectiones malæ quodammodo ligant voluntatem, illamque abſtrahunt, & alliciunt, atque impediunt, ne bonum ſequatur, iuxtà illud Iacob. 3. *Vnuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus.* Indè eſt quod paſſionibus, & affectionibus ligatus animus eligentis veluti captiuus, & à ſua concupiſcentia tentatus abſtrahitur à rectitudine electionis, ita vt Pontifex talem captiuum ab inordinato effectũ iudicet, & quodammodo non liberum ad rectè eligendum.

7. Conſiderandum ſecundo, quod obligatio licet liberè contracta quædam neceſſitas eſt, quę poſtea adſtringit voluntatem ad faciendũ quod pœnitet aliquem promiſiſſe. Adeò quod, prout aduertit Gemin. *nu.1.* quis non dicitur quodãmodo habere poteſtatem eligendi, quando priús eſt adſtrictius ex aliqua promiſſione ad certum quid eligendum.

8. Quæri autem poſſet an ſit aliqua differentia inter pactum, obligationem, & conuentionẽ. Et quamvis aliqua eſſe poſſit, vt colligitur ex *l.1. ff.de pact. & l.non dubium C. de legibus*, tamen in dicta decretali pro eodem ſumuntur Gemin. *num. 2.*

9. Pariter ſi quæratur, quæ ſit differentia inter condictum, & intendimentum? Reſpondet Gemin. quod condictum eſt quando Cardinales inter ſe conueniunt, quod non eligent niſi de Collegio, ſecundum Archidiacon. vel quando aliqui inter ſe fecerunt ligam. Intendimentum verò dicitur, quando aliquis ex electoribus dixit, ſi talis eſſet *Papa*, tu eſſes *Papa*, vel his ſimilia ſecundum Archid. & Io: Andr. *Coccin. d.Gloſſ. ad §. Cardinales.*

10. Vbi verò Nicolaus Secundus in *cap. Si quis pecunia diſt.79.* hortatus fuit electores ad eligendum meliorem, & vtiliorem Gregor. X. ſolum petit eligi idoneum. Nam cum idoneus hic dicatur ſecundum quod humana natura cõcedit poſſibilitatem, quia ſecundum celſitudinem dignitatis nullus inueniretur *cap. Non vos, & ſeqq. diſt.40.* & *cap.1.n.3. q.2.* Archid. *ad d. §. Cæterum.* Io. Andreas, & Gemin. *nu.3.* hinc eſt, quod coincidunt in rei veritate melior, & idoneus. Quia ille idoneus eſt cenſendus, quo melior non inuenitur, cum idoneum omninò habere non poſſimus, & iſte melior eſt dicendus, quo non eſt vtilior, & aptior. Dupliciter igitur aliquis poteſt dici idoneus ad Pontificatum, vel de iure poſitiuo, & hoc modo plures idonei reperiri poſſunt, quia ad hanc idoneitatem ſufficit, quod alicui nulla deſit ex conditionibus de iure requiſitis; alius eſt idoneus de iure diuino; & hic idem eſt, quod melior, quia cum omninò idoneum habere non permittat humana conditio, lex diuina, vt infra ſuo loco probatur exigit, vt eligatur minus inidoneus, qui poſſit haberi.

11. Omnia autem pacta, promiſſiones, obligationes, condicta, intendimenta, & conuentiones caſſat Greg. X. Vndè quidquid ſit modo, an aliquod pactum ſit ex lege diuina ſimoniacum, aliud verò ſolum ſit tale ex lege poſitiua canonica, & aliud dicatur non eſſe aliquo modo ſimoniacum, hic omne pactum, & omnis obligatio, & quæcunque conuentio irritatur, & caſſatur, quæ quocunque modo neceſſitat Cardinalium voluntatem, vt in electione Pontificis non ſit plenè libera. Dictio enim illa *Omnia*, compræhendit omnes ſpecies ſub præfatis generibus & pactis contentas, vt ex *l.Iulianus, & l. Textoribus ff.de legat. 3.* probat Coccin. *in d. Gloſſem. pag. 474. ad §. Cardinales*, vbi ponderat etiam, quod dictio *Conuentiones*, ità eſt ampla, vt nullus ſit contractus, aut obligatio, quæ ſub ea non compræhendatur *l.1. ff.de pact.* & ſub dictione *promiſſiones* continentur, tam explicitæ, quam implicitæ, *l.Sciendum 19. ff.de ædil. ad t. l. Nutu ff.de legat.3.* nomen enim *promiſſio* ſignificat tam pactum, pollicitationem, & conuentionem quãcunque, quam ſtipulationem *d. l. ſciendum §. 1. & ſeqq. & l.3. ff.de pollicit.* Nec obſtat, ſi huiuſmodi ſint iuramento, aut alio vinculo firmata, quia vt ait textus: *Deus magis tranſgreſſiones huiuſmodi, quam iuſiurandi obſeruationes acceptat.* Quidquid igitur obligationis interuenit Cardinalibus ſiuè cum Cardinalibus, ſiuè cum alijs quibuſcunque, quod poſſit impedire ne Cardinales cum pleniſſima libertate ſolum quærant in electione Pontificis, quæ Dei ſunt, totum ex vi dictæ decretalis irritum eſt, nec ex eius inobſeruãtia aliquam notam Cardinales incurrere poſſunt.

Digitized by Google

12. Nullam verò pœnam tulit Gregor. contra huiuſmodi paciſcentes, niſi quod eos remiſit diuinæ vltioni à Deo puniendos.

13. Deindè Iulius Secundus in Conſtitutione *Cum tam diuino*, eaſdem conuentiones prohibuit in §. *Promiſſiones*, ſic ſtatuens: *Promiſſiones quoque, & obligationes, ſiuè ſponſiones propterea quandocumque etiam ante tempus dictæ electionis, etiam extra perſonas Cardinalium, per quoſcunque alios quomodocunque factæ, cum quauis inexcogitabili ſolemnitate, & forma etiam iurata, conditionales, ſiuè euentuales, & in forma excommiſſarum ex quacunque cauſa etiam depoſiti, mutui, camby, confeſſionis de receptis, donationis, arrendamenti, vel venditionis, permutationis, vel alterius cuiuſcunque contractus, etiam in ampliori forma Cameræ Apoſtolicæ factæ, ſint nullæ, & inualidæ, & ad eligendum inefficaces, nullusque illarum vigore cogi, vel conſtringi poſſit in iudicio, vel extra, liceatque omnibus ab illis impunè, abſque aliquo metu, ſiuè periurij nota, recedere*. Tandem verò Greg. XV. in Conſtitutione *Aeterni Patris*, eadem prohibuit in §. *Cardinales*, & ità ordinauit: *Cardinales prætereà omninò abſtineant ab omnibus pactionibus, conuentionibus, promiſſionibus, intendimentis, condictis, fœderibus, alijſque quibuſcunque obligationibus, minis, ſignis, contraſignis, ſuffragiorum, ſeù ſchedularum, aut alijs tam verbo, quam ſcripto, aut quomodocunque dandis, aut petendis tam reſpectu incluſionis, quam excluſionis, tam vnius perſonæ, quam plurium, aut certi generis, veluti creaturarum, aut huiuſmodi, ſeù de ſuffragio dando, vel non dando, quæ omnia & ſingula, ſi de facto interuenerint, etiam iuramento adiecto nulla, & irrita neque ad eorum obſeruantiam quemquam teneri, aut ex tranſgreſſione notam incurrere fidei non ſeruatæ decernimus, & declaramus, & contrafacientes ex nunc excommunicationis pœna inondamus; tractatus tamen pro electione habendos, vetare non intelligimus*.

14. In hoc decreto Gregor. XV. prohibentur ea, quæ à præcedentibus Pontificibus prohibita fuere. Addit verò ad maiorem expreſſionem à *fœderibus*, ſcilicet à conuentionibu ab vtraque parte factis, ſiuè ſint pares, ſiuè diſpares *l 7. ff. de captiu. & poſtlim. recur.* & videtur idē importare quod condictum, cum ſit ſpecies ligæ quæ compræhenditur ſub nomine condicti. Deindè ſubiungit. *Ab alijs quibuſcumque obligationibus, &c.* Nam dictio *alijs*, cum ſit coniuncta cū dictione *quibuſcumque*, quæ eſt dictio vniuerſalis, omnia compræhendētis, & quaſi immutans naturam eorum, quibus adiungitur Menoch. *conſ. 335. num. 23.* Ceued. *ſingul. 91. num. 1.* compræhendit caſus præcedentes etiam diſſimiles. Couar. *pract. cap. 25. nu. 23.* & in terminis huius dictionis *quibuſcumque*, Bertazzol. *de claoſ. clauſ. 27. Gloſſ. 12. nu. 2.* Intrigliol. *dec. Sicil. 3. num. 139.* & proptereà Conſtitutio vult, quod Cardinales abſtinea t ab alijs quibuſcumque obligationibus, quod etiam verbum eſt generale, & compræhendit obligationes tam ex contractu, vel quaſi, quā ex alio capite vt colligitur ex *l. . in princ. ff. de pact.* Dicunt tamen DD. *in cap. Vbi periculum de elect. in 6.* quod verbum *Pactionis*, obligationis, conuentionis, & promiſſionis, licet de iure habeant plures ſignificationes, tamen in materia dicti textus, & ſic etiam in caſu noſtro, pro eodem verbo ponuntur. Archid. ibid. *col. 3. in fin. verſ. obligationes*, Gemin. *in §. Cæterum nup. 2. verſ. quæro*. Tandem à minis, idest comminationibus, incuſſionibus, & metu per verba, aut ſigna, Bartol. *in lege 1. §. quæ onerandæ in fin. ff. quar. rer. action. non datur.* Et conſtitutio ex abundanti dicit, quod abſtinant à prædictis tam verbo, quam ſcripto, aut quomodocunque dandis, aut petendis, quæ tamē etiam compræhendebantur in præfatis verbis, & obligat ad prædicta tam reſpectu incluſionis, quam excluſionis, tam vnius perſonæ, quam plurium, aut certi generis, veluti creaturarum, aut huiuſmodi, ſeù ſuffragio dando, vel non dando, quæ ferè omnia virtualiter compræhendebantur ſub verbis præfatis.

Secunda Pars Quæſtionis.

15. QVamuis Pontifex prohibeat promiſſiones, conuentiones, obligationes, &c. permittit tamen tractatum. Quod videtur habere difficultatem, quia vix intelligibile eſt quomodo Cardinales poſſint ſimul tractare de eligendo Pontifice abſque eo quod ſimul conueniant de aliqua determinata perſona eligenda, & eiuſdem electionem promittāt. Hoc tamen primum dicendum eſt, quod in hac parte omnia cenſentur permiſſa, quæ non reperiuntur prohibita, .ſ. quæ nō continentur ſub pactionib. ſpōſionibus, intendimentis, condictis, fœderibus, alijſque quibuſcumque obligationibus, & minis, &c. In edictis enim prohibitorijs, quale eſt iſtud, quod non eſt prohibitum cenſetur per legem permiſſum *l. nec non 27. verſ. qua clauſula ff. ex quib cauſ. maior l. ab ea ff. de probat. l. 1. §. 1. ff. de teſtib. l. mutus §. cum quæritur ff. de procurat. l. ſtatuas C. de relegat.* Gloſ. *in d. l. nec non in v. prohibetur*, quod eſt verum, niſi id quod nō eſt prohibitum, alias per ſe ſit malum, vel illicitum *l. 3. ff. de colleg. illicit.* Gloſſ. prædicta *in fin.* Et in hoc edicta prohibitoria differunt ab edictis permiſſorijs, quia in iſtis, quod non eſt permiſſum cenſetur expreſsè prohibitum *c. Conſuluiſti 2. qu. 5. cap. hoc tantum 8. qu. 2 c. 2. de tranſact. l. 1. ff. de Colleg. illicit.* Clem. *exiui. §. Porrò, de verborum ſignificat.* Calderin. *de Interdict. in 2. par. nu. 3.*

16. His verò ſtantibus cum tractatus diuidatur in Conſultorium, & diffinitiuū dicendum nunc eſt Pontificem permittere nedum tractatum conſultorium, ſed etiam diffinitiuum. Tractare enim idem eſt, quod diſcurrere, agere, deliberare, ſeu differere; ſic tractare ius *l. miles 11. §. fin. ad leg. Iul. de adulter. l. qui domum* eodem titulo Clement. Paſtoralis *poſt princ. de re iudic.* Alberic. *in l. quiſquis nu. 11. ff. ad leg. Iul. maieſt.* *latiſſimè* Briſon *de verb. ſignif. in verbo tractare 4.* Cum verò permiſſum ſit Cardinalibus ſede vacante tractare de Pontifice eligendo, poſſunt igitur de hoc negotio diſcurrere, agere, diſſerere, & deilberare. Et ratio eſt, quia aliter impoſſibile eſſet, vt non niſi vel per accidens, & fortuitò, vel per multum tempus, & multiplicata ſcrutinia tandem conuenirent in perſona eligenda, niſi de

ea

ea tractare poſſent, diſſerere, & deliberare. Ideò quod tractatus diſſinitiuus ſit Cardinalibus permiſſus tempore Sedis vacantis probat Coccin. *in manuſcript.* Gloſſem. *ad §. Cardinales pagin. mihi* 476.

17. Vt vero tollatur difficultas, & videatur quomodo ſtent ſimul quod prohibita ſint pacta, conuentiones, promiſſiones, &c. & non ſit prohibitus tractatus diſtinguit Coccin. in citato Gloſſem. Nam permiſſionum, & conuentionum quædam ſunt ſimoniacæ, quemadmodum ſunt pacta, obligationes, fœdera, & conuentiones, in quibus Cardinales pro pretio ſe obligant ad dādū ſuffragiū pro hoc vel illo. Vbi .n. eſt pactū, & obligatio pro pretio ibi eſt emptio, & venditio, & ex conſequenti ſimonia, ſi ſpirituale obligatur pro pretio vt cum D.Thom. 2.2.*q.*100.*art.* 1. *& ſeqq.* tradunt communiter DD. Tractatus igitur ſimoniaci, in quibus Cardinales pro pretio paciſcantur, conueniant, promittant, ſe obligēt ad dandum ſuffragium, vel aliquod aliud ſpirituale præſtandum circa electionem Summi Pontificis illi ſunt, qui directè per Pontifices præfatos fuere prohibiti. Sic enim, et Turrecremat. explicans decretum Symmachi Papæ, de quo in *cap. Si quis Papa diſt.* 79. arbitratur ſermonem ibi eſſe de illis actibus, ex quibus reſultat ſimonia.

18. Et ad huius comprobationem conſiderandum eſt, quod pacta, conuentiones promiſſiones, & obligationes, licet ſint inter ſe diuerſa nihilominus in hac materia verbum obligationes, pactiones, conuentiones, promiſſiones, pro eodem accipiuntur, vt dicunt Archid. Io. Andr. & Gemin. loc. ſupra allegat. quorum ſenſus eſt, quod ſi conuentiones, & promiſſiones non habeant vim obligationis, & pactum non contineat obligationem, ſed nudam promiſſionem de re licita, ſcilicet de eligendo perſonam dignam, non ſunt improbata, & merito quia ſi non adeſt obligatio, ſed tantum voluntaria promiſſio libera per modum concordiæ circa electionem non poſſet dici ſimoniaca, quia ſi conuenientes non habeant propoſitum emendi, aut vendendi ſpiritualia, & non gratuito eligendi, prout habent illi, qui faciunt pactum obligatorium, aut obligationem non ſunt ſimoniaci, quia illa obligatio, ſeu ſimile pactum eſt illud quod cauſat ſimoniam. Vndè conuentiones, quæ fiunt, & pacta non excedentia naturam tractatus, qui continet in ſe concluſionem non cauſant ſimoniam, & ſic ſunt permiſſa, Gloſſ. *in cap. Ad audientiam* 2. *in v. renunciantes de reſcrip.* quam ſequitur Abb. *nu.*6. *v. in Gloſſ.* & Felin. *n.*19. *verſ. exprimere*, quod ineſt, vbi alios idem ſentientes refert Gloſſ. & ibi etiam Abb. *in cap. Significaſti in v. conditione de elect.* & Gloſſ. *in cap. Olim in v. ſub ea de reſtit. ſpoliat.* Redoan. *de ſimon. part.* 2. *cap.* 3 *num.* 4. Iaſ. *in l.* 3. *n.* 14. *verſ. Adde pro ampliat. ff. de leg.* 1. Nauar. *conſ.* 17. *num.* 1. *de ſimon. lib.* 5. & idem dicendum eſt de intendimentis, condictis, & fœderibus, quia etiam in iſtis ſi detur caſus, qui ſit de natura tractatus de iure permiſſis, qui non cauſent ſimoniam in tractatu poſſunt fieri: non accipiendo tamen intendimenta, condicta, & fœdera in malam partem, quia nunquam eſſent de natura tractatus.

19. Ex quibus ſequitur, quod ſi Cardinales aliqui in aliquo loco conuenirent ſimul, vt tractaretur de electione Succeſſoris, & licito modo tractaretur, & non fierent pacta, pollicitationes, ſubſcriptiones, & iuramenta, & alia ex quibus reſultet ſimonia, etiam quod conueniatur de certa perſona eligenda quæ digna ſit non cenſetur prohibitum per Conſtitutionem, nec eſt facienda vis in hoc caſu, quod in *d. cap. In nomine* ſint prohibita conuenticula, & coniuratio, quia quod aliqui Cardinales in aliquo loco conueniant ſimul vt tractetur licito modo de electione ſucceſſoris propriè non dicuntur conuenticula, nec coniuratio, cum ſit ad bonum finem, ſed potius Congregatio licita Gloſſ. *in v. Conuenticula in extrau.* Ioan. 22. incipien. *S. Romana*, Gl. *in c. Si quis Cleric.* 11. *q.* 1 Et pariter prohibitū eſt, quod ſubſequitur in Conſtitutione noſtra, dum prohibet ſigna, contraſigna ſuffragiorum, ſchedularum &c. Et idem cenſeo ſi agatur de exclusione perſonæ, quæ ex iuſta cauſa excludi poteſt etiam, vt alia includatur. Modo caueatur à prædictis, & ſi aliter intelligeretur conſtitutio difficile eſſet, & quaſi impoſſibile quod Cardinales iterum poſſent tractare de ſucceſſore eligendo.

20. Verum cum non ſit dubium Pontifices per præfatas Conſtitutiones prohibere ſimoniacas obligationes, ad eas tamen non reſtringuntur, ſed omnes illas comprehendunt quæ ſunt perſonarum acceptationes. Ad quorum euidentiam eſt conſiderandum, quod obligatio ad agendum vel poteſt eſſe non ex contractu hominis cum homine, ſed ex præcepto alicuius virtutis diſtinctæ à iuſtitia propriè dicta, vel poteſt eſſe ex pacto aliquo iuſtitiam concernente. Prioris generis erit obligatio orta verbi gratia ex virtute, vel ex virtute Religionis, aut charitatis, aut miſericordiæ. Sed obligationes prioris generis prohibitæ non ſunt. Tum quia ſunt obligationes, quibus obligamur directè Deo, non hominibus vt ſunt obligationes charitatis, & Religionis. Tum quia tales obligationes ſi ſunt non conducunt niſi ad optimam Pontificis electionem. Tum quia veniunt ex altiori iuſtitia, & præcepto diuini iuris, contra quod non militat ius poſitiuum Tum quia non ſunt obligationes per quas homo ſe obligat, ſed per quas aliundè ex connaturalitate virtutis obligatur.

21. Obligationes vero, quæ veniunt ex contractu duplices ſunt, quia vel ſunt ex contractu oneroſo quocunque modo, & huiuſmodi in propoſito ſunt ſimoniacæ, quia ſine ſimonia non poteſt dari electio pro aliquo pretio recipiendo quodcumque ſit illud, quod ex pacto, & promiſſione electionis, aut ex electione recipitur, vel expectatur. Et hoc modo oneroſa, & ſimoniaca eſt omnis promiſſio electionis, quæ principaliter ex fine operis fiat propter aliquod intereſſe, aut lucrum obtinendum ab eo, cui fit promiſſio electionis, vt docuerunt Diu Thom. *quod l.* 8. *ar.* 11. *&* 2. 2. *q.* 100. *art.* 5. *ad* 3. Altiſiodoren. 3. *par. ſum. tract. de ſimonia q.* 2. Alenſ. *p.* 2. *q.* 167. *membr.* 3. Durand. *in* 4. *diſt.* 25. *qu.* 4. *num.* 7.

Digitized by Google

num.7. Richard. *q.2. ar.3.* Gabr. *q.4. maior. diſt. 15. q.29. ad quintum, & 4. diſt. 25. q. vnica ad primam.* Palud. *q.5.* Calet. *in ſum. v. ſimonia, cap.3.* Corduba *lib.1. qu.32.* Nauar. *in manual. cap.23. nu.101.* Couar. *lib.1. var. cap. vlt. num.4.* D. Ant. *par.2. tit.5. cap.5. §.17. ver.2. &c.* Silueſt. *v. ſimonia num.5. citans* Archid. Armill. *v. reliquiæ n.5.* Philiarc. *de offic. Sacerd. 2. p. lib.3. c.9.* Paſqualis *qu.381. nu.2.* Et ratio eſt, quia donationi repugnat habere pro fine recompenſam ab eo, cui aliquid donatur. Et ita etiam ſi alicui promittatur electio optimi, ſi id fit ex parte operis principaliter propter aliquod mundanum intereſſe, & lucrum obtinendum; media promiſſione ab eo cui electioni promittitur hæc promiſſio, & continet pactum oneroſum ſaltem implicitè, & eſt oneroſa, & ſimoniaca. Vel huiuſmodi obligationes ſunt ex contractu omnino liberali; vt ſunt illæ, quæ ſunt ex mera, & pura liberali promiſſione. Sed huiuſmodi obligationes in propoſito dupliciter haberi poſſunt vel ſcilicet, vt proximè, & ex fine operis ſint ex motiuo ſolius virtutis. Et tales illæ ſolæ ſunt per quas electio optimi promittitur ex honeſtate talis electionis. Vel huiuſmodi promiſſiones liberales non ſunt ex motiuo ſolius virtutis, ſed imò per eas promittitur electio indigni, vel minus digni, & rarius erit, quod huiuſmodi obligationes non ſint ſimoniacæ, & ſint ſine pacto aliquo ſaltem confidentiali, ſeu implicito. Sed, & quatenus coram Deo non eſſent ſimoniacæ, tamen in foro externo ſimoniam ſapiunt, & præſumptione tales ſunt. Ad promittendam enim electionem malam communiter, & regulariter non mouentur homines ex pura liberalitate, ſed propter aliquod lucrum, & munus vel à manu, vel à lingua, vel ab obſequio conſequendum. Et ad vitandam ſimoniam in ſimili caſu diſtinguere inter finem operantis, & operis fatis metaphyſicum eſt, & tale quod in praxi non multum præſumitur, & tanquam ſimoniæ palliatio habetur, quia vt plurimum tale eſt. Sed dato, quod non eſſet ſimoniacum eſt tamen acceptatio perſonæ, quia perſona accipitur cum digno indignus vel digniori minus antefertur D. Thom. 2.2. *q.63.* Vel cum in electione non dignitas perſonæ, & electionis, ſed aliud mundanum intereſſe reſpicitur, & expectatur. Pontifices verò excludunt obligationes nedum intuitu vitandæ ſimoniæ, ſed etiam intuitu obtinendæ electionis optimæ, & ideò illas omnes obligationes, quæ ad electionē non optimi quocunque modo neceſſitant, & nō ſine acceptatione perſonarum non cōtrahuntur, & executioni dantur, ſub præfatis Conſtitutionibus compræhenduntur. Solæ igitur illæ promiſſiones non ſunt per præfatas Conſtitutiones prohibitæ quæ ſunt ex veræ virtutis motiuo ſaltem proximo, & ex fine operis, quales ſunt per quas electio optimi ratione ſuæ honeſtatis promittitur principaliter, & ex fine operis. Sed promiſſiones quantumuis liberales per quas promittitur mala electio acceptationes perſonarum ſunt, & non ſine præſumptione ſimoniæ. Et hæc multo magis procedunt in ſententia eorū, qui tenēt, quod promiſſio liberalis acceptata obliget ex propria iuſtitia, ſed etiā in ſententia eorū, qui dicunt eam obligare ex ſola fidelitate, adhuc ſupradicta vera ſunt, quia & hæc obligatio ad malam electionem neceſſitare poteſt, ne promittens dicatur eſſe mendax, & fidei fractor, & infidelis. Sed quidquid ſit de modo, quo promiſſio obligat, certum eſt quod promiſſio eſt pactum Silu. *v. pactum n.2. & 4.* Et quod promiſſio ex natura ſua obliget in conſcientia ex Diu. Thom. 2.2. *q.110. ad 5.* tradit Silu. *v. pactum n.4.* Caiet. *2.2. q.113. a.1.* Sotus *l.7. de iuſt. q.2. a.1.*

3. 22. Ex his ergo patet quis ſit tractatus permiſſus à Greg. XV. & quæ pacta, conuentiones, & obligationes prohibitæ ſint ſub pœna excōmunicationis. Tractatus eſt diſcuſſio, examen, & concluſio, aut etiam deliberatio de optimo eligendo. Nimirum ſi ex Cardinalibus aliqui de perſona eligenda ſimul loquantur, & diſſerant, & onerita vnius ſincerè exponant, & ſine oſtentione iuſtitiæ, & charitatis alterius demerita exagerent quod ſtatum Eccleſiæ præſentis exigit cōſiderantes, & præ oculis vtilitatem Eccleſiæ habentes qualitates eligendorum tam intrinſecas, quam extrinſecas, & eorum inclinationes, amicitias, inimicitias, dependentias, obligationes, parentelas, & reſpectus, omniaq; & ſingulæ, quæ ad negotij ſalutiferam concluſionem ſpectant, diligenter inſpiciant, & diſcutiant, etiam motiua gratitudinis vel alterius virtutis adiungendo, quæ ad inclinandum animum ad virtuoſam alicuius electionem facere valeant, & hæc & alia prudenter inſpiciendo penſantes ſimul concludant aliquem coram Deo, & pro vtilitate Eccleſiæ eſſe eligendum, nulla interim admixta promiſſione, ſeu obligatione quæ non ex virtute proueniat. Quod inquam ſic tractent, & concludant non eſt illicitum, nec per præfatas Conſtitutiones prohibitum.

Quæ eſſet antiqua forma eligendi Papam per ſcrutinium.

QVÆSTIO XXIII.

1. NEceſſariò præmittitur hæc quæſtio, quia antiqua forma in iis, in quibus non fuit correcta per Conſtitution. Gregor. XV. debet ſeruari. Et quamuis electio Papæ nunquam fuerit ſubiecta legibus *cap. Quia propter de elect.* vt ibi habent Panorm. & alij, & Mandag. *de elect. c.42.* tamen habuit propriam formam, vel ex lege, vel ſaltem ex vſu, & praxi, & vel tanquam ſubſtantialem, vel tanquam accidentalem ſolemnitatem.

2. Notandum igitur eſt, quod de iure antiquo, vt patet ex *cap. In nomine Domini diſtin. 23.* nulla certa forma erat tradita circa dationem Votorum; ſuperuenit poſteà diſpoſitio Concilij Lateranenſi ſub Alexandro III. de anno 1079. de qua *in cap. Licet de elect.* quæ non immutauit formam dationis votorum, ſed tantum conſtituit quod in electione Papæ duæ tertiæ partes Cardinalium præſentium deberent concurrere, vt etiam notat ibid. Innoc. *in fin.* Hoſtien. *n.14.* qui ſubdit, quod tex. *in cap. Quia propter de elect.* loquitur in electionibus Prælatorum inferiorum

Lancel-

Digitized by Google

Lancelloc. Corrad. *in Templ. omnium Iudic. lib. 2. cap. 1. §. 2. q. 1. nu. 4.* ex quibus tamen Doctoribus notandum eſt, quod in electione Papæ vltra cõſenſum duarum partium Cardinalium præſentium in Conclaui quædam erant ſpecialia de facto, quia ità ſeruabatur, alia verò de iure, quia ius ità diſponebat, vt notat Abb. in *d. cap. Licet num. 9. poſt med. verſ. pro declaratione textus de elect.*

3. Primum ſpeciale erat, quod eligerentur duo genera ſcrutatorum, ſcilicet ſcrutatores tres totius Collegij Cardinalium, & tres ſcrutatores dictorum Scrutatorum Collegij, qui ſcrutatores Vota ſcrutatorum primò ſcrutabantur, & cum Cardinales ſint Epiſcopi Præsbyteri, & Diaconi eligebatur vnus de quolibet ordine, Hoſtien. in *d. cap. Licet nu. 23. verſ. Primum eſt,* vbi Abb. *n. 8. ver. Dic.* Vbi quod hoc conſiſtit in facto, non in iure, quia Cardinales conſueuerunt ſic facere, non autem ex diſpoſitione iuris aſtringebantur, quia quo ad hoc in iure nulla forma eſt tradita. Anton. de Roſell. *De forma eligendi Papam cap. 1. v. ſexta ſpecialitas fol. mihi 26.* Specul. *in cap. Vbi periculum n. 13. in 4. ſpeciali.* Sed circa hoc quid nunc ſit agendum prouidit decretalis Greg. XV. *Aeterni Patris in §. Ad hæc ſcrutatores.*

4. Secundum ſpeciale erat, quod quilibet Cardinalis poterat in ſcrutinio vnum, vel plures, quos voluiſſet nominare, nec referebat vtrũ diceret nomino, vel eligo, vel conſentio in talem, quia tex. *in ſl. cap. Licet,* aliquando appellat electionem, aliquando conſenſum. Vndè ſatis erat quod electus haberet conſenſum duarum partium Cardinalium per quæcunque verba expreſſum. Hoſt. *in d. cap. Licet n. 24. v. ſecundum ſpeciale.* Anton. de Roſell. *de forma eligendi Papam cap. 1. v. Octauo,* quia quælibet *fol. mihi 26.* Abb. *in d. cap. Licet nu. 8. col. 5. verſ. Secundum ſpeciale.* Specul. *in cap. Vbi periculum n. 24. in fine. v. Quintum de elect. in 6.* Compoſtell. *in d. cap. Licet n. 6.* dicit quod poterant Cardinales de conſuetudine tres numerare hoc modo. *Conſentio primo in A. ſecundo in B. tertio in C.* Specul. *loc. cit. nu. 25.* Sed huic ſpeciali prouidit dicta Conſtitut. Gregor. XV. *in §. Numerum autem ſuffragiorum,* vt dicemus infra.

5. Tertium ſpeciale erat, quod non erat ius in ordine nominationis, quicunque enim publicato ſcrutinio repertus fuerat à duabus partibus nominatus, ſiuè primus, ſiuè vltimus obtinebat. Hoſtien. *loc. cit. n. 23. ver. Tertium ſpeciale.* Abb. *col. 5. nu. 9. verſ. Tertium ſpeciale,* quod tamen declarat Speculat. *in cap. Vbi periculum num. 25.* Inquit enim, quod ſi vnus Cardinalis tres nominaſſet, & hac vice computata quilibet trium nominatorum inuenitur duas partes habere, quia forte, & alij Cardinales nominauerint quemlibet eorum. Primo nominatus obtinebit, quod dicit etiam Compoſtell. *in d. cap. Licet num. 6. in princ. de elect.* quem etiam Speculat. allegat, licet hæc forma electionis in inferioribus Prælatis tanquam incerta non teneat, vt per Speculat. Abb. & Compoſtellan. *loc. ſupra citat.* Et quoad illud ſpeciale prouiſum etiam fuit in dicta Conſtitutione Gregor. XV. in *§. Nulli autem, & in §. Ac ſi contingat.*

6. Quartum ſpeciale erat, quod ſi nullus nominatorum haberet duas partes votorum, poterant Cardinales accedere ad nominatum etiã ab vno ſolo, & ſi tot acceſſiſſent ad aliquem, vt connumeratis vocibus nominantium, & accedẽtiũ repertus fuiſſet nominatus habere duas partes perinde erat, ac ſi fuiſſet in ſcrutinio à duobus partibus nominatus, & hoc eſt, quod dicitur *in cap. Licet, §. Præterea de elect.* vt notat idẽ Hoſtieu. *nu. 23. v. quartum ſpeciale;* quod ſpeciale quomodo hodie procedat ex Greg. XV. Conſtitutione patet in *§. Et vt acceſſus.*

7. Quintum ſpeciale erat ſecundum Abbat. *loco modo alleg. v. quintum ſpeciale,* quod Cardinalis publicato ſcrutinio non poterat recedere ab electione, quam fecerat etiamſi ipſe ſolius vni votum dediſſet, ſed benè poterat variare per acceſſum, ſcilicet accedendo ad nominatum per alios, per text. *in d. cap. Licet n. 24. ver. Octauum.* Anton. de Roſell. *De forma eligendi Papam cap. 1. col. 2. verſ. Sexto ſpecialitas fol. mihi 26.* quomodo antem hoc procedat hodie ex dicta Conſtitutione Greg. XV. patet in *§. neque in quolibet ſcrutinio niſi ſemel.*

8. Sextum ſpeciale erat, quod non fieret collatio zeli ad zelum, neque meriti ad meritum ſed tantum numeri ad numerum, vt ſcilicet, qui haberet duas partes votorum Cardinalium præſentium eſſet Papa. Hoſtien. *vbi ſup. nu. 23. verſ. quintum eſt.* Abb. *loco alleg. v. Sextum ſpeciale.* Anton. de Roſell. *vbi ſupr. verſ. quinto quæritur.* Speculat. *in cap. Vbi periculum nu. 22. in 3. ſpeciali, & n. 41. ver. Duodecima de elect. in 6.* & circa hoc nihil fuit in Conſtitutione Greg. XV. innouatũ, niſi quoad ſecretum votorum.

9. Septimum ſpeciale erat, quod non indigeret alia inthronizatione, vel confirmatione, quia dum Papa eligitur, ſeu reijcitur confirmatur, & habet plenam, & liberam adminiſtrationem, vt in *d. cap. Licet, §. de elect. & in cap. Si quis Papa diſt. 79. & in cap. In nomine Domini poſt med. ver. planè, 22. diſt. & cap. Ad honorem, de vſu pall.* Sicut & Imperator ex ſola Principum electione abſque alia confirmatione adminiſtrare poteſt. *cap. Legimus 93. diſt.* Specul. *in cap. Vbi periculum, n. 26. de elect. in 6.* Compoſtell. *in d. cap. Licet n. 5. in fine,* & circa hoc ſpeciale nihil fuit innouatum.

10. Octauum ſpeciale erat, quod nec requirebatur quod vnus nomine omnium eligeret, prout requiritur in electione Prælatorum inferiorum, vt patet ex prædictis, & dicit Speculat. *in cap. Vbi periculum* ante *nu. 36. v. Ego credo de elect. in 6. & d. n. 36. in fin.* Abb. *in d. cap. Licet, col. 5. nu. 9. verſ. Secundum ſpeciale in fin.* & circa hoc etiam ſpeciale nihil fuit innouatum.

11. Nonum ſpeciale erat, quod nulla exceptio poſſit admitti contra electum, & ratio eſt quia nullus eſt ſuperior per quam terminetur. Hoſtien. *in d. cap. Licet nu. 23. verſ. Sextum ſpeciale.* Abb. *loco ſupra allegato, verſ. Septimo,* Speculat. *in cap. Vbi periculum n. 27. v. Septimum eſt:* Intelligendum eſt tamen de exceptionibus, quæ non ſunt de iure naturali, & diuino: Abb: *in dict. cap. Licet n. 10. & ſeqq.* Specul. *in dicto cap. Vbi periculum n. 27. per totum,* & circa hoc fuit innouatum

pro

pro quanto, In §. *quod ſi electio*, in multis caſibus electio decernitur nulla, in quibus contra eam excipi poteſt, ſeu opponi de nullitate.

12. Decimum ſpeciale erat, quod cum Cardinales eſſent expectandi per decem dies, vt in *cap. Vbi periculum de elect. in 6.* et habetur Conſtitutione Pij IV. abſentes non vocarentur, et propterea non poſſent conſequeri de contemptu Hoſt. *in d. cap. Licet alleg. n. 23. ver. Septimum ſpeciale*, vbi etiam quod eſſent in remotiſſimis partibus, Compoſtellan. *in cap. Licet nu. 4. verſ. Sed nunquid pa et:* vbi quod aliqui ex gratia fuerunt expectati, et latè ſupra deductum fuit, et citea hoc nihil fuit innouatum, niſi quod electio minimè poſſit fieri antequam Conclaue ſit clauſum, vt ſupra dictum eſt.

13 Vndecimum ſpeciale erat, quod pendēte ſcrutinio ſemper eſset locus acceſſui, et dicebatur pendere quouſque de voluntate Cardinalium fuiſſet acceptum, Hoſt. *in cap. Licet num. 24. v. Octauum ſpeciale*, Abb. *n. 8. v. quartum ſpeciale de elect.* Specul. *in cap. Vbi periculum n. 37. v. Vndecimum de elect. in 6.* quod in hac Conſtitutione fuit moderatum, vt ſemel poſſit fieri aceeſſus *in §. neque in quolibet ſcrutinio ubi declaratur*.

14 Duodecimum ſpeciale erat, quod Cardinales cenſuris irretiti non excludebantur ab electione Romani Pontificis, vt in *Clement. Ne Romani, §. Cæterum de elect.* et in Conſtitut Pij IV. *in §. Et ne diſſentionis occaſio* quod eſt innouatum in hac Conſtitutione *§. Volumus autem.*

De forma Canonica eligendi Papam.

QVÆSTIO XXIV.

1. PRæſcripta eſt forma electionis Pontificis in Conciliis Lateranenſibus ſub Nicolao II. & Alexandro III. Lugdun. ſub Gregor. X. Viennen. ſub Clem. V. & à Pio IV. in Conſtitut. In eligendis. Sed præcipuè à Gregor. XV. in Conſtitut. *Aeterni Patris*, *& in Rituali*. Sed anteqnam in particulari conſiderentur, quæ ad hanc formam electionis ſpectant, nonnulla conſideranda ſunt de ea ſic abſolutè, & in communi ſumpta.

2. Dubitatur autem primò. An omnia contenta in Conſtitut. *Aeterni Patris §. matura* itaque, & ſeqq. ſiut de ſubſtantia formæ electionis, ita quod vno eorum deficiente electio ſit nulla. Videtur enim ita eſſe dicendum. Tum primò, quia Pontifex vtitur his verbis *non poſſe ibi decernimus &c. electionem Romani Pontificis fieri aliter non poſſe &c.* At verò verbum *poteſt*, licet de ſui natura ſit facultatiuum, tamen quando negatiua præcedit, præciſam neceſſitatem inducit, negatque potentiam, Gloſſa *in c. 1. in V. non poteſt de regul. Iuris in 6.* latiſſimè Tiraquell. *de legibus Connub. l. 16. gloſſ. 4. n. 1.* itaut electio facta præter dictam formam videretur nulla *c. cum dilecta de reſcript. ad finem c. Piſanis de reſtitut. ſpoliat. ad fin. c. venerabili, de offic. delegat ad fin.* & ſic etiam videretur, quod miſſa Spiritus Sancti ſit de forma electionis.

3. Tum ſecundo, quia illa quæ habent perpetuam prohibitionem cenſentur de forma etiā reſpectu illius, qui aliunde habet poteſtatem *l. non dubium C. de legib. gloſſ. in d. Clemen. 1. in v. inhibentes de Iurepatron.* Albertus Brunus de forma, titul. *quando aliquid cenſeatur de forma, & ſolemnitate concl. 2. fol. 33. col. 2. verſ. item ſecundo* limitatur in fine.

4. Tum tertio, quia hæc conſtitutio prohibet, & propterea actus factus contra legem eſt irritus etiam quando in ea hoc non dicatur *l. non dubium C. de legibus c. Imperiali 25. q. 2. c. quæ contra ius* fiunt *64. de regul. Iur. in 6.* Bartol. *in d. l. non dubium n. 2. verſ. 2. noto.* Iaſon. alios referens *n. 17. & latè* Suae. *de legib. lib. 5. c. 25. n. 2.*

5. Tum quarto, quia *Pontifex* in confirmatione Ceremonialis omnia, & ſingula in eo contenta, & ordinata approbauit, & confirmauit, illiſque omnibus, & ſingulis perpetuæ, & inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adiecit, eaque à S. R. E. Cardinalibus, ac omnibus alijs, ad quos ſpectat quomodolibet in futurum omninò obſeruari mandauit, & præcipuè conſideranda eſt vis §. *Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis, confirmationis, adiectionis, præcepti, mandati, prohibitionis, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.*

6. Verum his non obſtantibus dicitur ea ſola eſſe de ſubſtantia formæ electionis Romani Pontificis, quæ continentur *in §. Quod ſi electio.* Reliqua verò ſunt quidem de præcepto, & ſine incurſu excommunicationis latæ ſententiæ, & Papæ reſeruatæ non omittuntur ſed non ſunt de ſubſtantia, ita quod ſi omittantur electio ſit nulla. Quod ſint de præcepto omnia patet ex illis verbis: *ſtatuimus, decernimus, & declaramus in poſterum electionem Romani Pontificis fieri aliter non poſſe &c.* Quod verò tranſgredientibus ſit impoſita pęna excommunicationis conſtat ex §. *ſi quis & §. Præterea, & §. quod ſi electio*, & alijs prout clarius infra explicabitur numerando caſus, in quibus hæc excommunicatio incurritur. Sed quod non omnia ſint de ſubſtantia formæ, ſed ſolum illa quæ exprimuntur *in §. Quod ſi electio*, ex eodem §. eſt manifeſtum, in quo ſic habetur. *Quod ſi electio huiuſmodi alibi celebrata fuerit, quam in Conclaui clauſo, vel aliter, quam per ſecreta ſchedularum ſuffragia duarum ex tribus partibus Cardinalium in Conclaui præſentium, in Scrutinio, ſeu Scrutinio, & acceſſu, electi ſuffragio non computato, vel per viam compromiſſi, ab omnibus Cardinalibus ſimiliter in Conclaui præſentibus, nemine diſſentiente initi, & itaut nemo ſe ipſum elegerit, vel quaſi per inſpirationem nullo præcedente de perſona ſpeciali tractatu omnium pariter Cardinalium, præſentium in Conclaui, communiter nemine itidem diſſentiente per verbum Eligo, intelligibili voce prolatum, aut ſcripto ſi voce non potuerit, expreſſum, nulla ſit, & inualida eo ipſo abſque vlla declaratione, & ita electo nullum ius tribuat.*

7. Vbi enim legiſlator ipſe exprimit per decretum irritans ea, quæ vult eſſe de ſubſtantia, per hoc manifeſtè declarat, non expreſſa etiam

ſi ſint

ſi ſint præcepta non eſſe talia, vt ſi omittantur factum ſit irritum, & inane. Decretum enim irritans inducit formam, per Bald. *in l. 1. n. 1. ff. de liber. & poſth.* Bartol. *in l. de his n. 3. ff. de tranſact.* Gabriel. *de clauſ. concl. 3. n. 12. effectu n.73* Mādoſ. *in reg.31.q.9. n.30.*Barboſ.*clauſ.40. n. 32.* Vbi ergo lex præcipiens plura ad aliqua ſolum apponit decretum irritans ſatis exprimit, quod reliqua ſic ſunt præcepta, quod tamen non ſunt de forma ſubſtantiali, ſed ſunt ſolemnitates accidentales neceſſario tamen ex vi præcepti adhibendæ.

8. Confirmatur hoc quia electio Summi Pōtificis, vt dictum eſt ſupra ſpectat ad Cardinales ex antiquiſſima conſuetudine, & S. Petri traditione, cum nullus poſt illum fuerit Pontifex non electus à Clero Romano in quo ſemper præcipui fuerunt Cardinales, vel à ſolis ipſis Cardinalibus, vt ſupra probatum eſt. Cum igitur Cardinales non recipiant poteſtatem eligendi ab iſta Conſtitutione, ſed Cardinalibus illam facultatem habentibus, hæc Conſtitutio Gregoriana det certam formam, ſequitur, quod ſi iſta forma non habeat expreſſe decretum irritans, omiſſio formæ non vitiat electionem, licet contrafacientes poſſint puniri. Hæc eſt doctrina celebris Gloſſæ *in Clement 1. in §. Inhibentes de Iurepatron.* vbi Imol. *n. 3. & 4.* Vitalin. *n. 13.* Anchar. *in c. Statutum §. final. per tot. de reſcriptis in 6. & in Clement. 1. nu. 11. verſ. & hoc enim videtur de ſequeſt. poſſeſſ. & fruct.* Felin. *in c. ex parte limit. 2. de conſtitut.* Abb. *conſ. 91. col.3. n.6. verſ. ad prædicta induco lib 1. & q. 5.* Auger. *n.6. verſ.2. probatur.* Apoſtill. *ad Romanum in conſ. 236. n. 8. in Verbo ſingularis* Suarez *de legib. lib. 5. c.31. n. 10.* vbi materiam exornat. Io: de Salas *de legib. q.96. tract. 14. diſp. 16. ſect. 8. n. 33.* Sà *in ſumma V. lex n.13.* & iſta eſt communis opinio, vt per Brun. *de form. tit. de Poteſt. & effect. forma, & ſolemnit. in vlt. effect. in 6. limitat. fol. 57. col.1. verſ. 6. prædicta regula.* Et propterea cum ſolum contenta in d. §. *Quod ſi electio* habeat decretum irritans, illa ſola ſi non ſeruentur vitiant electionem, non autem alia, vt per DD. ſupra allegatos vnde ſatis patet, quod celebratio miſſæ Spiritus Sancti non ſit de ſubſtantia electionis. Valdè tamen Religioni conſonum eſt illam non omittere. Vnde Salomon à Deo Optimo maximo ſapientiam ad gubernandum precabatur dicens; mitte illam de Cœlis ſanctis tuis, & à ſede magnitudinis tuę, vt mecum ſit, vt mecum laboret, & ſciam quid acceptum ſit apud te.

9. Nec obſtant adducta in oppoſitum. Nam ad primum dicitur primo, quod verbum non poſſe non annullat actum quando materia ſubiecta aliter ſuadet. Quia tunc dictum verbum minimè negat potentiam ex allegatis per Couuar. *in cap. Quamuis pactum p. 2. §. 4. verſ. ſed aduerſus de reſcript. in 6.* non cenſetur enim conſtituere formam ſubſtantialem ad valorem actus, ſed ſolum formam, ſeu modum neceſſarium ad honeſtatem actus Suarez *de legib. d. lib. 5. cap. 31. n. 13. & ſeqq.* Io: de Salas pariter loco ſupra allegato *num. 32. verſ. hoc tamen non eſſe vniuerſe verum.* Et quamuis DD. prædicti affirment Verbum *non poſſe* non inducere formam ſubſtantialem quando hoc poteſt deduci ex ſubiecta materia, tamen in hac Conſtitutione non eſt opus coniecturis, quia, quæ Conſtitutio voluit eſſe de forma ſubſtantiali expreſſe poſuit ſub decreto irritanti, & propterea peruneceſſe non ſequitur, quod omnia contenta ſub verbis *non poſſit* ſint de forma ſubſtantiali, vt pulchræ ad propoſitum Auendan. *de Cenſib. c. 36. n.26.* qui ita reſpondet ſimilibus legibus, de quibus ſupra *n.6.* mentionem fecerat.

10. Reſpondetur ſecundo, quod quando ſine decreto irritanti prohibetur aliquid fieri ab eo, qui aliunde habet poteſtatem operandi, tunc verbum *non poſſe* non irritat actum factum contra legem Gloſſa *in Clem. 1. V. Inhibentes de Iurepatr.* Suarez *de legib. lib. 5. cap. 31. n. 25.* Salas *de legibus tract. 14. q.16. ſect. 8. n. 33.*

11. Ad ſecundum dicitur, quod per Conſtitutionem *Aeterni Patris* non prohibetur electio, ſed modus aliquis electionis, & quidem ità quod cum decreto irritanti prohibentur ſolum ea, quæ continentur in §. *Quod ſi electio*, & ideò illa ſola ſunt de forma.

12. Ad tertium dici poſſet, quod argumenti aſſumptum locum habere poſſe videretur, vt multi DD. tenent vbi lex prohibet actum ratione ſuæ ſubſtantiæ directè; non autem quando prohibet ratione circunſtantiarum Bald. *in d. l. non dubium nu. 8.* Caſtr. *n. 7.* Gloſ. *in Auth* decernit. in *v. Sacramentis, C. de recept. arbitr.* latè Suarez *de legibus lib. 5. c. 25. n. 10. cum ſeqq.* In propoſito autem Conſtitutio S. D. N. declarauit, quæ ſint ſubſtantialia electiones, & ea poſuit ſub §. *Quod ſi electio.* Alia verò ſunt accidentalia, vnde licet Conſtitutio prohibeat, tamen non irritat actum quo ad accidentalia, quæ ſunt omnia alia exceptis his, quæ continentur in d. §. *Quod ſi electio.* Quorum omiſſio, vel alteratio non inducit nullitatem electionis, ſed operatur ſolum incurſum cenſurarum vt ſupra dictum eſt.

13. Sed reſpondetur melius negādo aſſumptum de iure Canonico, in quò certa regula iuris eſt, quod lex prohibens aliquid fieri, non irritat actum niſi apponat decretum irritans. *cap. ad Apoſtolicam de Regularibus & cap. ſi ſoli de conceſſ. prabend. in &* tradiderunt Turrecremata *cap. non oportet el 1. 33. q. 4. num. 2. ad ſecundum.* Palud. *4. d. 34. q. 1. art. 1. concluſ. 4.* Richard. *in 4 d. 32. art. 5. q. 2. fin.* D. Antonin. *3. par. tit. 1. cap. 16.* in fine principij Sylueſt. *v. matrim. 7. q. 1. dicto 3.* Alexander de Neuo, quem citat, & refert Sanchez *lib. 7. de matrim. diſp. 2. n. 10.* Idem Sanchez *lib. 3. diſp. 5. ad quartum.* Suarez *de legibus lib. 5. c. 29. n. 1.* & ſeqq. Salas *de legib. diſp. 16. ſect. 8.* Arriaga *de legibus diſp. 23. ſect. 5. nu. 51.* Layman. *lib.1. tract. 4. cap. 16. n. 3.* Boſſius *moral. tit. 19. n. 72. & 87.* & apud eum Villalobos, Bonacin. *de legib. diſp. 1. q. 1. p. 7. §. 7. n. 8.* Martinez. *par. 2. q. 96. art. 4. dub. 13. concluſ. 2.* Palaus *p. 1. tract. 3. diſp. 2. punct. 8. n. 2.* & apud eum Mendoza *1. de pactis cap. 4. nu. 41.* & Farin. *in fragm. v. lex. n. 189.*

14. Ad quartum dicitur, quod in Cæremoniali non cenſetur plus determinatum, quam in Bulla fuerit diſpoſitum quoad ea, de quibus

in Bulla ſimul, vt Rituali diſponitur. Quod patet ex principio litterarum confirmationis, vbi intelligit confirmare Cæremoniale ibi: *& ea per quæ à ſe decreta debitum ſortiantur effectum ſtabilire*, & ibi *ne eius vſus, & obſeruantia*, (ſcilicet Conſtitutionis de eligendo Romano Pontifice) *veteri Rituali Eccleſiæ Romanæ ferè inutili ob eandem Conſtitutionem reddito, proprij cæremonialis directione deſtitueretur, nouum prout ſequitur, confici mandauimus*, quod &c. *cum confectum fuerit; & a nobis approbatum, vt illud cum omnibus, & ſingulis in eo contentis inuiolabiliter obſeruetur, ex noſtri Paſtoralis debito prouidendum cenſuimus*, & poſteà ſequitur *motu proprio &c.* & ſequuntur clauſulæ ſupra relatæ, & propterea cum clauſula, ſublata, ſit poſita ad validitatem Cæremonialis vt ſic in ſimili conſiderat Seraphin. *deciſ.* 1020. fit quod clauſula ſublata tanquam acceſſoria non ampliat principalem diſpoſitionem Cæremonialis vt contineat plus, quàm contineat Bulla. Calder. *conſ.* 1. *de reſcript.* Roman. *conſ.* 330. *n.* 13. *in fine.* Put. *deciſ.* 1. 2 *lib. primo* nec ſe extendit vltra limites huius Cæremonialis Rota *deciſ.* 330. *in fin. lib.* 3. *par* 3. Gonzal. *ſuper regula* 8. Gloſſ. 66. *n.* 30. *& facit Clemen.* 1. & ibi Vitalin. *n.* 32. *de conceſſ. præbend.* Pariſ. *conſ.* 82. *vol.* 4. Garz. *de benef. p.* 6. *c.* 3. *n.* 90.

15. Dubitatur ſecundo An forma Conſtitutionis *Aeterni Patris* ſeruanda ſit vbi adſit neceſſitas eligendi coadiutorem Papæ? multa continet hoc dubium aliena ab inſtituto noſtro, quæ non ſunt hic examinanda. Et quidem aduertitur, quod vbi adſit locus depoſitionis Papæ, qui tamen adeſſe non poteſt niſi in caſu hæreſis incorrigibilis, non poteſt habere locum electio Coadiutoris, ſed electio ſucceſſoris. Vnde non poteſt imaginari, quod locum habeat electio Coadiutoris, niſi in caſu perpetuæ amentiæ. Quia in quocunque alio caſu, & ex quocunque alio impedimento Papa habente vſum rationis, ſi ipſe indigeat Coadiutore ad ipſum ſpectabit illum ſibi aſſumere, non verò ad Collegium Cardinalium illum eligere. Non quia Papa poſſit ſibi eligere Coadiutorem cum futura ſucceſſione, ſed quia ſimplicem coadiutorem ſibi adiungere poteſt, ſicut etiam fecit Sanctus Petrus in ſuos Coadiutores ordinando Linum, Cletum. & Clementem, vt dictum eſt *queſt.* 4. *n.* 38. Et ſi Pontifex in amentia haberet lucida interualla, tunc ſibi Coadiutorem poſſet adhibere, ſeu Vicarium eligere cum Suprema poteſtate, nec Cardinales poſſent aliter diſponere. In ſolo igitur caſu amentiæ perpetuæ poſſet dici quod locum habere poſſet electio Coadiutoris, ſed neque hoc eſt certum. Quoniam tunc potiùs locum haberet electio ſucceſſoris ſecundum Caiet. *tract. de auctorit. Papæ cap.* 28. quod tamen negauit Almaynus *in moralibus de auctorit. Eccleſiæ cap.* 12. ſed quid quid ſit de hac queſtione, in qua tamen vbi certum eſſet dementiam eſſe perpetuam, dicendum eſſet cū Caiet. quod Cardinales poſſent ſucceſſorem eligere, quia Papatus vacaret non exiſtente homine prædito vſu rationis qui illum regeret.

16. Nihilominus dato caſu, quod tunc locus non eſſet electioni noui Pontificis, dicitur quod caſus amentiæ eſt caſus expreſſus in iure, ex quo Coadiutor poteſt dari, vt ex illo *c.* 1. *de Cleric. ægrot. in* 6. vt ſupra relatum eſt. Et in hoc caſu prima ſedes non iudicatur, ſed ſuppletur illius indigẽtia ex totali imbecillitate Papæ, cum propter amentiam non habeat conſenſum Gloſſ. 1. *in cap. neque furioſus* 32. *queſt.* 7. nec poſſit diſcernere veram ſubſtantiam rerum *c. ſicut* 4. *diſt.* & tamen non amittit dignitatem *c. dilectus* vbi Gloſ. *final. in fin. de ſponſal.* & ſi deputetur pro temporalibus, ſufficit quod ſit 25. annorum per *text. in c. nemo deinceps de elect. in* 6. Si autem pro ſpiritualibus debet eſſe 30. annorum, iſta enim ætas requiritur in Epiſcopo *c. cum in cunctis de elect.* Abb. *in cap. fin. de Cler. ægrot.* Thomas Campeggius *de Coadiutore n.* 5. & dicit poſſe dari coadiutorem Papæ dementi, niſi habeat dilucida interualla, quia Papa tempore quo haberet dilucida interualla poſſet ſibi eligere Coadiutorem, quia tunc poteſt contrahere, & alia facere Gloſſ. 1. *in cap. ex litteris de ſponſalibus* Gloſſ. *fin in c. dilectus de ſponſalibus* licet de tempore, in quo non habeat dicta dilucida interualla, habeatur ac ſi ſemper eſſet fatuus Gloſ. *in Clement. ſi furioſus in V. furioſus de homic.*

17. In tali tamen caſu electus nõ eſſet Summus Pontifex, quia coadiutor non eſt Prelatus Eccleſiæ, ſed exercitium curæ habet tantumodo iure *Prælationis* cura penes infirmum manente *cap. unico de Cler. ægrot. in* 6. Thomas Campegg. *de coadiutor. n.* 8. & in caſu dementiæ Coadiutor omnia exercet nomine Eccleſiæ Innoc. *in cap. Conſulti de procurat.* Oldrad. *conſ.* 44. Et quia ex redditibus portionem habet, non integros fructus, non eſt prælatus Eccleſiæ, cum Prelatus liberam habeat adminiſtrationem redditũum Eccleſiæ *c. cum nobis in fine de elect.* quidquid dixerit Gloſſ. *in cap.* 11. *in V. curam* 7. *q.* 1. Thom. Campeg. *de Coadiutor. n.* 8. & non poteſt conſecrari Epiſcopus illius Eccleſiæ, cui datur coadiutor, quia eius officiũ expirat mortuo eo, cui datus eſt coadiutor *c. grandi de ſupplen. neglig. prælat.* Abb. *in c. fin. n.* 4 *de Cleric. ægrot.* Cum enim nõ ſuccedat in Epiſcopatu, eſſet conſecratus Epiſcopus ſine Epiſcopatu, ſed cõprouinciales Epiſcopi ſupplebunt, eaquæ ſunt ordinis *c. Pontifices* 7. *q.* 1. & benè Campeg. *d. tract. de Coadiutor. n.* 11. vel niſi ipſe antea eſſet conſecratus, vel niſi Summus Pontifex concederet illi aliquem titulum in partibus infidelium, quo caſu etiam ipſe exerceret Pontificalia. Io. Andr. *in cap. fin. n.* 9. *ante fin. verſ.* Sed nunquid. Butr. *n.* 13. *de Cleric. ægrot.* & ſic Coadiutor datus *Papæ*, ſi eſſet ordinatus ântea, poſſet exercere ea, quæ ſunt ordinis, alias non poſſet.

18. Reſpondetur igitur ad dubium, quod cum Coadiutor Romani Pontificis non ſit Romanus Pontifex, Conſtitutio noſtra, quæ loquitur de Roman *Pontificis* electione, & multa circa illius electionem ſpecialiter diſponit, non habet locum quando agitur de Coadiutore eligendo, quia vbi lex ponit caſum ſpecialem, videtur velle quod in contrarium ſit regula Iuris communis *c. præſenti* §. *loca*, & ibi gloſ. *in V. ſpeciali*

de

de præbend. in 6. cap. 1. de rerum permutat. lib. 6. Eſt tamẽ ſpeciale in electione Coadiutoris, quod non ſufficiat maior pars Capituli, ſed requirantur duæ tertiæ partes, vt eſt textus expreſſus, qui loquitur in terminis dementiæ *in cap. vnico §. ſi verò de Cleric. ægrot. in 6.* vbi quod ſi Epiſcopus demens fuerit, & quod velit, aut nolit exprimere neſciat, vel non poſſit, tunc eius Capitulum, vel duæ ipſius partes eadem auctoritate vnum, aut duos Coadiutores aſſumant idoneos, qui eius officium exequantur, & ibi Gloſſ. in *V. duæ ipſius partes*, notat, quod ſic non ſufficit maior pars, & ſubdit hoc eſſe ſpeciale, vt benè notat Oldrad. *conſ. 44. n. 5.*

19. Dubitatur tertio. An electio *Papæ* facta à duabus partibus Cardinalium non ſeruata ſolemnitate formæ Canonicæ ſuſtineatur in foro conſcientiæ. Negat Theſau. *in praxi in v. Conclaue cap. 4. not. 8. & v. electio cap. 11.* & hoc poteſt probari primò, quia Papa poteſt conſenſum eligentium non ſolemniter præſtitum conualidare. Text. vt *in c. vnico de poſtulat. Prælat. Abb. in cap. quod ſicut in fin. de elect.* In hac vero Conſtitutione §. D. N. electionem factam non ſeruata forma à ſe tradita decernit nullam, & inualidam eo ipſo abſque alia declaratione, itaut nullum electo ius tribuat, vt in hoc §. *quod ſi electio.* Secundo quia Cardinales nõ poſſunt in aliqua parte alterare, vel mutare, aut excedere formam in Conſtitutione traditam, vt in §. *at proinde yſdem Clem. ne Romani §. 1. de elect.* vbi communiter DD. Igitur conſenſus Cardinalium præſtitus non ſeruata forma nullius eſt momenti, nam quid quid lege prohibente fit debet haberi pro infecto *l. non dubium C. de legibus*. Tum Tertio quia doctrina illa, quod ſcilicet electio, in qua ſeruata fuit forma naturalis eſt valida in foro conſcientiæ eſt vera vbi alias non ſequantur abſurda, & ſcandala, & animarum præiudicium, & ſchiſmata, vt tradunt Suarez *lib. 5. de legib. cap. 32. n. 6.* Salas *diſp. 16. de legib. ſect. 9. n. 41.* modo in præſenti ſequerentur ſchiſmata, & quod electio Pontificis eſſet incerta, & ſic Eccleſia non eſſet certa de Paſtore. Tum quarto quia in præſenti lex irritat electionem ad omnem effectum, dum ait: *Nullum ius tribuat* Layman. *tract. de legib. cap. 16. n. 6. fin.* Tum quinto à ſimili ex Concil. Trid. *ſeſſ. 23. cap. 15. de Regular.*

20. Communis tamen ſententia eſt in oppoſitum, quam tenent DD. quos infrà refero.

21. Præmittendum autẽ mihi videtur, quod electio dicitur facta ſecundum ius naturale, vel in ea interueniſſe omnia requiſita de iure naturali, quando adfuit conſenſus eligere debentium, & electi, vt dicunt Innoc. vbi ſupra *n. 7.* Butr. n. 61. Anchar. *in d. cap. quod ſicut col. 4. §. ad ſecundum verſ. ſi* autem electio, & alij ſupracitati. Bald. *in cap. quia propter n. 18. de elect.* vbi conſenſum eligentium, & electi vocat naturale fundamentum, & n. 20. ſubdit hunc conſenſum requiri in omni electione de mundo tam Prælatorum, quam canonicorum quorumlibet eligendorum, & conſenſus debet eſſe liber, non coactus, vel præſtitus, per dolum, vel metum, vt declarat Innoc. *d. cap. quod ſicut n. 10. & 11. de elect.* Anchar. *ibid. n. 5. verſ. quarto quæritur* Compoſtell. *n. 55. verſ. 3.* Bald. *in cap. quia propter n. 18. de elect.* & alij communiter quanuis vt etiam ſupra quæſ. 20. dictum fuit metus ex iure naturæ non irritat Electionem ipſo facta & perſona electi debet eſſe talis, vt de iure naturali potuerit eligi, vt puta quod non fuerit electus perpetuò furioſus, vel mulier Add. ad Compoſtell. in *cap. licet litt. A. de elect.* Vel quod non ſit infans, qui non poteſt eligi in Papam, niſi à Spiritu ſancto eſſet facta electio, vt dicit Butr. *in cap. licet. n. 31. de elect.* & vnico verbo tam Cardinales eligentes, quàm electus debet eſſe talis inſpecto iure naturali, vt illi potuerint eligere, & hic eligi, licet inſpecto iure poſitiuo alias eſſent inhabiles, ad hoc vt electio de iure naturali ſuſtineatur, vt aduertit Butr. *in cap. licet n. 32. de elect.* Gemin. *in cap. In nomine Domini n. 14. diſt. 23.*

22. His præmiſſis dicitur electionem factam à duabus partibus Cardinalium, in qua ad fuit liber conſenſus eligentium, & electi, licet non fuerit ſeruata forma canonica inducta à iure poſitiuo ſuſtineri de iure naturali in foro conſcientiæ, & non peccare electum retinendo Papatum ex doctrina *Innoc. in cap. quod ſicut 28. n. 8. de elect. & in cap. ſi celebrat. n. 5. in princ. de Cleric. excom.* Compoſtell. *in d. cap. quod ſicut n. 17. in fin. & n. 19. in fin.* Butr. *ibid. n. 61. verſ. recitent &c. iuncto verſ. dicit 49.* Io. Andr. *ibid. n. 50 & ſeqq.* Beliamer. pariter *n. 50. verſ. quintam concluſionem* Anchar. ibid. *col. 4. §. ad ſecundum verſ. alij dicunt &c. iuncto verſ.* ſi verò electio & clarius in regula Beneficium *n. 8. q. 7. verſ. ſed circa, De Regul. iuris in 6.* Abbas *in d. cap. Quod ſicut n. 16. verſ. per contrarium*, vbi dicit opinionem Innocent. eſſe communem, licet ſibi non placeat, ſed nihilominus eam tenet, & dicit eſſe ſingularem; & ampliat procedere in omni alio actu *Petr.* de Biaxio *in Director. elect. p. 3. c. 20. n. 4.* Felin. in *cap. 1. n. 39. de Conſtit. verſ. fallit 6.* ibi: quamuis in electione, ſcillicet Papæ non fuerit ſeruata forma data à Canonibus, dummodò interuenerint purus conſenſus eligentium tenet in foro conſcientiæ Gemin. *in cap. 1. n. 3. de ſponſal. lib. 6.* vbi ex ſententia Innoc. dicit, quod electio poteſt eſſe valida de iure naturali, & nulla de iure poſitiuo, & Innoc. *in d. cap. Quod ſicut* ſequitur Nauarr. *in conſ. 9. verſ. 3. de elect. in nou.* & Ludouic. mirand. *in manual. Prælatorum p. 2. qu. 23. art. 12. concl. 1. in fin. tom. 2. fol. 323* Coccinus in Gloſſen. manus §. *Quod ſi electio.*

23. Talis tamen electio per forum externum eſt reuocabilis Innoc. *d. cap. quod ſicut num. 8.* & ibi Compoſtell. *cap. 14.* & procedit iuxtà doctrinam eorum qui in communi aſſerunt, quod ex contractu minus ſolemni oritur obligatio naturalis, & transfertur dominium, ità quod is qui poſſidet iuſtè poſſidet, ſed tamen hoc dominium eſt infirmum vacillans, & reuocabile Sotus *l. 4. de iuſt. q. 5. art. 3.* Lopez *2. p. Inſtruct. c. 14.* & apud eũ Ripa, & clarius Ledeſma *in 4. p. 2. q. 18. a. 1. dub. 12.* Banneſ. *2. 2. in præamb. ad q. 62. diſp. 5. dub. 4.* Petrus de Ledeſma *2. tr. 8. cap. 4.* Ioã de Cruce *in 7. præcept. q. 1. art. 5. dub. 15. concl. 4.* Serra *2. 2. q. 66. art. 2 dub. 5. concl. 2.* Sanchez *l. 4 opuſ. cap. 1. dub. 14. n. 5.* & apud eum Palacios, Henriquez, & Burgos de Paz. Martinez de Prado

Moral. *quæſt. cap.* 26. *quæſt.* 3. *num.* 10. Emmanuel. Sà *v. contractus num.* 9. & probabiliſſimam dixit Martinus à S. Ioſeph. de *teſtam. tract. num.* 4. & 5. Cum enim lex Canonica obliget in conſcientia ad minus hunc effectum habet cum irritat contractus ex non ſeruata forma præſcripta, vt infirmet dominium, quod trãsfertur per ſimiles contractus, vt eo non obſtante contractus per Iudicem ſit reuocabilis.

24. Procedunt igitur ſupradicta in caſu, in quo huiuſmodi nulliter electus ſit toleratus, & non ſit qui nullitatem opponat, ipſaque in iudicio non ſit illegitima declarata. Quia hoc modo tolluntur occaſiones ſchiſmatum, & periculum valdè imminens, quod Eccleſia ſit ſine verò Papa. Et cum alias in hoc caſu electus ſit dignus, vel ſaltem electio non ſupponatur nulla ex defectu electi, ſed formæ electionis, per ſe magis conuenit Eccleſiæ, vt hic electus habeat veram poteſtatem regẽdi Eccleſiam quam quod talis in conſcientia teneatur Papatum reſpuere, quod non niſi à maximè ſancto eſſet ſperandum.

25. Ad prima duo argumenta benè reſpondet Coccin. in dicto Gloſſem. §. *Quod ſi electio quæſt.* 6. *pag.* 501. quod probant electionem non ſuſtineri in foro iudiciali, vbi cauſæ definiuntur ſecundum regulas legis poſitiuæ, nam cum validitas electionis pendeat ex Conſtitutionibus, in quibus præſcribitur quomodo, & quis ſit eligendus, & detur pro forma, quod tali, & tali modo electio debeat celebrari, alias decernitur nulla ipſo iure, non poteſt ſuſtineri electio in foro iudiciali, niſi conſtet fuiſſe ſeruatam formam, quæ traditur in Conſtitutionibus ſed in foro conſcientiæ, in quo quo ad Deum attenduntur ea, quæ ſunt ſubſtantialia actus, qui geritur inſpecto tantum iure naturæ: electio facta ex libero conſenſu eligentium, & electi ſuſtinetur, licet eligentes contra formam in Conſtitutione præſcriptam peccauerint Gemin. *in cap. in nomine Domini num.* 14. *diſt.* 23. quem ſequitur Felin. *in cap. cum non concupiſcentiam in principio de Conſtit.* & ratio eſt, quia talis, vel talis forma in electione ſeruanda introducta eſt à iure poſitiuo propter vitanda ſcandala, & ſeditiones, & pericula Eccleſiarum, & ideò illis ceſſantibus ſaltem in foro conſcientiæ electio ſuſtinetur Innoc. in *d. c. quod ſicut num.* 9. *de elect.* Bellamer. *ibid. num.* 17. *verſ.* 5. *concluſionem*. Io. Andr. *num.* 53. Compoſtell. *num.* 19. Abb. *num.* 16. *ad fin. verſ. per contrarium, & in cap.* 1. *num. fin. de reſtit. in integr.* Petr. de Biaxio *in Director. elect. par.* 3. *cap.* 20. *num.* 4.

26. Ad tertium, & quartum reſpondetur, quod ex noſtra ſententia nullum ſequitur abſurdum, imò valde fauet quieti S. Eccleſiæ, & valet ad remouenda ſchiſmata, & ad hoc vt Eccleſia ſit certa de ſuo capite, dum etiamſi interfuerit in electione aliqua nullitas ex defectu ſolemnitatis canonicæ, certa tamen eſſe poteſt, quod electus à duabus partibus Cardinalium naturali forma ſeruata eſt verus Papa habens plenitudinem poteſtatis ſuper tota Eccleſia.

27. Ad vltimum reſpondetur non eſſe eandem rationem de matrimonio & profeſſione Religioſa de qua loquitur Concil. Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 15. & de alijs contractibus, nam illi duo actus ſunt irretractabiles, & de ſui ratione perpetuitatem requirant, nec poſſunt eſſe nulli in foro exteriori, quin ſint tales in foro conſcientiæ, vt aduerterunt Rota *deciſ.* 1. *de ſponſalib. impub. in nou.* Suarez *legib. lib.* 5. *cap.* 25. *num.* 19. Papatus autem non requirit de ſui natura perpetuitatem, cum per renunciationem, & depoſitionem ſit diſſolubilis, vnde non valet ſimilitudo.

28. Dubitatur quarto. An iuſtum impedimentum excuſet, ſi omittatur aliquid de forma. Reſpondetur excuſare iuxta doctrinam Panorm. *in cap. Quia propter num.* 14. vbi quod ſi quis impediretur à ſcrutatore nimis potente, ne poſſet liberè votare ſecreto, poſſet votare publicè. Sic enim, & in caſu neceſſitatis non patientis moram lex poſitiua, quæ formæ naturali contractus ſuperaddit nouam formam, & ſolemnitatem non obligat, ſed in eo caſu ſufficit ſeruare ius naturale, aut antiquum per ea, quæ tradunt Bald. *in l.* 1. *num.* 2. *C. vnde Vir, & Vxor*, ſequitur Alexand. *in l. turpia num.* 7. *ff. de legat.* 1. *& ſentit* Iaſon. *in l. ſi parum poſt num.* 4. ibi: *Tu clarius reſponde C. de teſtam.* Quod tamen declarandum venit, vt procedat quando periculum eſt in mora, alias ſecùs, vt declarat *Caſtr. in l. cum antiquitas num.* 4. *&* 5. Alexand. *num.* 6. *&* 7. *C. de teſtam.* ex quibus apparet, quod licet neceſſitas excuſet ab obſeruantia formæ, non tamen ipſa neceſſitas facit, vt valeat actus abſque forma requiſita, ſed ideo valet, quia cum tempore neceſſitatis actus ille non ſubiaceat diſpoſitioni iuris requirentis formam illam, quia neceſſitas non habet legem *cap. ſicuti* 1. *quæſt.* 1. *c. quanto de conſuet.* vbi Apoſtell. ad Abb. ibid. *num.* 12. *in v. tempore neceſſitatis*, & propterea iſto caſu actus ille factus ſecundum ius commune valet ex diſpoſitione iuris antiqui, perinde ac ſi alia forma de nouo introducta non fuiſſet, vt per Bald. & Alex. locis citatis, & in terminis electionis clarè dicit Abb. poſt Goffred. *in cap.* 1. *ante num.* 11. *verſ. quæritur* 5. *de elect.* Vbi quando ex defectu perſonarum non poteſt ſeruari forma *cap. quia propter*, cum fortè non reperiantur, niſi duo tantum de capitulo, electio debet fieri de more antiquo, & ſic licet Abb. loquatur, quando adſunt duo tantum de Collegio, negari tamẽ non poteſt, quin loquatur quando eſt caſus neceſſitatis & ideò concludendum eſt, quod electio non ſeruata forma huius Conſtitutionis in caſu neceſſitatis ſecundum prædicta valeret.

Quæ ſint præmittenda electioni ex lege Canonica.

QVÆSTIO XXV.

1 MOrtuo Summo Pontifice pro noua electione habenda primò indicendæ ſunt publicæ orationes, Deuſque humiliter exorandus, vt dignetur mouere eligentium voluntates, vt optimum Antiſtitem cito, & pacificè Eccleſiæ ſanctæ eligant. De hoc habetur monitio in Concilio Lugdunenſi in *cap. vbi periculum in* 6.

Quia

Quia verò fidelibus non eſt tam de ſollicita quantumcumque inuentione fidendum, quam de inſtantia orationis humilis & deuotè ſperandum, huic adijcimus ſanctioni, vt in omnibus Ciuitatibus, cæteriſque locis inſignibus, vbi primum de memorati Pontificis obitu certitudo claruerit à Clero, & populo ſolemnibus pro eo exequijs celebratis ſingulis diebus, (donec de ipſius Eccleſiæ prouiſione indubitanter rumor pertulerit veritatem) humiles preces fundantur ad Dominum, apud eum deuotis orationibus inſiſtatur, vt ipſe qui concordiam facit in ſublimibus ſuis ſic efficiat eorundem Cardinalium corda in eligendo concordia, quod promiſio, celer, concors, & vtilis, prout animarum ſalus exigit, & totius orbis requirit vtilitas, ex ipſorum vnanimitate ſequatur. Et ne tam ſalubre præſentis ſanctionis edictum ignorantia negligi prætextu contingat diſtrictè præcipimus, vt Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & alij Eccleſiarum Prælati, cæterique quibus conceſſum eſt proponere verbum Dei Clerum, & populum propter hoc ſpecialiter frequentius congregandos in ſuis ſermonibus ad ſupplicum precum ſuffragia pro celeri, & fælici exitu tanti negotij frequentanda ſolerter hortentur, & ipſis eadem auctoritate, non ſolum orationum frequentiam, ſed obſeruantiam, prout circumſtantiæ penſandæ ſuaſerint, ieiuniorum indicant.

2 Duas vero partes cum contineat hic §. in earum prima in qua indicit publicas orationes habendas à fidelibus non præcipit, ſed monet, vt videtur ſentire Io. Andreas *in ſummario* & expreſſe tradit Coccin. in Gloſſ. *manuſcript. pag.* 147. ſed in ſecunda parte, in qua loquitur cum Prælatis præcipit, vt patet ex verbo *diſtrictè præcipimus*. Mandat verò, vt nedum ad orationes hortentur ſed etiam vt iuxta temporis circunſtantias frequentiam ieiuniorum, & ieiuniorum obſeruantiam indicant. Quinque autem pro huius textus intelligentia conſiderat Coccinus Primo, quod omnia prædicta facienda ſunt auctoritate apoſtolica ibidem *eadem auctoritate*, quæ, verba correſpondent alijs verbis *præcipimus* ſecundo quod ſtantibus preſentis, ieiunia, & orationes ſunt indicendæ auctoritate Apoſtolica. Tertio quod ieiunia ſimpliciter non ſunt indicenda, ſed prout circunſtantiæ penſandæ ſuaſerint. Quarto quod ſi indicantur obligantur fideles ad mortale. Quinto quod prędicta indictio ſpectat nedum ad Patriarchas, Archiepiſcopos, & Epiſcopos, ſed ad cæteros Eccleſiarum Prælatos, nec non ad illos, quibus conceſſum eſt proponere verbum Dei, & ne ego intelligo hoc dictum iuxta intelligentiam Concilij Tridentini *ſeſſ.* 5. *cap.* 2. *de reformat.* dum dicit, quod Epiſcopi Archiepiſcopi, & Primates, ac omnes alij Eccleſiarum Prælati tenentur per ſe ipſos prædicare verbum Dei. Ad iſtos enim ſolos credo ſpectare indicere orationes, & ieiunia, & quia iſti impediti per alios poſſunt prædicare, vt in eodem Concilio diſponitur, dum in eadem Conſtitutione dicitur, nec non ad illos, quibus conceſſum eſt proponere verbum Dei, intelligo quod ſi deputentur Concionatores, poſſunt hortari ad orationem, nec non & indicere orationes, & ieiunia Apoſtolica, ſi tamen hoc fuerit ipſis ab illis, quorum nomine pronunciant verbum Dei iniunctum.

3 Et quidem in primo Conclaui ingreſſu, cum Cardinales ad Cappellam intra Conclaue peruenerint, & Decanus dixerit orationem de Spiritu ſancto *Deus qui corda fidelium &c.* leguntur, & per Cardinales iurantur Conſtitutiones de Romani Pontificis electione editæ, quod in ſpecie de eorum Conſtitutionibus ſtatuerunt Pius IV. in Conſtitutione *In eligendis* §. *volumus* & Gregorius XV. in Conſtitutione *Aeterni Patris* §. *volumus*.

4. Secundo Capitula etiam, quæ fieri ſolent ante electionem à ſingulis Cardinalibus ſubſcribenda etiam ad fauorem Conclauiſtarum ſi non ſunt facta, fieri poſſunt poſt Conclauis ingreſſum, dummodo per ea non retardetur, vel Conclauis ingreſſus, vel electio. Ceremoniale §. *Porro Capitula*. Morem tamen eſſe, vt huiuſmodi capitula in nouendialibus ſubſcribantur ante Conclauis ingreſſum tradit Lauor. *tract.* 3. *cap.* 5. *num.* 2.

5. Ante electionem etiam inſpiciendum eſt ſi aliqui Cardinales ſunt qui careãt ordine Diaconatus, quia iſti niſi ſint priuilegiati non debent admitti ad electionem, ſed a ſuffragio ferendo excludi debent. Sed mos eſt, vt Pontifices promouentes non Diaconos ad Cardinalatum concedant illis ius ſuffragij in Pontificis electione. Et ita nullus Cardinalium a ſuffragio excluditur.

6. Quarto electionem præcedere poteſt tractatus de perſona eligenda, & de ſpectantibus ad electionem, nedum conſultiuus, ſed deliberatiuus, dum *vt ſupra quæſt.* 22. eſt probatum non ſit ambitioſus, vel pactionalis, vel quocunque modo ſimoniacus, aut obligatorius, vel alia mala circunſtantia veſtitus. Gregorius XV. §. *Cardinales* ibi: *tractatus tamen pro electione habendos vetare non intelligimus* Lauor. *tract.* 4. *cap.* 6. *num.* 52.

7. Electionem autem etiam præcedit miſſa de Spiritu ſancto, & Communio Cardinalium, vel recitatio Hymni *Veni Creator &c.* & oratio de Spiritu ſancto cum hoc ordine, quod communio Cardinalium cum miſſa de Spiritu ſancto præcedit ſolum prima vice ſcilicet primò manè poſt Conclaue clauſum. Gregor. XV. in Conſtit. *Aeterni Patris* §. *ſimiliter*, regulariter verò de mane præcedit ſolita miſſa, poſt prandium verò dicitur Hymnus *Veni Creator Spiritus*, & oratio de Spiritu ſancto, & poſtea proceditur ad electionem; & hæc ſunt quæ electionem antecedunt. Quod vero antiquitus celebrarentur quotidie duæ miſſæ vna de currenti feſto, alia de Spiritu ſancto ex *Cerem.* Leon. aduertit Lauor. *cap.* 7. *num.* 9. *tract.* 4.

Quæ ſint ſubſtantialia formæ electionis quaſi per inſpirationem.

QVAESTIO XXVI.

1. TRiplicem eligendi formam, quam poſuit Innoc. III. in Concil. Lateran. & habetur *cap. Quia propter de elect.* admittit Greg. XV. in Conſtit. *Aeterni Patris*, etiam pro

Sum-

Summo Pontifice eligendo. Huiuſmodi autem formæ ſunt electio per quaſi inſpirationem, electio per compromiſſum & electio per ſcrutiniū. Et de electione per quaſi inſpirationem primò loquendò præmittitur quod meritò hæc via eligendi conceditur pro Summo Pontifice obtinēdo. Quia in eius electione maximè Spiritus Sancti gratia eſt neceſſaria vt Eccleſiæ Sanctæ de optimo vniuerſali Præſide prouideatur. Et aliquando Deus ſua benignitate dignatus eſt, vt per hanc viam Sanctæ Inſpirationis Pontifices electi fuerint. Sic enim S. Fabianus, quem à Deo per columbam inſidentem eius capiti deſignatum ſtatim vniuerſus Clerus, & populus dignum Pontificatu iudicauit anno 238. Sanctus etiam Gregor. VII. per ſimilem inſpirationem fuit electus cum enim ipſe in Eccleſia Lateranenſi occuparetur in exequijs demortui Alexandri celebrandis, ſtatim ex improuiſo maximus Cleri, & populi concurſus Eccleſiam ingreſſus clamare cæpit. *S. Petrus elegit Hildebrandum Archidiaconum*, ad quas voces Cardinales, & Clerici Romanæ Eccleſiæ ſtatim ſuum conſenſum præſtiterunt, vt ex Baron. Bzou. Ciacon. & alijs habetur.

2. Duplex autem eſt electio, per viam Spiritus Sancti. Altera per inſpirationem, & eſt quando inter eligentes nullo ordine ſeruato ipſi quaſi inebriati, & ſuper ſe quaſi fatui eligunt authore Deo immediate, pro vt fuit electio SS. Ambroſij, Nicolai, & Seuerini de quibus *in c. ſtatuimus §. E contra 61. diſt.* qui quidem modus electionis propter peccata noſtra rarò occurrit, vt dicit Io. Andr. *in c. quia propter, n. 40. de elect.* Hoſtien. *n.* 51. Butr. *num.* 49. Bellamer. *in §. niſi num.* 5. Mandagoſt. *de elect. cap.* 52. Petrus de Biaxio *in directorio electionis par. 3. cap. 16. num.* 2. Altera vero eſt quaſi per inſpirationem, quando ſubitò, & repentè vnus poſt alium ſine vllo internallo communiter eundem eligunt. Hoſtien. *in d. cap. quia propter num.* 50. Abb. ibidem in *§. niſi num.* 3. Gregor. Lopez *par. 1. tit. 5. l.* 21. Gloſ. alguno, & ibidem Alphonſ. Diaz de Montalno in Gloſſ. vnica. In Bulla autem Gregoriana nulla fit mentio expreſſè electionis per inſpirationem, quia ſub verbis illis quaſi inſpirationem tacitè continetur, cum verba illa ſtent ſimilitudinariè ad electionem per inſpirationem Hoſt. *in rat. quia propter num.* 50. *verſ. Sed & ſimilitudinarium*, vnde explicat quaſi dictum ſit, inſpirata eſt, & Io: Andr. *ibidem num.* 39. *in fine* Abb. *in §. niſi num.* 3. Bellam. *in eod. §. n.* 5. Oldrad. *conſ.* 155. *per tot.* Mandagott. *de elect. cap.* 52.

3. Huius verò electionis quatuor ſunt de ſubſtantia. Primum eſt, vt fiat conclaui clauſo, ſecundum eſt, vt de perſona eligenda nullus præcedat ſpecialis tractatus, tertiū quod ſit concors omninò, & fiat nemine Cardinalium in Conclaui præſentium nemine diſſentiente ab omnibus, & ſingulis illorum, quartum quod fiat per verbum *eligo* intelligibili voce prolatum, vel ſi voce fieri non poſſit ſcripto expreſſum. Greg. XV. ibid. *§. matura, & in Ceremon.* *§. Primus modus &c.* Quamobrem nedum ſi vnus Cardinalium diſſentiat, ſed ſi vnus eorum taceat, vel voto renunciet electio erit nulla, quia requiritur omnium Cardinalium conſenſus per verbum *eligo* expreſſus.

4. Circa primam conditionem quæſtio eſt an in Conclaui non clauſo, imò extra Conclaue, & non expectatis decem diebus validè poſſit eligi Pontifex, ſi eligatur per quaſi inſpirationem Spiritus Sancti; eam enim valere ex hoc probari videtur, quod in iure non reperitur expreſſa, & determinata forma electionis quæ fit per viam quaſi inſpirationis, illa tamen eſſe cenſetur, quæ fit ab omnibus nemine diſcrepante, abſque vllo vitio, & fraudis ſuſpicione *ex c. quia propter de elect.* & iſta non eſt forma, ſed ſufficit, quod modo prædicto omnes conſentiant Innoc. *in cap. quia propter num. 6. in V. per inſpirationem* Hoſt. *num.* 50. in eodem verbo. Abb. ibid. *in §. niſi num. 1. in fin.* Syluest. *in ſumma in v. electio 2. num.* 27. Roman. *conſ.* 145. *num.* 18. *verſ. quoad ſecundam*, Mirand. *in manual. Prælat. regul. par. 2. quæſt.* 23. *art.* 42. & propterea cum iſta non ſit forma, ſed inſpiratio diuina non eſt opus expectare 10. dies, nec ingredi Conclaue, quia quæ, ſpiritu Dei aguntur non ſunt ſub lege *c. niſi cum pridem §. verum de renunc. c. duæ 19. quæſt. 2.* & abſurdum eſſet, quod electio diuinitus inſpirata arctaretur lege poſitiua *c. generaliter §. hoc idem datur intelligi 16. diſtinct.* & in puncto Roman. *d. conſ.* 345. *num.* 23. & optimè ad propoſitum Compoſtellam *in cap. quia propter n. 29. de elect.* inquit, cum hæc electio fiat contra decretum publicum, & ſine ſolemni tractatu, & ad voces, & ad clamorem, quare ſtatuit Eccleſia quod electio per hunc modum facta valeret contrà id quod dicitur in *l. ſi conſtiterit ff. de appellat.* & ſubdit *reſponde*, cum in electionibus ſæpè conſueuerit interuenire diſcordia quærentibus ſingulis quæ ſua ſunt nō quæ ſunt Ieſu Chriſti *cap. nonne 63. diſt.* Ex quo electores communiter, & concorditer in vnam perſonam repente, & ſine inſtigatione conuen unt; præſumitur quod per inſpirationem diuinam ad hanc concordiam inducantur. Vnde cum quæ ſpiritu Dei aguntur non ſint ſub lege *cap. 2. 19. quæſt.* 1. noluit ius eas arctari formis, & ſolemnitatibus iuris, quæ in electionibus requiruntur, & præcipuè cum per hunc modum vitetur diuturna vacatio quæ Eccleſijs eſt damnoſa. Haetenus Compoſtellan.

5. Ad hanc quæſtionem pluribus diſtinctionibus reſpondet Coccinus in Gloſſem. manuſcript. ad Conſtitut. Gregor. XV. *Aeterni Patris §. Hac noſtra* pag. mihi 339. Diſtinguit enim primo inter electionem per inſpirationem, & per quaſi inſpirationem, & illam dicit valere, & imò ait eſſe hæreticum aliter dicere, quia quæ ſpiritu ſancto dictante aguntur ſub lege nō ſunt, vt dictum eſt. Sed ſi electio ſit per quaſi inſpirationem vel ſit non expectatis decem diebus, & extra Conclaue, vel poſt decem dies in Conclaui non clauſo. Si fiat ante decem dies, tunc vel Cardinales, qui adueniunt intra decem dies conſentiunt electioni, & ſic electio tenet, quia cum illa non poſſit pati inſtantiam, niſi quia ſit contra Iuſtitiam Cardinalium abſentium, ſi iſti conſentiunt non eſt vnde electio ſit irrita. Sed ſi Cardinales, qui adueniunt intra

decem

decem dies non conſentiunt, electio non tenet. Quia cum ad hanc electionem ſit neceſſarius omnium conſenſus iam diſſentientibus qui adueniunt, conſtat quod illa electio non fuit per quaſi inſpirationem. Quia enim in hac electione per quaſi inſpirationem non conſtat eam eſſe ex Spiritu Sancto, ſed ſolum ex concordia eligentium præſumitur, ideo ſi qui intra dies decem adueniunt, dum non conſentiunt colligitur eam non fuiſſe perquaſi inſpirationem. Quod confirmat ex ſententia multorum, qui loquentes de electione *Prælatorum* inferiorum Papa diſtinguunt valde inter electionem per inſpirationem, & per quaſi inſpirationem volentes, quod ad hanc, quia non conſtat quod ſit inſpirationem neceſſaria eſt confirmatio, & neceſſaria etiam eſt electio ſolemnis, & communis facta ab vno nomine omnium, Vnde colligitur quod vbi hæc electio non habeat omnium habentium intereſſe concordia non eſt per inſpirationem, neque eſt valida. Sed ſi electio fiat expectatis decem diebus, etiam ſi fiat Conclaui aperto electio eſt valida. Quia tunc non poteſt attendi aliquod intereſſe Cardinalium, cum vltra decem dies ipſi non ſint expectandi. Et licet in Rituali, ſeu Cæremoniali confirmato à Gregor. XV. dicatur quod huiuſmodi electio non poteſt fieri niſi Conclaui clauſo, tamen quia Cardinales aliundè habent facultatem eligendi per quaſi inſpirationem, Rituale non habet decretũ irritans, quia nec clauſula ſublata quæ in fine illius continetur, nec dictio omninò, quæ ibidem adeſt, habẽt vim decreti irritantis, ideo eo Rituali non obſtante electio eſt valida.

6. Sed in hac ſententia multa ſunt, quæ meritò diſplicent. Primò nam ſententia ipſa eſt de directo contra Conſtitutionem Greg. XV. *Aeterni Patris*, §. *Quod ſi electio*, vbi habentur hæc verba: *Quod ſi electio huiuſmodi alibi celebrata fuerit, quam in Conclaui clauſo, vel aliter, quam per ſecreta ſchedularum ſuffragia duarum ex tribus partibus Cardd. in Conclaui preſentium, in ſcrutinio ſeu ſcrutinio, & acceſſu, electi ſuffragio non computato, vel per viam compromiſſi ab omnibus, Cardd. ſimiliter in Conclaui preſentibus, nemine diſſentiente initi, & itaut nemo ſe ipſum elegerit, vel quaſi per inſpirationem nullo &c.* nam dictio illa *electio* maxime addita illa dictione *huiuſmodi* omninò ſumitur, & ſumi debet vniuerſaliter, quod nedum ex ſubiecta materia conſtat, ſed ex ſequentibus verbis, quorum hæc eſt conſtructio, quod ſi electio huiuſmodi vel facta non ſit in Conclaui clauſo, vel aliter facta quam per vota ſecreta in ſcrutinio &c. vel per viam compromiſſi &c. vel quaſi per inſpirationem &c. ea hac enim verborum ſerie conſtat, quod membra illa non continent niſi ſpecies electionis illius huiuſmodi quam primò expreſſit, & dixit eſſe nullam ſi non fiat in Conclaui clauſo, & quam ſubſequenter in tres illos modos eligendi per ſcrutinium, compromiſſum, & quaſi inſpirationem diſtinguit, & diſtribuit. Et quod hic ſit ſenſus Conſtitut. *Aeterni Patris* patet amplius ex Rituali, quod quidem ideò confectum fuit, & renouatum, quia Rituale vetus ex d. Conſtitutione *Aeternis Patris* redditum fuit fere inutile, vt Pontifex ipſe fatetur. Vnde eſt, quod factum fuit iuſtà exigentiam Conſtitut. *Aeterni Patris*, & iuxtà veram eius intelligentiam. Vnde omninò dici debet, quod nec valeat electio per quaſi inſpirationem ſi fiat extra Conclaue clauſum, quia in dicto Rituali de hac ſpecie electionis dicitur. *Primum hac forma electionis practicari poteſt ſolum in Conclaui, & eo clauſo*. Vt verò idem Coccinus aduertit dictio ſolum cum ſit appoſita diſpoſitioni affirmatiuæ habet ſimplicem negatiuam. Azeued. *in l. 2. nu. 2. tit. 13. lib. 8. nouar. recompil.* Eſcobar. de *ratiocinio cap. 7. n. 44.* & eſt taxatiua Caſſan. *in Conſuetud. Burgund. Rubr. 4. §. 1. n. 1.* Surd. *conſ. 403. n. 62.* Azeued. *loco cit. n. 1.*

7. Secundo nec illa diſtinctio rationi congruit in qua conſideratur an Cardinales aduenientes infra decem dies conſentiant electioni iam factæ vel non conſentiant nam huic modo eligendi, vt infra magis explicatur repugnat conſenſus datus per interualla temporis, & ſucceſſione. Qua propter electio hæc per inſpirationem dum primò fit ab eis, qui præſentes ſunt in loco electionis vel eſt valida, vel non valida. Si non eſt valida nec poteſt validari ex conſenſu ſuperuenientium, qui non immediatè, & proximè cenſentur moti à Spiritu ſancto ad conſentiendum electioni, ſed ex conſenſu & electione præcedente ab alijs facta, & ex præmeditatione, & conſilio, & diſcuſſione negotij. Si verò eſt valida, non eſt vnde aduenientes conſentiant, vel diſſentiant, cum Papa iam validè ad Eccleſiam electus ſit Summus Pontifex in rei veritate ex nullius diſſenſu à Sede Apoſtolica deponendus, ſed verè ità eſt quod vno vocalium abſente, & contempto non poteſt haberi electio per quaſi inſpirationem, vt tradiderunt Hoſtien. *in tract. de elect. §. qualiter facienda v. 3.* Foram. Io. Andr. Butr. *in cap. Quia propter* Bria . p. 3. *Director. cap. 16. n. 10.* Ripa *reſponſ. 34. de elect. n. 10.* Tuſcus *lit. E. concl. 74. n. 2.* Rota *in metenſi monaſt. n. 24.* coram Coccino quæ eſt deciſio 312. *p. 4. tom. 2. recent.* Sigiſmund. de Bonon. *de elect. dub. 2. n. 6.* quia abſens contemptus, ſeu non expectatus ſi poſtea adueniens ratam habeat electionem præſumitur id facere motus ab aliorum facto, & ex præmeditatione, & conſilio, vnde deficit ratio electionis per quaſi inſpirationem.

8. Tertio diſtinctio ipſa principalis in puncto noſtro non ſubſiſtit, & licet data ſit ab antiquis Canoniſtis, nihil ad punctum noſtrum facit, quia non niſi per euidens miraculum conſtare poteſt Eccleſiæ de mente, & voluntate Spiritus Sancti circa huius perſonæ electionem & hoc propterea neque certo colligitur ex eo quod vocales omnes ſimul turmatim aliquem eligant, cum hoc bene ex aliqua etiam vehementi paſſione contingere poſſit. Et ità vel adeſt miraculum, ex quo comprobetur mentem Spiritus ſancti eſſe, vt hæc perſona eligatur, vel non adeſt ſi non adeſt deeſt quoque certitudo inſpirationis Spiritus ſancti, & lex electionis obligat, quia ideſt ex Spiritu ſancto, quod ex lege eſt cum Spiritus ſãctus legiſlatores dederit, vt [illegible] nes humanas dirigant. Sed ſi mira[illegible] ceſſat vis legis etiam ſi electio non fiat [illegible]

Digitized by Google

bus ſimul & quaſi turnatim, ſed cum diſtinctione, & ordine imò etiam ſi electio fiat per compromiſſum, aut ſcrutinium legibus humanis non ſeruatis; Quoniam vbi de mente Dei conſtat per miraculum aut certam reuelationem, ceſſat lex humana contrarium diſpones. Cæterum vbi electio fiat etiam per modum inſpirationis Spiritus ſancti, non conſtat an illa ſit Spiritus ſancti inſpiratio, & ideò electio ſubditur legibus canonicis, & ſi fiat infrà decem dies, & extra Conclaue eſt inualida.

9. Circa ſecundam conditionem dubitatur primò quid veniat nomine tractatus? nam Bonac. *d. quæſt.* 5. *punct.* 3. *num.* 13. arbitratur, quod nec preces, & exhortationes imo nec incuſſio metus veniat ſub nomine tractatus. Quia vt ipſe habet *num.* 12. tractatus eſt conſultatio, diſcuſſio, indago, inquiſitio, colloquium confabulatio, quæ ad aliquid perficiendum præmittitur. *l.* 5. *in princ. &* §. *penult. de præſcrip.* Bald. *tom.*4. *conſ.* 133. Sed hæc opinio ſibi manifeſtè contradicere videtur. Nam certè preces, exhortationes, & minæ non fiunt ſine colloquio, vel confabulatione ad perficiendum quod petitur, vel ad quod exhortatur, vel pro quo qui minatur ordinata, ideo preces, exhortationes, comminationes nedum ſunt quidam tractatus, ſed in hoc genere ſpecialem vim habent ad obtinendum finem. Quod vero dicit Bonacina, quia niſi preces obtinuerint conſenſum non conſtituunt tractatum, qui vt etiam ſupra *quæſt.* dictum eſt, non eſt completus niſi ſit deliberatus, tractare etiam deliberare eſt, & agere, ſeu diſcutere negotium. Quod inquam ſic dicitur, hoc etiam omnino ſubſiſtit. Quoniam imo tractatus aliquando ſolam inquiſitionem, & diſcuſſionem negotij importat antecedenter ad deliberationem, vt patet ex *cap. ſine exceptione* 12. *quæſt.* 2. & ibi aduertunt DD. nam S. Leo in eo *cap. ad validam alienationem*, vt duo diſtincta requirit tractatum, & deliberationem, ſeu conſenſum Eccleſiæ; & quod ſupra in explicat. Conſtit. Pauli IV. ſumptus ſic tractatus, vt completus ratio fuit, quia ibi accipitur, vt eſt diſtinctus à tentatione.

10. Dubitatur ſecundo, an quilibet tractatus præcedens irritet electionem per communẽ inſpirationem. Bonac. vbi ſupra *num.* 14. poſt Sopranum a ſe relatum putat tractatum informatiuum, inquiſitiuum, & conſultiuum non eſſe prohibitum, nec reddere nullam electionẽ per communem inſpirationem. Tum primò quia ab antiquo iure non receditur, niſi quatenus iure nouo ſtatuitur. *l. præcipimus* §. *fin. de appellat.* ſed iure antiquo conceditur tractatus conſultiuus, & informatiuus *cap. In nomine Domini diſt.* 23. & iure nouo hic tractatus non prohibetur. nam illa verba: *nullo præcedente tractatu* intelliguntur de tractatu deciſiuo, vt ex ſequentibus rationibus patet. &c. Igitur, &c. Tum ſecundo quia Gregor. XV. ait ſe non vetare tractatus, ſed tractatus informatiuus habẽdus eſt pro electione *cap. In nomine Domini*, igitur, &c. Tum tertio quia non eſt præſumendus Pontifex contraria ſtatuere, dum igitur prohibet, intelligitur de tractatu deciſiuo, & dum permittit intelligitur de conſultiuo. Quarto quia Pontifices prohibentes tractatum de alienandis bonis Eccleſiæ intelliguntur de tractatu deciſiuo. Quinto quia vbi aliquid diſponendum eſt ad vtilitatem Eccleſiæ Sacri canones iubent tractatum præmitti 12. *qu.* 2. 6. quia verſamur in materia pœnali, in qua electio irritatur, excommunicatur electus ſi electioni conſentiat, & in materia pœnali benignior eſt interpretatio.

11. Sed oppoſitum ſentire videntur communiter DD. in *cap. Quia propter* §. *niſi de elect.* Panorm. *ibi nu.* 3. vbi quod non debet præcedere perſuaſio, aliter electus diceretur per ſuggeſtionem alterius. Biaxius *p.* 3. *cap.* 16. vbi quod requiritur quod fiat electio non præcedente requiſitione, vel conſenſu Sylues. *v. electio* 2. *q.* dicens quod talem electionem nullus debet præcedere tractatus, & idem docent Sigiſm. *de elect. dub.* 2. *nu.* 6. Lauor. *cap.* 7. *nu.* 3. & communiter DD.

12. Sed ad difficultatis explicationẽ conſiderandum eſt, quod fieri aliquid per inſpirationem Dei dupliciter contingit, ſcilicet mediatè, & immediatè, vt aduertit idem Bonacin. *ibid. nu.* 6. Certè quidquid boni fit, etiam ſi fiat alio præcipiente, vel ſuadente, vel conſulente, vel quomodocunque mouente fit per Dei inſpirationem mediatè, quoniam omne bonum ex Dei inſpiratione originem habet prout definitum fuit in Concil. Aranſic. *con.*6. & in Concil. Trid. *ſeſſ.* 6. *can.* 3. Et hoc modo omnis Papæ bona electio eſt ex diuina inſpiratione, etiam ſi facta per ſcrutinium, ſpiritus enim Sanctus etiam paſſionibus, & affectibus Cardinalium vtitur, vt eum exaltet in Eccleſia plebis, quem ab æterno præordinauit, & ſic prout, ſibi placet inſpirat Cardinalibus, vt illius promotionem promoueant, & procurent, & alios intùs mouet, vt aliorum conſilijs aquieſcant. Hoc igitur modo omnis bona electio eſt per inſpirationem Spiritus ſancti. Sed inſpiratio propriè ſumpta importat in nobis actum mentis internum, ad quem mens immediatè mouetur à Spiritu ſancto, quod adeò verum eſt, vt in eo actu nec mens ſe moueat in omni proprietate ſermonis, quia inſpiratio eſt motus mentis, qui priorem non ſupponit, nec eſt ex præcedenti motu, ſcilicet ex præcedenti conſilio, & deliberatione, & voluntate, ſed eſt primus actus in quocunque negotio, ad quem mens immediatè à Deo mouetur. Vnde adeò actui inſpirato repugnat eſſe ex præcedenti conſilio, diſcuſſione, diſcurſu, deliberatione, tractatu habito, cum alijs, vt excludat etiam proprium præcedens conſilium, aut deliberationem. Ideò illa electio dicitur per communem inſpirationem, quia fit ad ſimilitudinem veræ inſpirationis diuinæ. Hoſtien. *in ſum. tit. de elect.* §. *qualiter facienda* Biax. *p.* 3. *c.* 16. Cuch. *l.* 4. *de elect. cap.* 36. Ideò electio per inſpirationem dicitur vel ſum omnes vocales ſine ordine quaſi inebriati ſimul eligunt. Butr. *in cap. quia propter nu.* 49. Oldrad *conſ.* 155. Marc. *dec.* 1308. *p.* 1. Tuſc. *litt. E. concl.* 74. Cuch. *l.* 4. *tit. de elect. cap.* 36. Rota *in meten. monaſ.* 5. *Iulij* 1621. coram Coccino. *ſeu*

deciſ.

deciſ. 312. p. 4. tom. 2. Recent. Sigiſm. *de elect. dub. 2. nu. 4.* Vel ſaltem cum electores ſeruato ordine inter ſe vnus poſt alium ſine interuallo omnes eligunt. Hoſtien. *cap. Quia propter. n.* 50. & apud Rotam citatam, Oldrad. Panorm. Greg. Lopez, Alphonſum Diaz, quos ſequitur Sigiſm. vbi ſupra *nu.* 5. Et huius electionis per communem inſpirationem exempla habemus in electionibus Sanctorum Nicolai, Ambroſij, & Martini, Fabiani, & Gregorij Septimi. Vnde eſt quod ad electionem per quaſi inſpirationem duo omnino requiruntur. Primum eſt, quod ille, qui primo inchoat electionem id faciat per actum tunc inſpiratum, & indeliberatum (dico indeliberatum, quod non eſt ex præcedenti deliberatione, & conſenſu, & tractatu ſpeciali etiam priuato, quamuis ſit de præſenti deliberatus, quantum ſufficit vt ſit actus humanus) ſicut in electione Sancti Ambroſij, quæ tunc fiebat populo Epiſcopum poſtulante, per inſpirationem Dei fuit, quod primò puerculus Ambroſium in Epiſcopum peteret. Et in electione S. Gregorij Septimi Dei fuit inſpiratio, quod populus ſtatim ex improuiſo eiuſdem electionem, vt à Deo ordinatam acclamaret. Sic in Rituali explicatur huiuſmodi electio per hoc quod aliquis Cardinalium nullo ſcilicet, nec collegiali, nec priuato præcedente tractatu ſpeciali de perſona dicat eligo. Quamuis enim poſſet eſſe, quod ille Cardinalis id faceret ex ſecreto conſilio ſecum præhabito, tamen in facie Eccleſiæ ille actus ſe haberet, vt inſpiratio, quia extrinſecus non eſſet ex præcedenti tractatu habito cum aliquo Cardinalium. Et nihilominus requiritur ſecundo quod reliqui vocales ſtatim ſine interuallo in eundem à primò nominatum conſentiant. Et ſi enim reſpectu poſteriorum adſit nonnulla humana excitatio, quæ habetur ex priori electione præmiſſa, tamen ex quo ſine noua deliberatione, & conſilio ſtatim poſteriores conſentiunt ſine interuallo cenſetur, quod hæc talis, & tanta concordia ſit ex Spiritu ſancto.

13. Hoc verò ſtante dicitur, quod electionem per quaſi inſpirationem nullus omninò debet præcedere tractatus etiam conſultiuus, quia deliberatio quam præcedit diſcuſſio, inquiſitio, & conſilium etiam proprium non habet modum inſpirationis. Nam & deliberatio, quæ accipitur præcedente inquiſitione, & diſcuſſione negotij, vel eſt ex vi præcedentis conſilij etiam proprij, & talis deliberatio ſanctæ inſpirationi contradiſtinguitur, quæ importat motum volnutatis primum, ad quem voluntas non ſe mouet ex præcedenti conſilio, & deliberatio e.

14. Sed forſan ſciſcitabitur aliquis, an ſaltem electionem huius formæ eligendi per quaſi inſpirationem poſſit præcedere colloquium ſeu tractatus, & conſultatio. Videtur enim ſic dicendum, quoniam vt docet Petrus de Biaxio *p. 3. Directoris cap.* 13. tractatus de perſona eligenda prohibetur, non vero tractatus de genere electionis. Quod & voluit Boerius *ad cap.* 49. *&* 52. *de elect.* Sed oppoſitum videtur aſſerendum, quia hæc forma eligendi per quaſi inſpiratione, vel ſubito, & ex improuiſo Spiritu Sancto mouente ſuſcipitur, vel non eſt electio per quaſi inſpirationem. Et licet ius commune, & conſtitutio Gregor. XV. hoc expreſſe non explicent, neque expreſſe interdicant hunc tractatum de genere formæ electionis per quaſi inſpirationem, eligendo, tamen & hoc ex natura rei tali modo eligendi repugnat, & Rituale Gregorianum ſatis apertè indicat ſic dicens: *Primus modus eſt qui quaſi per inſpirationem vocatur, quando ſcilicet omnes Cardinales, quaſi afflati Spiritu Sancto aliquē vnanimiter, & viua voce ſummum Pont.ficem proclamant.*

15. Ex iis enim colligitur hanc electionis formam non poſſe in humanam deliberationem reſolui, atque ideo non licere Cardinalibus de hac eligendi forma inter ſe diſceptare.

16. Ad primum in oppoſitum dicitur, quod nunquam dicta eſt electio per inſpirationem, quæ fuit ex præcedenti tractatu, vt excitatis DD. patet. Et præterea aliud eſt, quod tractatus poſſit præcedere electionem, & quod poſſit præcedere electionem talem, cuius propria ratio eſt, vt præcedentem tractatum excludat. Et eo minus etiam argumentum concludit, quod electionem præcedere poteſt tractatus deciſiuus, deliberatiuus, & omninò determinatus, dummodo fiat Eccleſia vacante, & ſine aliquo pacto ſimoniaco, aut alia conuentione, vel circumſtantia prohibita, & tamen reſponſio admittit, quod tractatus deciſiuus repugnat electioni per communem inſpirationem. Ad ſecundam dicitur, quod benè Gregor. XV. non vetat, & vetat tractatum, nec eſt ſibi contrarius, quia non vetat tractatum præcedentem electionem per ſcrutiniū aut per compromiſſum, quam poteſt præcedere etiam tractatus deciſiuus, ſed vetat tractatum ſpecialem præcedere electionem per communem inſpirationem, nam tali electioni repugnat eſſe ex conſilio, aut tractatu præcedente, & per hoc patet ad tertium. Ad quartum dicitur, quod imò tractatus, qui alienationem rerum Eccleſiæ præcedit, eſt tractatus conſultiuus, quia ponitur neceſſarius, vt quid diſtinctum à deliberatione, & conſenſu merito autem talis tractatus requiritur, quia alienatio rerum Eccleſiæ non niſi ex magna, & prudenti deliberatione fieri debet. Ad quintum dicitur deliberationes ad vtilitates Eccleſiæ habendas præcedere debere tractatum quando via ordinaria habentur ſcilicet via diſcurſiua, conſultiua, & deliberatiua. Sed ad ea, quæ ex ſpeciali Spiritus Sancti inſtinctu fiunt, nō debet præcedere tractatus, diſcuſſio, conſilium, deliberatio, ſed huiuſmodi à Deo donantur inſpirante ſimul ſanctum conſilium, & ſanctam deliberationem. Ad ſextum primo negant aſſumptum qui tenet, quod irritatio actus non eſt pœna, niſi vbi datur pro culpa, vt tradunt multi DD. hic verò non irritatur actio electionis, quam præceſſit tractatus in odium alicuius delicti, ſed quia tractatus præcedens repugnat tali modo eligendi. Quod verò electus anathematizetur, hoc non fit niſi ob culpam ſequentem, ſi cum alias ſit nulliter electus, velit ſe ingerere ac ſi eſſet verus Papa. Et dicitur ſecundo, quod etiam

In lege pœnali ſeruanda eſt proprietas loquendi, & natura rerum. At verò natura electionis per inſpirationem eſt, vt fit ab Electoribus motis à Spiritu Sancto immediatè, & non ex præcedenti tractatu, & conſilio.

17. Nec obſtat, quod ſæpius allegatum eſt ex *cap. in Nomine Domini 23. diſtinct.* nam primo tractatus de quo in eo eſt ſermo eſt tractatus electiuus de præſenti. Nam antiquitus electio tractatus vocabatur, & in eo cap. ſolis Cardinalibus Epiſcopis præcipitur, vt prius tractent de electione, quia tunc ipſi prius eligebant. Cæterum non eſſe neceſſarium, vt electionem præcedat tractatus collegialis de perſona in ſingulari probatum eſt à me *tract. de elect. cap. 5. q. 5.* & ſecundo dicitur, tractatum ex nullo iure præcedere debere eum modum eligendi, qui ex proprijs petit non eſſe ex tractatu præcedente.

18. Colligitur etiam nullam eſſe electionem hanc per communem inſpirationem, ſi miſceatur tractatus, & conſilium tale, vt ſine interuallo omnes, & ſinguli non eligant. Hoc dicitur contra Sopranum apud Bonacin. vbi ſupra *n. 17.* volentem electionem dici inchoatam quando electores conuenerunt in locum electionis paratis omnibus requiſitis ad eligendum. Et quod tractatus habitus ibi non vitiet electionem per communem inſpirationem. Nam nec tunc propriè dici poteſt inchoata electio, ſed ſolum tunc cum aliquis eligere incæpit per verbũ *Eligo &c.* Aliud eſt enim eſſe in loco ad eligendum deputato, vel eſſe paratum ad eligendum, & aliud eſt eligere. Secundo, quia eſſe ex tractatu electioni per inſpirationem repugnat. Nec eſt vnde allegetur Hoſtien. quia licet ipſe in *ſum. tit. de elect. §. qualiter facienda verſ.* tertia eſt, dicat, quod electionem hanc non debet præcedere cõſenſus extra capitulum datus, non per hoc dicit, quod ſi quis ad ſuaſionem alterius intra capitulum conſentiat, adhuc valide eligat per communem inſpirationem. Ideo etiam contra ſenſum Bonacinæ dicitur, quod inchoata electione inter electionem aliquorum, & electionem aliorum non debet, nec poteſt dari tractatus, qui faciat interuallum, vel ex quo alij eligant. Nam verbum illud Conſtitut. Gregor. *nullo* præcedente tractatu, non debet intelligi de ſola antecedentia temporis, ſed de antecedentia cauſalitatis nihil enim repugnaret actioni per inſpirationem antecedentia temporis, ſi electio ex illo tractatu non eſſet, ſed quod repugnat inſpirationi eſt eſſe ex præcedenti conſilio, diſcuſſione, & tractatu, nimirum ex præcedenti deliberatione, & conſenſũ, vnde eſt, quod actus boni, qui ſunt ex præcedenti ſancto concilio apud S. Auguſtinũ, & S. Th. *pr. 2. q. 41. a. 2.* dicuntur eſſe actus gratiæ cooperantis, ſed actus gratiæ inſpirantis, ſeu operantis, ſeu præuenientis ſunt illi primi actus, quos Deus ſine alio præcedenti conſilio, aut deliberatione donat. Parum igitur eſt, quod aliqui elegerint inſpirati à Spiritu Sancto, ſi alij ex interuallo, ſeu etiam ſine interuallo ex conſilio, & tractatu in ſimul habito eligunt. Nam iam hæc electio non eſt amplius in ſe inſpirata, ſed ex præcedenti inſpiratione concepta.

19. Aduertit tamen Coccinus vbi ſupra ex Oldrado *conſ. 155. num. 1. 2. 3.* non vitiari electionem ex illo modico interuallo, quod intercedit regulariter inter expreſſionem voti vnius, & alterius. Sicut nec tempus illud, quod neceſſariò intercedit ad vota infirmorum requirenda, vel vt vocentur abſentes, ſi forte aliqui non fuerint præſentes, cum alij ex Spiritus ſancti afflatu eligunt. In quo tamen aduertendum, quod ſi infirmi, vel abſentes, vel fuerunt prius admoniti de aliorum facto, quam eorum conſenſus exquiratur nomine Collegij eligentium, vel ſtatim ſtatim ac eorum conſenſus exquiritur non conſentiunt, ſed de facto conſilium ſecum ſumunt, & deliberant diſcutiendo negotium iam ex interuallo conſentiunt, & electio non eſt per quaſi inſpirationem; Et quantum ad abſentes, qui ſunt extra Conclaue, illi nec ſunt expectandi, aut eorum votum eſt exquirendum, cum ad electionem ius non habeant. Et quatenus haberent, quia moraliter impoſſibile eſt, vt electio ab alijs facta illis non innotuerit ante Conclauis ingreſſum, non eſt poſſibile quod eorum conſenſus habeantur, per modum quaſi inſpirationis, & per conſenſum ſine interuallo datum.

20. Colligitur ſecundo electionem per communem inſpirationem, quam præceſſit tractatus in ſpeciali nullam eſſe etiamſi electus hunc tractatum ignorauit. Bonacin. *ibid. num.* 18. Pontifex n. abſolutè hanc electionem irritat. Et decretum huiuſmodi irritans afficit etiam ignorantes, quoniam non eſſe ex tractatu eſt huiuſmodi electionis ſubſtantia. Nec obſtant quæ habẽt Sopranus apud Bonacinam ibi, quia pœna non datur niſi pro culpa. Nam vt dictum eſt hæc irritatio non eſt pœna perſonalis, ſed eſt ex eo quod natura tractatus repugnat inſpirationi. Licet verò excommunicatio ſit pœna hæc non infertur, niſi ob culpam quam committit nulliter electus, ſi ſe intrudat in Papatum.

21. Colligitur tertio minus benè dici à Coccino loco citato, quod ſi duo, vel tres nominent eligendum, vt ſi illi dicant in tractatu dicant Titius eſt bonus, electio adhuc cenſeatur eſſe per quaſi inſpirationem, non verò ſi interrogetur, & dicatur vis talem? Vel ſi maior pars ſigillatim nominet Titium, quia in hoc caſu non fit per inſpirationem, ſed per hominis inſtigationem. Innoc. *in c. Quia propter num. 6. in fine* Hoſtien. *num.* 50. Compoſtell. *num. 27. & 28.* Mandag. *cap.* 52. Nam & in primo caſu electio fit ex hominis proxima excitatione, non verò quia ſpiritus ſanctus proximè excitet. Vbi enim duo vel tres dicunt. Titius eſt bonus, ex hoc excitantur vocales, & hæc eſt inſtigatio hominis, non Spiritus Sancti immediata excitatio, & motio vnde tollitur forma electionis per quaſi inſpirationem. Et in Rituali ad hanc formam electionis requiritur, quod primus per verbum eligo ſuum deſiderium, & votum exprimat, & non ſolum per ſimplicem approbationem bonitatis alicuius.

22. Limitatur autem primo, vt ſolum tractatus de perſona eligenda in ſpeciali hanc electionem irritet, non verò tractatus in generali de eligendo idoneo, vel optimo, vel habente aliquam qualitatem Io. Andr. *in cap. quia propter*

num.

num 39. Compoſtell. *num.* 27. Innoc. *num.* 7. Panorm. §. *ne ſi num.* 3. Mandag. *cap.* 52. *l. F.* Specul. *de elect.* §. *de via inſpirationis num.* 4. Oldrad. *conſ.* 155. *num.* 2. Hoſtien. *loco cit.* Sylu. *V. electio* 2. *num. fin.* Biax. *par.* 3. *cap.* 16. Sigiſm. *dub.* 2. *num.* 6. Bonacin. *vbi ſupra num.* 17. Lauor. *cap.* 7. *num.* 3.

23 Limitatur ſecundo vt tractatus excluſiuus nedum in genere, ſed in indiuiduo non vitiet huiuſmodi electionem Bonac. ibid. Coccinus tamen in d. Gloſſem. 4. benè hoc limitat, vt non procedat vbi ad tractatum excluſiuum ſequitur neceſſario alicuius incluſio. Imò ad tollendum formam hanc eligendi per inſpirationē ſufficeret ſi excluſio vnius eſſet excitatio, & motio ad aliū eligendū. Ideò ſi excluſus in tractatu eligatur poſteà ab omnibus ſeruatis ſeruādis valida eſt electio, nam talis electio nō eſt ex tractatu. Vnde magis apparet, quod antecedētia cauſalitatis eſt illa, quæ hunc electioni contrariatur.

24. Limitatur tertio vt nec tractatus de vno eligendo repugnet, & vitiet electionem alterius, vnde tractatus de eligendo Titio non vitiat electionem Petri, quia Petri electio non eſt ex tractatu electionis Titij Bonacina ibidem.

25. *C*irca tertiā conditionem dubitatur An electio illa ſit valida, ſi eo tempore aliquis Cardinalium deliquium ità patiatur, vt nec verbo, nec ſcripto conſenſum ſuum exprimere poſſit? Reſpondetur talem Cardinalem tunc iudicandum eſſe ac ſi abeſſet, quia ſi non abeſt corpore abeſt mente, & is in iure abeſſe dicitur qui non poteſt ſentire, quod alij ſentiunt. Bald. *in l. quicunque C. de ſeruis.* Si autem tàm cito redeat ad mentem, ſeu ad hoc, vt per ſe, vel per alium conſenſum ſuum poſſit exprimere ſaltem ſcripto, vt moraliter cenſeri poſſit eadem electio, ipſa non eſt valida ſi ipſe diſſentiat, ſed ſi fit notabilis interruptio, & alij conſenſerunt omnes valida eſt electio, quæ per omniū cōſenſū fuit alienata conſummata eo Cardinali tūc mēte, & ſenſibus Bonacin. *d. q.* 5. *punct.* 3. *n.* 7. cenſet, quod in hoc caſu differenda ſit electio, & expectandū an deliquium ceſſet, ait tamen non eſſe diutiùs ſuſtinendam, ſed breui, *v. g.* ſpatio vnius horæ, quia cum Cardinales bis in die procedere debeant ad electionem vna electio non debet impedire aliam. Et quidem hoc remedium eſt opportunum, ſi deliquium Cardinalis accidat antequam inchoetur electio, & tunc expectato illo modico tempore, ſi actio electionis compleatur antequam Cardinalis redeat ad ſenſum non poterit poſteà ab eo Cardinali turbari, quia iam ſine eius voto valida fuit. Sed ſi inchoata iam electione deliquium accidat, non credo differendam eſſe electionem, ſed Cardinales poſſe illam proſequi, quoniam inchoata actio non eſt diuidenda, & interrumpenda, imò ſi diuideretur non poſſet amplius dici electio per quaſi inſpirationem. Et tunc ſi completa electione deliquium non præterierit, niſi tam citò citò diſcedat, vt electio moraliter nondum conſummata dici poſſit, eius conſenſus non erit expectandus. Per quantum verò ſpatij temporis expectari debeat arbitrio prudentis viri eſt iudicandum, Quod ſi Cardinalis nec voce poſſit ſuum conſenſum dare nec ſcripto proprio, tunc ſufficit, vt alterius voce, vel ſcripto conſentiat, quia de iure ea facere cenſemus, quæ nobis mandantibus fiunt *l.* 2. *c. de iuram.* Alijs tamen Cardinalibus conſtare debet de mandato, & voluntate conſentientis. Rodriq. & Sopranus apud Bonac. *vbi ſupra num.* 8.

26. Dubitatur ſecundo An in huiuſmodi electione vocalis ante completam electionem poſſit variare, & poſtquam ſemel diſſenſit poſteà conſentire, Affirmat Bonacin. citans Hoſt. *in ſumm. tit. de elect.* §. *qualiter ſit facienda* Biax. *par.* 3. *cap.* 16. & Sopranum, quia ſicut qui conſenſit poteſt diſſentire, ita qui diſſenſit poteſt conſentire. Et hoc poteſt eſſe verum, ſi ſine perſuaſione, & tractatu aliquo iterum ex ſe conſentiat antequam electio ſit completa, quia antequam electio ſit finita vocales poſſunt variare vota. Veruntamen hoc non eſt admittendum. Nam ſtatim vbi aliquis diſſentit, electio hæc videtur iam finita, & completa, & ipſo facto inualida. Item conſenſus datus poſt diſſenſum eſt ex deliberatione propriè dicta, quod vero fit per quaſi inſpirationem non eſt ex præcedenti deliberatione. Nec Eccleſia permittere videtur, vt à via ſcrutinij vel compromiſſi recedatur niſi per conſenſum ità de repente ab omnibus ſine interpellatione datum, vt dici debeat conſenſus inſpiratus Compoſtell. *in cap. quia propter n.* 28. 29. Mandag. *de elect. cap.* 52. *l. O.* Quod verò Coccinus vbi ſupra hoc limitat, vt ſit verum ſolum ſi aliquod magnum temporis interuallum intercedat, ex quo poſſit coniecturari, quod retractans votum id faciat motus ex votis aliorum, non admittitur, quia ipſa reuocatio voti de ſui natura eſt ex præcedenti deliberatione, vel ſaltem non poteſt niſi, vt talis accipi in foro externo, vnde non eſt quaſi inſpiratio. Ità patet multò minus verum eſſe, quod ob diſcuſſiones, & ſententias, quæ intrà tempus electionis intercedunt, poſtquam aliqui eligere inceperunt, ſi poſtea omnes conſentiant, non vitietur hæc electio, quia licet dici poſſit, quod huiuſmodi electio tandem facta eſt nemine diſſentiente non poteſt tandem dici propriè, quod ſit facta Deo immediate inſpirante, ſed eſt facta intercedente, & mediante diſcuſſione, & conſilio, & deliberatione. Propterea DD. ſupra citati ſentiunt, quod illa ſit electio per inſpirationem in qua omnes de repente, & ſine interuallo vnius ad alium conſentiunt.

27. Arbitratur autem Biaſ. *d. p.* 3. *c.* 16. quod ſi vno proponente quid videatur de certa perſona, ſi omnes ſtatim conſentiant in illum, quod electiò ſit per communem inſpirationem, & valida. Et benè loquitur, quia illa electio non eſt ex aliquo tractatu.

28. An verò dum multi vnum eligerunt, ſi alius illis diſſentiens dicat *eligo alium* talem, & omnes ſine interuallo eundem eligant, ſit bona electio, dicendum eſt eam eſſe validam. Nec habet hic locum obiectio, quam proponit Bonac. ſcilicet, quod non liceat reuocare votum, ex eo quod id quod ſemel placuit, amplius diſplicere non poteſt, *cap. quod ſemel de reg. iur. in* 6. Quia hic nulla eſt vocis reuocatio, facta in eadem electione.

ctione. Qnoniam etſi primi conſenſerunt in alinm, ex quo vnus illi diſſentit, illa electio euanuit. Dum verò alius cœptus eſt eligi noua electione inchoata liberum fuit illis conſentire, vel diſſentire, ac ſi nunquam in alterum conſenſiſſent; quamuis, & abſolutè antequam electio fit completa, vt v. g. in ſcrutinio ante ſcrutinij publicationem, vel antequam omnes votum ſuum dederint, poſſint electores variare.

29. Circa quartam conditionem aduertendum, quod ex ea colligitur, quod in hac forma eligendi non ſufficit conſenſus tacitus, & quod quis preſtet patientiam, & præſentiam, ſed requiritur expreſſus. Ex quo tamen omnes vno ſpiritu, & vna voce eligunt. Coccinus vbi ſupra arbitratur, quod non referat ſinè dicant eligo, vel eligimus. Compoſtell. *in cap. quia propter num. 29. de elect.* Mandag. *de elect. cap. 52. v. Nam ex quo ſumus,* Specul. *in tit. de elect. §. Deuia inſpirationis n. 3.* Imo ſi vtatur alio verbo æquipollēti, quod denotet conſenſum, illud videtur ſufficere vt puta, ſi dicant conſentio, nomino, vel aliud verbum ſimile, ratio eſt quia Conſtitutio reſpicit effectum potius quam modum, per quem effectus obtinetur. Et propterea ſemper poteſt adimpleri per æquipollens, quia effectus eſt de forma, non autem modus per quem effectus debet obtineri, Bald. *in l. legitimos §. in fine, ff. de Tutor. & Curator. in l. ſancimus* 28. *§. omnem in princ. C. de perit. Tutor.* Alex. *conſ. 129. nu. 3. v. Nec obſtat. lib. 1.* qui dicunt, quod licet in *l. final. §. omnem, C. de admin. tut.* diſponatur, quod Tutor, & Curator tempore ſuæ curationis debeat ſpecialiter, & expreſſim promittere quod omninò ſine vlla dilatione defenſionem pro pupillis, & adultis, & alijs perſonis ſupra in textu nominatis ſuſcipiet, tamen ſufficit quod Tutores, & Curatores per verba æquipollentia promittant prædicta quià iura conſiderant effectum, non autem formam verborum, & benè etiam ad propoſitum, Caſtr. *in conſ. 275. ad primum col. 1, v. Et cenſetur & col. 2. in princ. v. Et ſic conditio lib. 2.* & in ſimile de electione facta per ſcrutinium, quod non refert vtrum conſentiens in ſcrutinio dicat Nomino, vel conſentio, vel eligo, dicunt Speculat. *in cap. Vbi periculum n. 36. de elect. in 6. v. Octauum eſt,* & Hoſtien. *in cap. Licet n. 23. de elect.* & vtuntur argumento text. *in d. cap. Licet*, qui vtitur verbis electus, vel receptus Et conſtitutio non fuit contenta ſola probatione verbi *Eligo*, quo caſu ſufficiens fuiſſet quocunque modo articulatè illud verbum fuiſſet prolatum, ſed addidit alia verba, intelligibili voce prolatum, ità vt denotet verbum *Eligo* debere exprimi per talem vocem, quæ ab aliis exaudiatur. Et tandem ſi verbum *Eligo* non poſſit proferri Conſtitutio, ſubdit, aut ſcripto, ſi verbis fieri non potuerit expreſſim, & ſic cum Conſtitutio velit, quod verbum *Eligo* ſit intelligibili voce prolatum, vel ſcripto expreſſum, ſi voce fieri non poterit, vtique intelligit de ſcripra mann eligentis, ſicuti ndubiratum eſt, quod intellexit de voce ipſius eligentis. Vndè ſuccedit concluſio communis, quod de rigore cum bulla reqnirat, quod eligens ſcribat per ſe ipſum, non ſufficit, quod per alium ſcribat. Signorol. *conſ. 245. num. 10.* Si autem non poſſet ſcribere, tunc caſus remanet in diſpoſitione iuris communis, quod imponere præceptum non obligat, & ſic benè intrat alia concluſio in hoc caſu, qui per alium facit, per ſe ipſum facere videtur *cap. qui per alium de reg. iur. in 6.* & prædicta omnia modo ſupra expreſſo credo eſſe ſubſtantialia huius electionis,

Quæ ſint ſubſtantialia electioni per compromiſſum.

QVAESTIO XXVII.

1. EX Pontificibus per compromiſſum electum fuiſſe Clementem Quartum anno 1265. tradunt Ciac. & Lauor. *tract. 4. cap. 7. n. 29.* Sed apud Odericum, & Bzouium *l. 13.* ad annū 1265. id non legitur. *Poſt* Clementem tamen Greg. X. id ſuadente S. Bonauētura per compromiſſum e ectus fuit, vt dd. DD. referunt. De Ioāne etiam 22. quod cum Cardinales in eum compromiſiſſent electionem ipſe elegerit ſe ipſum referunt Lauor. *tract. 4.* Ciac. ad ann. 1316. Sed hoc eſſe falſum ex Bernard. *in Chron. Romani Pontif.* Ptolom. Lucen. *in Hiſtor. Eccleſ. ex manuſcrip. Vaticanæ Biblio.heca*, probat Odericus ad annum 1316. & certè ſi res ita contigiſſet Ludouicus Imperator hoc illi obieciſſet. De hac igitur electione per compromiſſum loquendo dico, quod ſex conditiones de eius eſſe ſubſtantia recenſentur. Prima vt compromiſſarij eligantur ab omnibus Cardinalibus. Secunda quod compromiſſarij ſint plures. Tertia quod ſint Cardinales. Quarta vt nullus in ſe compromittat, vel ſe eligat. Quinta vt compromiſſum, & electio fiat in Conclaui clauſo. Sexta vt compromiſſarij ſeruent formam ſibi à Cardinalibus præſcriptam.

2. Prima condirio habetur expreſsè à Gregor. XV. præſcripta in Conſtitutione *Aeterni Patris, §. matura*, ibi: *Præterquam ſi omnes, & ſinguli Cardinales ſimiliter in Conclaui præſentes, nemine diſſentiente aliquibus ex eorundem Collegio Cardinalium committerent eligendi poteſtatem, &c.* Circa quam conſiderandum eſt non ſufficere, quod omnes Cardinales conſentiant in formam compromiſſi, ſed neceſſe eſſe, quod conſentiant in compromiſſarios Compoſtell. *in cap. quia propter nu. 26. de elect.* & ibi Bellarm. *§. vel ſaltem nu. 7.* Specul. *de elect. tit. de via compromiſſi nu. 4.* Mandag. *de elect. par. 1. cap. 39.* Bonac. *d. q. 5. p 2. n. 2.* quia vt ex prædictis verbis habetur, neceſſe eſt, quod omnes, & ſinguli Cardinales aliquibns Cardinalibus committant eligendi poteſtatem, & ſic hæc commiſſio, vt facta aliquibus Cardinalibus debet eſſe ab omnibus approbata. Et hoc expreſſius habetur in Ceremoniali, §. *Secundus modus pag. 102.* in forma eligendi hos compromiſſarios ibi: *Vnanimiter, & concorditer eligimus compromiſſarios M. N. & Cardinales.* Et ità de forma compromittendi abſolutè iuxtà terminos *cap. Quia propter,* tenuit Rota in Treuiren. Abbatiæ, ſeu *dec. 574. p. 4. to. 3. recent.* ex Mandag. *part. 1. cap. 39.* Compoſtell. *in cap. Quia propter, num. 26.* & ibi Bellam. *num. 7,* quos ſequitur Barbola

Digitized by Google

boſa *de iure Eccleſ. cap. 19. num. 91.* Lanor. *vbi ſupra num. 23.*

3. Sed, & in puncto electionis Papæ idem ſentierunt Hoſtien. *in cap. Licet nu. 25. de elect.* & ibi Panorm. 8. Compoſtel. *nu.* 8. Specul. *in cap. Vbi periculum nu. 8. de elect. in 6.* Mandag. *de elect. cap. 39. litt. D.* Coccinus *in Gloſſem. manuſcript. ad Conſtit. Greg. XV. Aeterni Patris pag. 297.* & alij DD. communiter. Et ratio eſt, quia in re communi potior eſt conditio prohibentis *l. Sabinus, ff. vſum. de iud.* Intereſt enim ſingulorum, nequis voce ſua priuetur, & cum hoc ſit commune pluribus, non vt collegiatis, ſed vt ſingulis, quod ſit á maiori parte non valet, niſi omnes conſenſiant Gloſſ. *in cap. Cum omnes de conſtit. ver. conſtitutum.* Felin. *ibid. n. 15.* & cæteris DD.

4. Conſiderandum ſecundo, nullam formam fuiſſe præſcriptam Cardinalibus ad eligendum huiuſmodi compromiſſarios, quamobrem licet eis vti qua forma voluerint, eoſque vel per ſcrutinium, vel per viuam vocem eligere. Quia Gregor. XV. nullam eis præſcribit eligendi formam. Et propterea ſufficit, quod Cardinales vtantur forma alias de iure valida, dummodo conſenſus omnium interueniat. Duo enim ſunt, quæ canonizant electionem ſubſtantia conſenſus, & ſubſtantia formæ, á quibus recedere non poſſumus. Bald. *in cap. Quia propter num. 20. de elect.* Boer. *dec. 1. num. 70.* & propterea cum in hoc caſu nulla ſit data certa forma ſufficit conſenſus Cardinalium. etiam quod vota non ſint ſecreta. Non ſufficere etiam quod ex Cardinalibus aliqui taceant, ſed neceſſe eſſe, quod ſinguli voce expreſſa conſentiant in compromiſſum, & compromiſſarios, aduertit Bonac. *num. 4.* & probatum eſt de compromiſſo iuxta formam *c. Quia propter in tract. de elect. q. 4. & 7.* Ex ſola enim taciturnitate nullus præſumitur cedere iuri ſuo.

5. Debet etiam confici publicum inſtrumẽtum de compromiſſo, in quo expreſſè poni debet poteſtas data compromiſſarijs, & forma ſecundum quam compromiſſarij eligere debent, prout tradit Cremoniale *d. §. Secundus modus pag. 102.* & de compromiſſo ad formam, *cap. Quia propter,* tradiderunt Specul. *in titul. de elect. §. in princ.* Bertachin. *de Epiſcop. p. 1. l. 3. q. 49. nu. 93.* Barboſa *vb. ſupra.* Debet enim per authenticam ſcripturam conſtare de compromiſſo, & forma, & conditionibus, ſub quibus compromittentes compromiſerunt electionem, vt de validitate compromiſſi, & electionis ſemper conſtare poſſit.

6. Quærit autem Bartol. in *l. Inſtitutio nu. 3. de condit. inſtit.* an in compromiſſo debeant fieri duo inſtrumenta, vel vnum, vt primum, ſcilicet, contineat. Nos Cardinales eligimus eum, quem tales compromiſſarij nominabunt, & ſecundum eligimus illum, quando compromiſſarij nominabunt, & ſubdit, quod de iure duo inſtrumenta debent fieri, licet ex conſuetudine ſeruetur contrarium. Sed hoc dictum videtur verum, quia qui conſentit antecedẽti cenſetur cõſentire conſequenti neceſſario. Alex. *conſ. 158. in princ. lib. 5. & conſ. 157. col. 3. num. 14. lib. 2.* & propterea ad tollendas iſtas dubietates in Rituali *in §. Secundus modus,* eſt per compromiſſum in forma compromiſſi non ſolum ponitur prima forma inſtrumenti, ſed etiam ſecunda forma, de quibus Bartol. vt patet ibi. *Eligimus compromiſſarios N. & N: Cardinales, &c. quibus damus plenam facultatẽ, & poteſtatem prouidendi S. R. E. de Paſtore, &c.* & in fine ſubiungitur, *& promittemus nos illum pro Romano Pontifice habituros, quem DD. compromiſſarij ſecundum formam prædictam dixerint eligendum.* Vndè habet vtramque formam, licet alij verbis, & in eodem inſtrumento, quod ſufficit etiam, quod verba illa non ſint de forma, ſed effectus, Bald. *in l. legitimos in fin. ff. de tutel. & cur. & in l. ſancimus 28. §. omnem in princ. C. de peric. tutor. Alex. conſ. 129. nu. 3. verſ. Nec obſtat lib. 1.* qui dicunt, quod licet *in l. fin. §. omnem, C. de adminiſtr. tutel.* diſponatur quod Tutor, & Curator tempore ſuæ curationis debent ſpecialiter, & expreſſè promittere, quod omnino ſine vlla dilatione defenſionem pro pupillis, & adultis, & alijs perſonis ſupra in textu nominatis ſuſcipiant, tamẽ ſufficit, quod Tutores, & Curatores per verba æquipollentia prædicta promittant, quia iura conſiderant effectum, non autem formam verborum, vt benè etiam ad propoſitum Caſtr. *in conſ. 175. ad primum col. 1. verſ. Et cenſetur, & col. 2. in princ. v. Et ſic, & conditio lib. 2* & ſentit in pſicto Petrus de Biaxo *de elect. p. 3. cap. 17. n. 1. in fin.* & colligitur ex Specul. *in rubr. de elect. n. 13.*

7. Sed nunquid eſt de forma, vt fiat hoc inſtrumento ſcripto? Reſpondet Coccin. quod licet adſint negotia, & contractus, quæ ad ſui eſſentiam ex diſpoſitione iuris requirunt ſcripturam, de quibus latè Guido Pap. *dec. 582. nu. 3.* inter hæc non reperitur compromiſſum, & propterea poteſt fieri in ſcriptis, & ſine ſcriptis *lege vlt. C. de contrahend. empt. inſtit. ad eod. tit. in princip.* quæ iura licet loquantur in emptione, & venditione tamen habent locum in omnibus negotijs, & contractibus cum in arbitrio partium ſit, vtrũ velint in ſcriptis, aut ſine ſcriptis conuenire, *leg. Contractus C. de fid. inſtr. l. cum res C. de prob.* Tiraquell. *de retract. lignag. gloſ. 1. §. 2. n. 2. & ſeqq.*

8. Sed vbi Cardinales conuenerint, vt de compromiſſo fiat ſcriptura, ſufficiet ne ſcriptura priuata? Difficultatem facere poteſt, quod ſcriptura priuata non probat, nec plenam fidem facit *l. Inſtrumenta C. de probat. & l. nuda C. de donat.* Verum dicitur cum Coccino vbi ſupra, quod ſcriptura priuata ſi ſit legitimè facta ſufficit, quia ſic facta probat. Cum enim ſcriptura non ſit de forma contractus ſufficit quod ſit talis, quæ probet. Ad hoc autem, vt ſcriptura priuata probet etiam contra tertium ſufficit, quod ſit ſubſcripta à partibus, & trino teſtimonio munita, *l. Scripturas C. qui potior,* Genoua *de ſcriptura priuata p. 3. n. 205. vbi n. 206.* quod neceſſaria eſt recognitio teſtium, quod ſcilicet teſtes dicant ſuas eſſe ſubſcriptiones poſitas in ſcriptura, vel ſaltem quod ipſi fuerint, quando partes ſubſcripſerunt. Vel ſi agitur ſolum inter partes ſufficit, quod ſcriptura ſit per partes ſubſcripta, & quod habeat diem, & annum, Bald. *l. de quibus nu. 17. ff. de legib.* Iaſon. *in repet. leg. admonendi nu. 102. ff. de iur. iur.* Felin. *in cap. 2. n. 13. de fide Inſtrum.* Pariſ. *conſ. 69. nu. 24. l. 3.* Marſil. *in repet. rubr. C. de probat. num. 299. & ſeqq.* & præcipuè *num. 302.*

Aymon,

Aymon. *conſ.939. num.12. l.5.* In propoſito, autem noſtro ſufficere ſcripturam à Cardinalibus ſubſcriptam etiam ſine trino teſte dixit Coccin. quia agitur de ſolo præiudicio partium, cum Cardinales non teneantur reddere cauſam ſuæ electionis, & Papa non habet alium Superiorem præter Deum.

Vbi verò Cardinales conuenirent de habendo inſtrumento de compromiſſo non ſufficeret ſcriptura priuata, vt contra Bartol. *in l.1.Cod. de iureiur. n.2.* ex Coccin. *in d.l.1.* Imol. *in Clem.1. de procurat.* & Burſatt. *conſ.143. n. 35. l. 2.* probat Coccin. vbi ſup.

9. Quamuis verò abſolutè de ſubſtantia, & valore compromiſſi non ſit ſcriptura, tamen ſi ſit conuentum inter partes, vt fiat ſcriptura, cum clauſula irritante compromiſſum ſi aliter fiat, tunc acta ante ſcripturam nulla ſunt, quia actus in ſcriptis debet eſſe celebratus, Angel. *conſ.160. num.4.* Card. *conſ.44. in princ.* Decian. *conſ. 64. nu.19.l.3.* Curt.Iun. *conſ.303. n. 7. l. 3.* quos refert, & ſequitur Coccin. *ubi ſup.*

10. Contra ſcripturam etiam compromiſſi poteſt opponi plus fuiſſe dictum, & minus ſcriptum, ſed ad hunc effectum non ſufficit probare tractatum, ſed probanda eſt concluſio, quia multa tractantur, quæ non concluduntur, vt in terminis compromiſſi, Angel. *conſ. 248. num.3.* Rota *dec.1357. n.6.* coram Seraph. & in Turritana bonorum 17. Aprilis 1617. & 31. Martij 1623. coram Vbaldo, Coccin. *loc. cit.*

11. Secundam conditionem negat Sopranus in manuſcriptis apud Bonacin. *ubi ſup. nu.5.* Et idem tenuit Lauor. *cap.7. n.28.* ex Azor. *p.2. l.4. c.2. qu. 10.* Coccin. *vbi ſup.* Alia tamen ex parte cum in Conſtitutione Greg. XV. dicatur in plurali *aliquibus Cardinalibus, &c.* & in Cæremoniali in aliquos *ex partibus*, & ibi in forma inſtrumēti faciendi exprimantur compromiſſarij in numero plurali, nec adeſſe videatur ratio, vnde dici debeat plurale poni pro ſingulari, & rationabile videatur, quod tanta electio vni ſoli non committatur, dicendum eſſe videri poteſt, quod Cardinales electionem Papæ in vnum ſolum non poſſunt compromittere, ſed neceſſario ad minus duobus committere debeant poteſtatem eligendi, vt voluit Bonac. vbi ſup.

12. Nihilominus hoc non obſtante prima opinio præfertur, quia ante Conſtitutionem Gregor. XV. non poteſt negari quin Cardinales poſſent facere compromiſſum in vnum tantum. Quod licet in Papa non videatur expreſsè in iure antiquo diſpoſitum, tamen concurrunt regulæ generales, quod tam de iure canonico, quam de iure ciuili licitum ſit electoribus compromittere in vnum, ergo eadem ratione, qua explicatur *c. Quia propter*, vt loquatur de pluribus electoribus, ex eo quia frequenter accedit, quod compromiſſum fiat in plures, neque propterea intelligatur diſponere, quin compromiſſum non poſſit fieri in vnum, ideo eſt iudicandum de Conſtitutione S.D.N. cum ità in iure interpretentur Conſtitutiones de electione loquentes. Bald. *in conſ.184. n.1. in fin. lib.1.* Caſtr. *conſ.50. per tot. lib.1.* Lapus *alleg.101. num.10.* & prædictus intellectus magis ſuadetur, quia eſt magis fauorabilis. Interdum enim expeditius eſt, vt in vnum compromittatur, quam in plures propter actualem hominum ad diſſentiendum proclinitatem, *l. Item ſi vnus §. principaliter ff. de recept. arbit.* Gl. *in d. c. Quia propter, in v. Iuris*, Caniſius *in compend. decretal. loco proximè allegato.*

13. Aduertendū tamen, quod ſi duo Compromiſſarij electi non conſentiunt compromiſſum expirat. Quidquid enim ſit de illa controuerſia An Iudex poſſit compellere Compromiſſarios diſcordes ad eligendum tertium, In Cardinalibus nulla poteſt eſſe de hoc controuerſia, quia vacante ſede Cardinales nullum Iudicem habent, qui ſi non conſentiant eos compellere poſſit ad tertium eligendum. An verò Compromiſſarij electi poſſint alijs committere vices ſuas? Reſpondetur non poſſe, *vt in l. non diſtinguemus §. quæſitum l. in Compromiſſis ff. de arbitr. cap. cum dilectus de arbitr.* & in terminis arbitrorum electorum ad eligendum dicit Mandagott. *c. 44. Hoſtien. in c.* quia propter *n. 44. in fin. verſ.* Sed hoc non eſt verum *de elect.* Innocent. *in cap.* Innotuit *in fin. de arbitr.* Hoc tamen fallit, ſi eſt data facultas arbitris, & alijs poſſint committere vices ſuas *c. in cauſis de elect.* Mandagott. *loco proximè citato* Hoſtien. & Innoc. *locis pariter proximè citatis* quia Conſtitutio Procuratoris ad alium Procuratorem Conſtituendum, valet, & ſi Commiſſarius eſt inhabilis, tamen valet actus virtute commiſſionis, Bald. *in l. Inſtitutio 10. n. 3. ff. de condit. Inſtit.* Angel. *ibidem n. 4.* qui loquitur in terminis electionis, & dicit, quod inhabilis ad actum poteſt eligi, vt eligat aptum, & ſubdit diſtinguendo, quod aut agitur de ſimplici miniſterio facti, cuius eſt capax Comiſſarius, & tenet deputatio. Aut vero in Commiſſario debet reſidere aliquod miniſterium Iuris, cuius non eſt capax, & tunc ſecus dicendum eſt. Bartol. *n. 5.* & faciunt regulæ, quod poteſtas arbitrorum pendet ex compromiſſo, Soccin. *Sen. conſ. 27. n. 3. lib. 1.* & propterea ex doctrina prædicta poteſt inferri quod Commiſſarij ad eligendum poſſunt alijs committere vices ſuas, ſi hoc habeant in facultate ſibi conceſſa à Sacro Collegio, & quod ſi alias quis eſſet habilis ad ſimplicem nominationem, & ſic ad nominandum poteſt nominare ex facultate ſibi tradita, habilem ad eligendum, licet ipſe non ſit habilis ad talem electionem.

14. Tertia Conditio, quæ eſt, quod Compromiſſarij ſint Cardinales valdè rationabilis eſt. Tum quia ex iure electio Papæ ad ſolos Cardinales ſpectat. Tum quia nullus illis melius poteſt cognoſcere quis ſit idoneus ad tantam dignitatem. Tum quia per nullum alium expeditius, & citius poteſt tantum negotium expleri.

15. Sed, nunquid hæc conditio eſt de ſubſtantia, ità quod ſi fiat in non Cardinalem compromiſſum ſit nullum, & nulla electio? non eſſe de ſubſtantia arbitratur Coccin. loco citato aduertendo, quod de iure communi compromiſſum poteſt fieri etiā extra Collegium *c. cauſam quæ de elect.* vbi factum fuit compromiſſum in Epiſcopum per moniales, & dicit ibi Io: Andr. *in V. Epiſcopum proprium*, ſcilicet vel alienum, & hoc ibidem tenet Abb. *n. 3. in ſecundo notab.*

notab. & Hoſt. *n.* 1. & ibi Add. *in littera A.* Biax. de *elect. p.* 3. *c.* 17. *num.* 2. & licet prædicti non loquantur de elect. Papæ non refert, ſufficit enim quod generaliter extra Collegium poſſint eligi Compromiſſarij, & propterea ſi Cardinales eligerent Compromiſſarium extra Collegiũ electio teneret, licet Cardinales incurrerent pœnas Conſtitutionis: & hoc quia cum Cardinales habeant aliũde poteſtatẽ eligendi, ſic etiã compromittendi, & Conſtitutio non habeat in hac parte decretũ irritans, electio ſuſtineretur, licet Cardinales incurrerent Cenſuras, & hoc verum ſi iſti electores ingrediantur Conclaue, quia de eſſentia electionis eſt, quod fiat in Conclaui clauſo. Quamuis vero poſſet eligi Compromiſſarius extrà Collegium, hic tamen non poſſet eſſe laicus qui eſt incapax eligendi ad Prælaturas Eccleſiaſticas, cum in electione Prælatorum non verſetur nudum miniſterium cap. *contingit* de elect. arbitr. *cap. Meſſana de elect.* Biax. *de elect. par.* 3. *cap.* 18. *n.* 6. & 7. vbi idem dicendum, ſi laicus ſimul cum Clericis deputetur, Mandagott. *de elect. cap.* 41.

16. Item neque eligi poſſet excommunicatus non toleratus ſi tamen Clericus eſſet excommunicatus toleratus validè eligeretur, ſecundum Coccinum loco citato Quod tamen debet intelligi, niſi aliquis ei excommunicationis defectum opponeret, & contra eius deputationem proteſtaretur, quia tunc cenſendus eſſet non toleratus, nec geſta per eum titulo publici officij valerent, vt in ſimili dixi de electore excommunicato in *tract. de elect. cap.* 10. *à n.* 76. In Cardinalibus verò excommunicatio non obſtaret ex decreto *Clem. ne Romani de elect.* & Conſtit. Pij IV. & Gregor. 15. volentium, quod nulla Cenſura excludat Cardinales à voce actiua, & paſſiua in electione Papæ.

17. De quarta conditione fuit olim controuerſia & non defuerunt qui dicerent compromiſſarium poſſe ſe ipſum in Papam eligere niſi in forma compromiſſi hoc excluſum fuiſſet. Et certè id ſibi licuiſſe, ſi in forma compromiſſi conceſſum fuiſſet admittit Azor. *p.* 2. *l.* 4. *c.* 5. *q.* 8. Et hoc modo Io: 22. ſe ipſum elegiſſe affirmant ſupracitati, quod tamen, vt dictum eſt merito negat Odericus ad annum Domini 1316. Sed modo certum eſt nullum Cardinalem poſſe validè ſibi dare ſuffragium velut fiat Compromiſſarius, vel vt ſit Papa ſic enim Gregor. 15. decernit §. *numerum* dicens. *Vt in duabus tertijs partibus ſuffragium electi nõ numeretur, nec quiſquam ſiue ſcrutinij, & acceſſus ſiue compromiſſi via procedatur, ſe ipsũ eligere, ſeu ſuffragiũ ſibi dare vllatenus poſſit,* & inf. §. Quod ſi electio ſubdit: *Vel per viam compromiſſi ab omnibus Cardinalibus in Conclaui preſentibus nemine diſſentiente initi, Et ita vt nemo ſe ipſum elegerit*, Vnde certum eſt, quod nullus poteſt ſe in Papam eligere *cap. perueſtras de Iure patr.* Gloſ. *in l. plane in v. poteſt.* vbi Bart. *ſum.* 1. Bald. *n.* 1. *ff. quod cuiuſque vniuerſ. nomin.* Gloſ. *in cap. cum in iure v. ex ſe de elect. mil. in v. electio Silu. v. electio* 2. *q.* 16. Mirand. *in manual. par.* 2. *q.* 23. *a.* 39. Et hoc eſt omninò dicendum ſiue compromiſſarij procedunt per vota ſecreta, ſiue per publica Oldrad. *conſ.* 184. *n.* 9. An tamen ſi electus ab omnibus alijs Compromiſſarius, ſi ipſe etiam ſe eligat electio ſit nulla, reſpondendum eſt negatiuè. Eſt quidem hoc illicitum, & ſufficiens ad inualidandam electionem, ſi excluſo ſuo ſuffragio electus à ſufficienti numero vocorum non ſit nominatus, ſed vbi votum alicuius ſit ſuperfluum non vitiat, & irritat electionem. Greg. enim 15. ſolum prohibet, vt in duabus tertijs partibus non computetur ſuffragiũ electi, vel in electione Compromiſſariorum vt Cõpromiſſarius ſit ab omnibus alijs electus.

18. Quamuis vero Cardinales Compromiſſarij nõ poſſint ſinguli eligere ſeipſos poſsũt tamen vnũ ex ſe ipſis eligere, niſi expreſsè hoc fuerit illis prohibitum in forma compromiſſi, nam hoc nec prohibetur à Gregorio XV. vel ab aliquo alio Pontifice & de iure communi eſt permiſſum Innoc. *cap. cum in Iure* & ibi Hoſtien. *n.* 3. Compoſtell. *n.* 2. Mirand *in man. p.* 2. *q.* 23. *a.* 40. Sylu. *v. electio* 2. *q.* 17. Vbi tamen Compromiſſarij ſint ſolum duo non poſſunt eligere ex ſe ipſis, niſi id ſit illis expreſsè conceſſum, quia non ſeruaretur forma compromiſſi, & plures non eligerent, ſed vnus ſolus eligeret Mandagott. *de elect. cap.* 48. *litt. A.* Coccin. *loc. cit.*

19. Quinta conditio eſt manifeſta, nulla enim via poteſt eligi Pontifex extra Conclaue & electio aliter facta eſt nulla ex Conſtitutione Gregorij XV. §. *matura* & §. *quod ſi electio*, Et conſentiunt etiam DD. antiqui docentes, quod Compromiſſarij tenentur eligere in loco, vbi fuerint electi ex adductis per Panorm. in *cap. quia propter* §. *vel ſaltem num.* 3. & 4.

20. Sexta conditio eſt ex iure communi manifeſta Sylu. *verb. electio* 2. *q.* 14 Miranda *t.* 2. *q.* 23. *a.* 37. Gloſſ. in *cap. ſi quando de elect. in* 6. Azor. *p.* 2. *l.* 4. *cap* 14. *q.* 11. Bonacin. *q.* 5. *puncto* 2. *num.* 12. Eſt enim de ratione mandati, vt eius forma non excedatur *l. diligenter ff. mandat.* & *cap. cum in iure de elect* ſolum debent aduertere compromittentes, vt non imponant conditiones impoſſibiles, vel turpes, vel naturam electionis tollentes. Cæterum poterunt Cardinales præſcribere formam quam voluerint; vbi non ſit contra leges.

21. Sed nunquid Cardinales omnes poterunt ordinare, vt ille, qui in ſcrutinio nominatus fuerit à maiori parte ſit verè electus. Affirmat Azor. *par.* 2. *l.* 4. *c.* 2. *q.* 10. ex Albano *q.* 21. Et ante Conſtitutionem Gregor. XV. potuiſſe hoc fieri, eo quia Cardinales potuerint renunciare decretali licet de elect. ex Gloſſ. *in cap. ſi cui de elect. in* 6. Alban. Manfredus, Iacobat. Azor. & Gamb. tenuit Lauor. *de elect. cap.* 6. *n.* 5. & ex Mar. Tuſcus *litt. E. concl.* 58. *num.* 11. Procedit hæc difficultas, ſupponendo, quod Cardinalibus ſit licitum procedere ad electionem Papæ per compromiſſum, quod dicunt mixtum ex ſcrutinio. Quod enim hoc compromiſſum ſit licitum habetur ex *Conſtitut.* de qua in *cap. cum dilectus* 32. *de electione* quæ conſtitutio non fuit reuocata per Conſtitutionem Alexandri III. in *Concil. generali* de anno 1215. de qua in *cap. quia propter* 42. *de elect.* vt declarat Bonifacius VIII. in *cap. cum expediat* 29. *de elect. in* 6. vbi notat monach. ibidem *in princ.* Arch.

in

in princ. verſ. Innoc. Papa III. Abb. in *d. cap. cum dilectus n.3. verſ. nota tertio* & melius in *cap. quia propter 3. vel ſaltem num. 2. verſ. circa iſtam formam* Io. Andr. *in cap. cum dilectus num. 9. in v.* ſub hac forma, vbi Cardin. §. *vero* in ſecunda oppoſitione. Gemin. *in d. cap. cum expediat n. 5. verſ. in fine* Gloſſ. ad idem ex *text. in cap. ſi cui de electïon. in 6.* Caniſius in *Summ. Iur. Canonic. in tit. de elect. cap. de concurſu Compromiſſi cum ſcrutinio*; & hunc modum eligendi commendat Mandagott. *de elect. cap. 45. lit. E.* Gloſſ. *in d. cap. cum expediat v. inquiens de elect. in 6.*

22. Verum dicitur quod in electione *Papæ* verè compromiſſum mixtum locum habere non poteſt. Nam tale compromiſſum non poteſt habere locum, niſi vbi locum habet electio communis facta poſt ſcrutinium, quia hæc eſt illa, quæ compromittitur in ſcrutinio mixto. ſed vbi talis electio locum non habet ſed per nominationem factam in ſcrutinio completur electio, nihil remanet, quod alijs compromittatur, nam ſtatim ac habetur, quod quis ſit in ſcrutinio nominatus à ſufficienti numero vocalium, iam ex vi ſcrutinij eſt electus, & electio eſt completa, nec remanet neceſſaria electio alicuius Compromiſſarij. Propterea in electione *Papæ* locum habere non poteſt electio mixta ex ſcrutinio, & compromiſſo.

23. Colligitur ex hoc primo quid ſit dicẽdum illi quæſtioni, quam tractant Gloſſ. in *cap. ſi cui in v. non maior pars, de elect. in ſexto* & Io: Andr. *ibidem num. 2.* Mandagott. *de elect. cap. 45.* Lapus *num. 2.* Franc. *n. 1.* Geminian. *n. 3.* Coccinus *vbi ſupra*, Butrius *n. 7.* An ſcilicet vbi Electores compromittant v. g. vt eligant eum qui fuerit nominatus à maiori parte comparatiuè ad minorem, vel fuerit nominatus quocunque alio modo per ſcrutinium inualidum teneat electio, ſi compromiſſarij non ſeruata conditione compromiſſi eligant eum, qui fuit nominatus per legitimum ſcrutinium? Valere enim tenuerunt Gloſſ. Io. Andr. & Butrius, Gemin. & Coccinus. Sed non valere dixit Mandagott. & ex parte Lapus. Ratio iſtius negatiuæ opinionis eſt, quia in hoc caſu compromiſſarij nec validè eligunt nomine proprio, quia ad ipſos iure proprio non conuenit electio, nec validè eligunt nomine compromittentium, quia compromiſſum eſt nullum, cum non ſit datum ad legitimè eligendum. Sed e contra ratio prioris opinionis eſt, quia in compromiſſo facto, vt eligatur v. g. nominatus a maiori parte reſpectu minoris continetur implicitè facultas eligendi nominatum a maiori parte ſimpliciter & in compromiſſo dato ad eligendum aliquem minoris ætatis comprehenditur facultas eligendi eum, qui ſit ætatis maioris. Sed placet diſtinctio Lappi, & Franchi. Nam ſi compromiſſum fiat alternatiuè, vt ſcilicet liceat compromiſſarijs eligere vel nominatum in ſcrutinio valido, vel nominatum in ſcrutinio alias non valido, compromiſſum teneat, & tunc inutile non vitiet vtile. Sed ſi compromiſſum ſit factum ſimpliciter, vt eligatur nominatus per ſcrutinium, quod ſecundum ſcrutinij leges non ſubſiſtit, compromiſſum ſit ſimpliciter nullum. Licet vera hæc dicantur in compromiſſo iuxta formam electionis Prælatorum inferiorum ex rationis identitate verum erit etiam in electione Papæ, quia huiuſmodi reſolutio petitur ex natura compromiſſi validi, natura vero rei eadem eſt, vbicumque res ſit.

24. Colligitur ſecundo quod etſi Compromiſſarijs non detur certa forma eligendi, non poſſunt ipſi inter ſe conuenire, vt ſit electus qui ab aliquo alio, vel ab aliquibus alijs, vel etiam à maiori parte vocalium imò etiam à duabus partibus Cardinalium fuerit nominatus. Quia hoc eſt Compromiſſarios implicitè ſaltem committere alijs vices ſuas. Quod eſt prohibitum fieri tam explicitè, quam implicitè, quia eodem modo prohibita ſunt explicitum, & implicitum, quando ex eis ſequitur idem effectus Panor. *in cap. tuæ n. 4. de Procurat.* Alex. *conſ. 194. nu. 14. l. 2.* Et confirmatur, quia Compromittentes elegerunt induſtriam, & prudentiam Compromiſſariorum, vnde de forma eſt, quod ipſi Compromiſſarij ſint illi, qui proprio iudicio decernant quis nam ſit præ alijs eligendus. poterunt quidem Compromiſſarij per modum Conſilij experiri vota, & conſenſum eligentium, vel etiam aliorum, vt hac via poſſint ipſi decernere de negotio melius, & prudentius, ſed ipſorum eſt iudicium vltimatum non conditionatum, ſed abſolutum, & non vagum, aut indifferens, ſed determinatum ad ſingularem perſonam per quod decernant, & eligant, quẽ eligendum præ alijs iudicant. Ideo dato etiam quod Compromiſſarij ipſi conuenirent, vt ſit electus nominatus à duabus partibus Cardinaliũ in ſcrutinio legitimo, hæc electio in rigore non eſſet valida, niſi pro quanto cenſeri poſſet renunciatio compromiſſi, & remiſſio electionis iterum ad Collegium Cardinalium, & Cardinales nomine proprio eligerent, non verò nomine, & virtute compromiſſariorum, qui eorum vices nulli committere poſſunt, licet poſſint ab alijs accipere conſilium, quia tunc non tenentur per neceſſe eligere nominatum vel à Cardinalibus, vel ab alijs Fœlin. *cap. ex parte col. 11. de Conſtitut.* Franc. *in cap. cui §. fin. nu. 5.* ne ſede vacante, & *in cap. cum olim de arbitr.* Fœderic. de Senis *conſ. 59. in princ.* Vnde poſito quocunque aliorum conſilio liberum eſt illis per proprium iudicium deliberare de electione, quod eſt id, quod illis eſt compromiſſum.

25. Colligitur tertio quod per Cardinales non poteſt Compromiſſarijs determinari perſona eligenda, & præfigi vt eligant determinatam perſonam Compoſtell. *in cap. Quia propter de elect. nu. 27.* Panorm. *ib. §. vel ſaltem nu. 3.* Mandagott *de elect. cap. 45* Ratio eſt, quia non poteſt eligi arbiter, vt ſentẽtiam ſub certa forma dicat *l. qualem, & l. item ſi vnus §. Item Pomponius ff. de recep. arbitr.* Et eadem eſt ratio de Compromiſſarijs. Et prætcrea hæc eſt noua forma eligendi diſtincta ab illis tribus à Gregor. XV. permiſſis. Et nihilominus hoc compromiſſum valeret, ſi in Compromiſſarios compromitteretur ſola electio communis, quæ ſit poſt habitum ſcrutinium ab Electoribus; ſed hoc locum non habet in electione *Papæ*, in qua hæc

cle-

electio communis non eſt in vſu.

26. Vlterius verò de iſtis compromiſſarijs conſiderandum eſt, quod, & ipſi tenentur bis in die ad electionem procedere, quia verba Conſtitut. Greg. XV. in §. *ſimiliter* apta ſunt comprehendere etiam electionem per compromiſſum Coccin. *loco cit. ſecundo* quod niſi alia forma fuerit data Compromiſſarij in eorum diſcordia maior pars præualet *l. item. ſi vnus §. principaliter ff. de recep. arbit. & l. ſi intres, & l. ſi cuti. ff. eod. tit.* Mandagott. *de elect. cap.* 46. Coccin. *loc. citat.* 3. quod ſi poſt factum compromiſſum ſupreuenit alius Cardinalis, compromiſſum non eſt ad eius inſtantiam reuocandum, quia quidquid dicendum eſſet in electionibus Prælatorum inferiorum in electione Papæ habetur certa diſpoſitio, quod ſcilicet expectatis abſentibus per decem dies Cardinales aduenientes poſtea admittantur ad electionem in ſtatu, & terminis in quibus reperitur. Ideo vbi Sacrum Collegium compromiſit non neceſſitatur reuocare compromiſſum ad inſtantiam aduenientis poſt decem dies Compoſtell. *in cap. Quia propter n.* 13. *& in cap. in cauſis n.* 2. vbi Add. *litt. A.* Panorm. *in cap. Quia propter §. vel ſaltem n.* 6. Mandagott. *de elect. cap.* 50. Quarto quod Cardinales re integra reuocare poſſunt compromiſſum Compoſt. *cap. in cauſis n.* 2. *de elect.* Innoc. *ibi n.* 4. Panorm. *n.* 16. Felin. in *cap. relatum n.* 1. *de off. deleg.* Mandagott. *de elect. c.* 49. Res verò dicitur integra quouſque Compromiſſarij ſubſtantialia electionis cæperint, quouſque ſcilicet incæperint tractare de perſonis, quia vnus illum nominet, & alius alium. Ad reuocandum verò compromiſſum ſufficit maior pars Cardinalium, vt citati DD. dicunt. Nec obſtat quod ad compromittendum neceſſarius eſt conſenſus omnium, & vnius ſolus defectus irritat compromiſſum, quia ex quo compromiſſum eſt iam factum eſt quid quod eſt totius Collegij, & ideo à minori parte non poteſt maiori contradicente reuocari.

26. Quinto, quod an Compromiſſarij iurare debeant Coccinus vbi ſupra putat non improbabile eſſe, quod ad id teneatur, quia Cardinales in Compromiſſarios non poſſunt transferre maiorem auctoritatem, quam ipſi habeant. Addit tamen, quod non auderet contrariã ſententiam damnare, quia Conſtitutio Gregorij diſponit de iuramento præſtando in ſcrutinio, Ego crederem quod ad tollendam omnem ambiguitatem optimum conſilium eſſet, vt Cardinales compromittendo ponerent conditionem iuramenti huius, & tunc iuramentum eſſet de forma mandati, & præſtari omninò deberet à Compromiſſarijs. Sexto, quod niſi Compromiſſarij arctentur in mandato Cõpromiſſi poſſunt etiam eligere non Cardinalem, ſeu quemcunque qui alias non ſit impeditus eligi, & ſit dignus, vt eligatur. Mandagort. *de elect. qu.* 47. Septimò, quod quicquid eſſet dicendum in electionibus Prælatorum inferiorum, in electione Papæ, in qua locum non habet electio communis poſt ſcrutinium facta ab vno nomine omnium, quoniam electus in Papam per ſcrutinium, vel conſenſũ legitimũ electorũ ſtatim eſt Papa, cũ pleno iure, & ſua auctoritate adminiſtrat Papatum. Panorm. *in cap. Licet num.* 4. Specul. *in cap. Vbi periculum n.* 35. *fin. &* 36. *de elec. in* 6. Ideò neque eſt neceſſarium, quod ex compromiſſarijs vnus nomine omnium Papam eligat, ſed nominatus, & electus à compromiſſarijs ſtatim habet plenũ ius Pontificium, Coccin. *loc. cit. pag.* 328.

27. Octauo, quod per ſe in pronunciatione electionis facienda per compromiſſarios non requiritur ſcriptura. Hos enim compromiſſarios non eſſe arbitros, ſed arbitratores dixit Mandagott. *de elect. q.* 42. Sed Petrus de Biaxio *part.* 3. *cap.* 18. *num.* 7. eos nec Arbitros, nec Arbitratores putat, nec Procuratores, ſed pertinere ad aliam ſpeciem de per ſe, quamuis magis accedat ad qualitatem Arbitratorum, quod & voluit Panorm. *in cap. Cauſam quæ num.* 8. *de elec.* In laudo autem Arbitratoris non requiritur ſcriptura. Iaſon *in l. cum te transegiſſe, nu.* 3. *in* 2 *notab. C. de tranſact.* Nono, quod in compromiſſo dici poteſt, quod compromiſſarij ſint illi, qui eligunt, licet vice Cardinalium compromittentium, vt expreſsè habetur ex Conſtitutione *Aeterni Patris*, ibi: *Vt vice omnium Eccleſiæ Catholicæ prouideant de Paſtore*. Quod præcipuè videtur dicendum ſi Cardinales abſolutè compromittant electionem dando ſcilicet compromiſſarijs facultatem eligendi. Et nihilominus fictione iuris non cõpromiſſarij, ſed Cardinales cenſentur eligere, quia compromiſſarij non eligunt, niſi per facultatem Cardinalium, & tanquam Cardinalium vices gerentes, & delegati. Quod expreſſius habetur, ſi in compromiſſo dicatur eligimus illum, quem compromiſſarij nominabunt. Et de his videri poſſunt DD. *ad l. Inſtitutio ff. de condit. inſtit. & ad l. item eorum ff. quod cuiuſq. vniuer. nom.* Cõpoſtell. *in cap. Licet num.* 7. *de elect.* Bellarm. ibi *n.* 29. Hoſtien. *nu.* 14. Specul. *in cap. Vbi periculum n.* 8. *&* 9. *de elec. in* 6. Decimo, quod quamuis Coccinus *vbi ſup. §. Quis obijcere pagin.* 332. exiſtimet, quod etiam contra electum per compromiſſum non habeat locum exceptio, iuxtà decretum *cap. Licet de elec.* tamen hoc non probat, nec eſt conforme textui, qui loquitur de electo à duabus tertijs partibus Cardinalium. Nam electio per compromiſſum neceſſario admittit exceptiones de validitate, & de vi obſeruantiæ formæ compromiſſi. Vndè tunc in electione per compromiſſum locum habet decretum, *cap. Licet*, quando electio rata habeatur à duabus partibus Cardinalium, & non aliter.

28. Vltimo conſideranda eſt opinio Bonacinæ *vbi ſupra num.* 13. volentis, quod ſi Cardinales in forma mandati non expreſſerunt conditionem, vt compromiſſarij eligant dignum electio indigni ſit valida, quia contra electionem Papæ non datur exceptio. Nam indignus ille cenſetur, qui non habet conditiones à iure requiſitas, vt eligatur. Ex ijs verò aliquæ ſunt de iure diuino requiſitæ, & aliæ ex neceſſitate, & itaut electio, ſiuè illis ſit nulla, ſicut ex vi Conſtitutionis Iulij II. electio notorij ſimoniaci. Certum igitur eſt primo, quod ſi electo deficiat conditio neceſſaria ad valorem electionis, electio nulla eſt. Nam contra electionem Padæ non datur exceptio, ſi fiat à duabus partibus Cardinalium,

nalium. De hac enim loquitur Alexander III. in *cap. Licet de elect.* & præcipitur, vt abſque exceptione habeatur Summus Pontifex. Cœterum non ſic decernitur de electione facta à compromiſſarijs habentibus limitatam poteſtatem mandati, & cum non cenſeatur, nec cenſeri debeat, quod Cardinales compromittentes dederint compromiſſarij poteſtatem eligendi indignum, quia cum aliquod generale committitur alicui non valet niſi legitimè factum, *arg. cap. Si compromiſſi de elect. in 6.* Panorm. *cap. Cauſam* 8. *de elect. nu.* 4. Gloſ. ibid. Silu. *v. electio* 2. *qu.* 13, *num.* 16. Miranda *tom.* 2. *q.* 23. *ar.* 36. Diaz *part.* 3, *cap.* 17. *num* 4.

29. Limitat tamen hoc Coccinus vbi ſupra *nu.* 330. vt ſit verum ſi electio facta ſit de indigno contra ius ſcriptum, aut contra formam mandati, & citat ad hoc Gloſſ. & Mirand. qui locis citatis id non dicunt abſolutè, ſed ſolum aſſerunt, quod ſi compromiſſarius tanquam vir bonus ſit arbiter, valet eius laudum, niſi ſit contra formam compromiſſi, aut contra ius ſcriptum. Sed ſi compromiſſarius tanquam vir bonus arbitrari debet, non valet eius factum, niſi ſit æquum. Et hic magis attendi debet ius diuinum, quam ius poſitiuum, ideò vbi indubitatum eſſet, quod electus, vel ex iure diuino, vel ex iure poſitiuo eſſet indignus, non tenerentur electores ratam habere electionem. Et vt ſupra dicebatur compromiſſarij ad eligendum non ſunt arbitri. Ideò electio indigni facta per compromiſſarios eſt nulla, nec tenentur electores illam ratam habere. Neque veriſimile eſt, quod ſi compromiſſarij eligerent omninò illeteratum, vel publicum concubinarium, aut homicidam crudelem, & odia publica inhumaniter exercentem tenerentur Electores ſimilem electionem ratam habere. Crederem tamen, quod ſi Electores electionem, quæ non eſt de iure nullam ratam habere vellent, eſſet valida illa electio, & quod ad euitanda ſchiſmata, & mala, tunc honeſtum eſſet, vt electores ad minus malum omnibus penſatis reſpicerent. Nam electores electionem deficienter factam à compromiſſariis ratam habere poſſunt, vt habetur ex Sylu. *v. Electio* 2. *num.* 26.

30. An verò ſi maior pars compromiſſariorum elegerit indignum valeat electio digni facta à minori parte, Bonacina putat valeret electionem indigni. Sed hoc non eſt admittendum ex ratione dicta, ſed an valeat tunc electio digni, vel electio redeat ad Cardinales pendet ex forma mandati. Videri poſſunt quæ dixi *in tractat. de elect. cap.* 22. *q.* 11.

Quæ ſint ſubſtantialia electionis per ſcrutinium, & ſcrutinium, & acceſſum.

QVÆSTIO XXVIII.

1. MVlta ſunt, quæ neceſſariò ſunt obſeruanda in electione per ſcrutinium, quæ licet etiam ſint de præcepto ſub pœna excommunicationis ex vi Conſtitutionis *Aeterni Patris* Greg. XV. non tamen omnia ità ſunt de ſubſtantia, vt ob eorum defectum electio ſit nulla, & ideò alia ab alijs ſeparanda ſunt. Præmittitur tamen, quod forma eligendi per ſcrutiniū antiqua eſt, & ità vt etiam in vſu eſſet, dum Papa in Eccleſia eligeretur, vt ſupra *q.* 7. *num.* 115. & 116. ex Cencio Camerario dictum eſt. Qui verò Pontifices fuerint electi per ſcrutinium refert Lauor. *de elect. tract.* 7. *num.* 14. & qui per acceſſum ibid. *nu.* 20. & qui ſine ſecreto ſcrutinio per adorationem publicam *cap.* 9. *nu.* 1. Hic enim modus eligendi fuit in vſu præcipuè à tēpore Clem. VII. vſque ad Gregor. XV. qui illum prohibet introducta forma eligendi per ſcrutinium.

2. Optimè autem Ceremoniale à Greg. XV. confirmatum totam hanc electionem per ſcrutinium, & acceſſum diuidit in tres actiones principales quarum prima antecedit ſcrutinium. Secunda eſt ſcrutinium. Tertia ad ſcrutinium ſuccedit. Ante ſcrutinium actus quinque, ſcilicet præparatio ſchedularum ſcrutinij, & acceſſus, extractio ſcrutatorum, & deputatorum pro votis infirmorum, ſcriptio ſchedularum ſcrutinij, earum complicatio, & obſignatio. In his verò actibus aliquid eſt de ſubſtantia, & aliquid eſt de ſolemnitate, & præcepto. Iam verò præſupponitur quod locus ſcrutinij eſt Conclaue clauſum, & hoc eſt de ſubſtantia. Item de ſubſtantia eſt, quod ſuffragia dentur per ſchedulas cōplicatas, & obſignatas, itaut ſuffragia ſint ſecreta. Item tertio ex conſequenti neceſſarij ſunt aliqui ſcrutatores, qui ſchedulas recipiant, legant, & ſuffragia adnotent. Cœtera ad hanc partem ſpectantia ſunt de ſolemnitate.

3. Itaque locus de ſolemnitate neceſſarius eſt Eccleſia, vel Cappella habens altare, ante quod ponenda eſt menſa ad infra deſcribendas actiones parata, ſicut, & neceſſarij ſunt plures calices, in quibus ſchedulæ ponuntur.

ANTE SCRVTINIVM.

4. *Primus* vero actus ante Scrutinij eſt ſchedularum præparatio, quæ pertinet ad magiſtrū Cæremoniarum, & iſtæ ſchedulæ debent eſſe impreſſæ ſi fieri poteſt iuxta formam in Cæremoniali deſcriptam, aliter debent eſſe ſcriptæ eadē manu. Quod optimè excogitatum fuit, nec characterum diuerſitas ſeruiret Cardinalibus pro aliquo contraſigno, ex quo perſona ſuffragantis cognoſci poſſet. Quælibet vero ſchedula in tres debet diuidi partes, vt in vna ex partibus extremis deſcribi poſſit nomen eligentis, in alia extrema parte vnus numerus, & ſententia aliqua ſacræ ſcripturæ ad libitum cuiuslibet Cardinalis ſumendæ, & in media nomen eius, qui eligitur, vel ad quem accedit. Quomodo vero diſtinguendæ ſint hæ tres partes lineis impreſſis, & duobus circulis ad deſignanda loca ſigilli explicatur diffuſius in Cæremoniali. Huiuſmodi igitur ſchedulas præparatas magiſter Cæremoniarum ponit in menſa coram altari. Et hoc debet fieri antequam Cardinales dent initium electioni.

5. Secundus actus eſt extractio trium ſcrutatorum, & trium infirmariorum, qui dum habetur

bent aliorum Cardinalium ſcrutinium, vadunt ad recipiendas infirmorum ſchedulas. Hi ſortè extrahuntur, & alij eſt vnus, quod in vaſe, vel ſacculo ponuntur tot ſpherulæ ligneæ, quot ſunt Cardinales in Conclaui cum eorum nominibus, & per vltimum Diaconorum extrahuntur primo tres ſcrutatores, deindè tres infirmarij, & ſi extractus fuerit aliquis Cardinalis impeditus, vt muneribus præfatis ſatisfacere non poſſit, alius extrahitur non impeditus, & extractione peracta ſpherulæ iterum in vas, vel ſacculum conijciuntur.

6. Tertius actus Anteſcrutinij eſt ſcriptio ſchedularum. Non enim permittitur Cardinalibus, vt in Cellis ſuis ſcribant ſchedulas electionis, ſed quilibet eorum incipiendo a Decano accedit ad menſam, vel alteram ex menſis cum atramento, & calamis paratis in loco Cappellæ apto, & ibi vnuſquiſque ex menſa, in qua ſchedulæ paratæ fuerunt à magiſtro Cæremoniarum vnam acceptam propria manu. In eius prima extrema parte ſcribit proprium nomen, videlicet. *Ego Robertus Cardinalis Bellarminus*, & in alia extrema parte ſcribit pro ſignis aliquod dictum ſcripturæ, ſeu verbum, vel aliquid huiuſmodi, & numerum vnum videlicet gratia exempli 18. *Gloria in Excelſis Deo*, & in medio nomen electi, videlicet Eligo in ſummum Pontificem Reuerẽdiſſimum Dominum meum D. Cardinalem N. & ſcribens nomen electi, quantum poteſt debet alterare Characterem, ne manus ſcribentis cognoſcatur.

7. Quartus actus eſt ſchedularum complicatio, quæ ſic fieri debet, vt primò complicentur extrema ſchedulæ, & ità vt nomen eligentis, & ſigna cooperta maneant, & tecta ab vtraq; parte a limbis, vulgo dicta *fiegi*, in exteriori parte vtraque extrema impreſſis, vt nomen eligentis & ſigna abſcondant, & diaphanum paginarum obſcurent. Si vero duabus extremis partibus complicatis, reliquum ſchedulæ complicetur, vt ſchedula ad latitudinẽ pollicis redigatur. Quod vt celerius fiat magiſtri Cæremoniarum cũ ſchedulas parant eas complicant, & poſtea licet eas explicent, manent tamen plicaturæ iam factæ. Vndè de facili Cardinales eas complicant, hoc tamen ordine, vt primo ſolum complicent extrema. Deindè eſt media pars.

8. Quintus actus qui eſt ſchedularum obſignatio. In loco enim paruorum circulorum vbi à magiſtro Cæremoniarum cera fuerit poſita obſignantur ſigillo paruo non ſolito Cardinalis, ſed ſecretè habito, & ſimplici, vt facilè notari poſſit, & ſic ſub ſigillo manent occultata ex vna parte nomen Cardinalis, & ex alia eius ſigna. In ſigillo autem inſcribuntur, aut tres numeri, aut tres litteræ, aut vna Imago. Sic vero obſignatæ ſchedulæ poſtea totaliter complicantur. Et in hoc anteſcrutinium terminatur.

9. Circa vero huiuſmodi anteſcrutinium nõnulla conſideranda veniunt. Et quidem primo, quod non ſufficit, quod electio per ſcrutinium fiat quocunque modo ſecretè, ſed neceſſè eſt, vt fiat per ſchedulas ſecretas. quod patet ex illis verbis Conſtitut. Greg. XV. *Aeterni Patris*, §. *Quod ſi electio per ſecreta ſchedularum ſuffragia*. Nam genitiuus ſchedularum ſtat reſtrictiuè, itaut votum ſecretum aliter non poſſit dari, quam per ſchedulas, *cap. cum Cappella extra. De priuil.* vbi Butr. *num.* 2. Alex. *in rubr. ff. de nou. oper. nunc. num.* 3. vbi dicit hoc eſſe magni effectus, licet cuncti non intelligant. Curt. Iun. *conſ.* 132. *nu.* 1. Couarruu. *practic. cap.* 10. *verſ.* 3. *in iure, circa fin. v. Qua ratione.* Surd. *conſ.* 135. *nu.* 6. *vol.* 1. & ex natura huius voti non poteſt dari niſi per ſchedulas, non autem per fabas, aut lupinos, cum omnes habeant electionem paſſiuam, vt liberum ſit habentibus electionem actiuam eligere, quem ipſi digniorem iudicauerint, vt pulchre ad propoſitum ponderat Siluеſ. *In ſumma in v. electio* 2. *q.* 2. *nu.* 6. Miranda *in manual. p.* 2. *qu.* 23. *art.* 17. *concluſ.* 3.

10. Secundo conſiderandum eſt, quod contra non eligentes ſecretè, ſeu per ſecreta ſchedularum ſuffragia lata eſt nullitas electionis, & pœna excommunicationis. Nullitas quidem in §. *Quod ſi electio.* Excommunicatio vero in §. *Si quis autem, & in* §. *Poſtremò ſtatuimus*. Verum non in omni caſu, in quo habet locum excommunicatio habet locum nullitas electionis, nec ſecretum, quod ſufficit ad vitandam nullitatem, ſufficit ad vitandam excommunicationẽ. Ideo omnino videndum eſt qualis publicatio voti ſufficiat ad hoc, vt Cardinales ſint excommunicati, & qualis irritet electionem.

11. Diſtinguitur igitur quadruplex ſecretũ. Primum dicitur ſecretum cordis, quod eſt ſecretum per ſe abſolute, & ſimpliciter, & in corde reſidens, nec voce, ſcripto, opere, metu, aut quocunque alio ſigno exteriori, & ſenſibili extra mentem procedit. Caiet. apud S. Thom. 2. 2. *q.* 11. *art.* 3. & ibid. Petrus de Aragonia, & Dominicus Bannes *art.* 4. Alphonſ. Caſtr. *lib.* 2. *cap.* 18. *de iuſt. hæreticor. punit.* Syluеſ. *in ſumma, v. excommunicatio* 7. *in princ. nu.* 3. *verſ. Secunda eſt*. Simant. *de Catholic. inſtit tit.* 42. & late Turrecrem. *in cap. Si peccauerit* 2. *qu.* 1. Et de hoc ſecreto non eſt opus quod agatur in præſenti, niſi pro intelligentia materiæ.

12. Secundo modo dicitur ſecretum per accidens, quod nimirum licet per aliquod ſignum ſenſibile extra mentem erumpat, tamen quia nullus eſt, qui videat, vel audiat, vel ſenſibile ſignum percipiat ſenſu aliquo, illud manet per accidens omnino occultum, & improbabile. Et hoc modo ſecreta eſt hæreſis illius, qui vel in Conclaui, vel in deſerto hæreſim voce profitetur nullo penitus ſentiente. Hoc enim eſt ſecretum per accidens ex defectu teſtium Caiet. & alij ſupracitati.

13. Tertio modo dicitur ſecretum, quod plene probari non poteſt, licet alicui, vel aliquibus innoteſcat. Et tale eſt, quod ab vno ſolo teſte ſcitur, vel ſi à pluribus, id ſcitur ab illis ſingulariter, ita vt quod ſcit vnus, neſciat alius, cum nullus ſciat publice factum, & ideo id plene probari non poteſt, Felin. *in cap.* 1. *nu.* 21. *ver. Quando autem de fid. inſtrum.* Card. *in Clem. nolentes* 2. §. *Notare num.* 1. *not.* 2. *de hæretic.* & colligitur ex S. Thom. 2. 2. *q.* 67. *art.* 2. in corpore Archid. *in cap. Si electio nu.* 3. *de elect. in* 6. Bald. *in conſ.* 447. *nu.* 4. *vol.* 1. Et ſecretum in hac ſignifica-

ſicatione dici poteſt, quod non eſt manifeſtum, aut publicum, *cap. Veſtra de cohabitatione Cleric. & mulier.* vbi communiter Canoniſtæ, & Turrecrem. *in cap Si peccauerit 2.q.1.* Simant. *de cathol. inſtit. tit.42.de occult.nu.1.* cum alijs ſupracitatis, & colligitur ex textu *in cap. In decima 24.* ibi: *Neque cum ea ſola 18.q.2. cap.Clericus 20.diſt.81.* ibi: *Nec ſolus Presbyter cum ſola fæmina*, & ibi: *Mandet aliquid ſecretè, & in cap. Vbi periculum, §. Nulli de elect.in 6.* ibi: *Nulli ad eoſdem Cardinales aditus pateat,vel facultas ſecretè loquendi cum eis* Archid. ibid. *nu.4. §. ſecretè*, ideſt ſingulariter. Bald. *in conſ.447.* ad euidentiam præmittendum eſt *nu.4.vol.5.*

Quarto dicitur ſecretum, quod fit quibuſdam amicis interuenientibus, *l. ſcripturas 11. C. qui potior. in pignor.* habeant, ibi: *A quibuſdam ſecretè fieri interuenientibus amicis*: non enim dicimus manifeſtum eo ipſo, quod ſcitur à pluribus, nam ſecretum dicitur etiam illud, quod à pluribus ſcitur *cap.1. 15. q.1.* ibi: *Secreto iuramento ſe purificet*, & hoc modo dicitur ſecretum, quod vulgus, vel Collegium, aut vniuerſitas ignorant, quia non eſt publicum, vel palam notum, *l.1. §. Summa cum vtilitate, verſ. Secreta, ff. de his, qui deiecer, vel effoder. l. Si quis in graui, §. Aperire, in ver.Secretò, ff. ad Syllan.* Bald. *in citat conſ.447.nu.4. vol.5.*

14. His præmiſſis dicitur primò, quod ad vitandam excommunicationem neceſſarium eſt, quod ſuffragium ſit ſecretum, ſecundo modo, quia ſcilicet, ſolo eligenti notum. Sed hoc ſeruatur ſi ſuffragium detur per ſchedulas iuxtà Rituale complicatas, & obſignatas, & nullo contraſigno notatas. Nam qualitas complicatio, & obſignatio ſchedularum præcipiuntur in *§. ſuffragiorum*, & in *§. Poſteà verò*, & in *§. Cardinales* ſtrictiſſimè mandatur, vt Cardinales abſtineant à ſignis, & contraſignis ſuffragiorum. Quamuis verò non omnia quæ de ſchedulis præcipiuntur in dd. §. & in Rituali contineant obligationem ſub culpa, & præcipuè ſub culpa graui, nam *v. g.* nulla eſt culpa, ſi ſchedulæ non potuerunt imprimi. Vel leuis culpa erit, ſi ſine dolo, & fraude, aliquod aliud leue omittatur. Tamen omninò ſeruari debent ſub pœna excōmunicationis, quæ in dd. §§. præcipiuntur, vt electio ſecretè fiat, niſi vel materiæ aliqua leuitas, vel bona fides, aut excuſabilis in aduertentia excuſet. Seruatis verò ijs, quæ in dd. §.§. præcipiuntur,& omni ſigno, &.contraſigno, remoto electio fit per ſecreta ſchedularum ſuffragia.

15. Sed nunquid violatur ſecretum, ſi aliquis Cardinalis alicui dicat, cui in ſcrutinio ſuffragatur, vel cui ſuffragatus fuit? Coccinus vbi ſupra, vbi tractat de *ſecreto electionis pag. mihi 354.* à tergo putat non eſſe prohibitum ſub Cēſura tali modo manifeſtare ſuffragia. Et quidem meritò hoc aſſeritur. Nam cum, vt ſupra probatum fuit, Pontifex in *§. Cardinales* permittat haberi tractatum de perſona eligenda etiam deliberatum, procul dubio non eſt prohibitum manifeſtare, cui Cardinales votum daturi ſunt. Et pariter cum in caſibus à iure permiſſis licitum ſit excipere contra electionem,& aliquando etiā recedere ab obedientia electi,certè etiam eſt licitum manifeſtare cui ex nominatis in ſcrutinio aliquis ſuffragatus fuerit, & ſe non elegiſſe eum contrà cuius electionem excipitur.

16. Nihilominus tamen puto, quod non liceat oſtendere ſchedulam. Cum enim Greg. XV. *in §. Poſteà verò* præcipiat,vt ſchedulæ complicentur, & obſignentur, ad hoc vt nec à ſcrutatoribus, videri poſſint, niſi peracto ſcrutinio, ex hoc apertè colligitur, quod mens eius eſt, vt huiuſmodi ſchedulæ a nullo ante ſcrutinium videantur, niſi à Cardinali eligente. Quod inde magis clarè colligitur ex Rituali §. *Tertius actus ante ſcrutinij*, vbi mandatur, vt ſinguli Cardinales in loco electionis vidētibus omnibus ſchedulas conſcribant, ſed ità tamen vt ſcriptura legi non poſſit. In tantum enim Pontifex vult, vt ſchedulæ vnius ab alijs non legantur, vt propterea nolit eas conſcribi à Cardinalibus in proprijs Cellis, āut extrà locum electionis, aut ita quod legi poſſint. In re graui ergo conſtitutionem Gregor. XV. tranſgreditur, qui ſchedulam propriam alteri legendam demonſtrat. Et nihilominus ſi Cardinalis fingeret, & falſam ſchedulam pro vera oſtenderet, poſſet quidem eſſe quod peccaret ratione ſcandali, ſed tamen non eſſet excommunicatus, quia ſchedulam veri ſuffragij ſecretam conſeruaret.

17. Dicitur ſecundo quod ad hoc vt electio non ſit irrita ſufficit, quod ſuffragium ſit ſecretum, 3. vel 4. modo; quia ſcilicet non ſit publicum Collegio Cardinalium. Ità Coccinus vbi ſupra pag. 554. & DD. infrà citandi. Et probatur validè, quia ſuffragia non redduntur nulla ex eo quod ſint characterizata, & contineant ſigna, vel contraſigna, ex quibus perſona eligentis cognoſcitur, Bonac. *diſp. 1. quæſt. 5. par. 1. num. 7.* Coccinus ibidem. Nam vbi Gregor. XV. voluit Cardinales nedum incurrere Cenſuram excommunicationis, ſed electionem eſſe nullam, id clarè expreſſit. Et exprimendum erat, quia alias ex ſimplici prohibitione alicuius actionis, aut qualitatis eius, non ſequitur, quod actio ſit ipſo iure nulla, niſi exprimatur, vt de iure Canonico conſtat. At vero vbi in *§. Cardinales* prohibentur Cardinales adhibere ſigna, ſeu contraſigna in ſchedulis ſub pœna excommunicationis, non exprimitur, quod ex hoc ſuffragium, vel electio ſit nulla; ſigna igitur. & contraſigna ſchedularum non irritant electionē *Papæ*, igitur licet talia ſigna manifeſtent eligentem alicui, vel aliquibus ſcrutatoribus, & ſic ſuffragium non maneat ſecretum ſecundo modo nimirum ſoli eligenti notum, non tamen electio eſt nulla, quia adhuc ſuffragium eſt Collegio occultum, & reſpectu illius ſecretum *l.vlt. ff. de diuort. & repud.* vbi ex pœna adiecta colligit iure Conſ. actum non eſſe irritum. Card. *in Clem. 1. num. 9. de reſcript.* Felin. *in cap. 2. num. 1. de teſtibus* Sylues. *V. Lex quæſt. 28.* Suarez *l. 5. de legibus cap. 25. art. num. 4.*

18. Confirmatur. Nam ex oppoſito ſequeretur, quod eſſet in poteſtate cuiuſcumque irritare electionem contraſignis, vel verbis, aut ſcriptis votum ſuum ſecretè manifeſtando huic vel illi; vel alteri, quod aſſerere eſſet valdè ab-

ſur-

ſurdum, & ideo omnis alia interpretatio eſt ſumenda. Nam defectus clandeſtinus vnius, vel plurimi de Collegio non debet nocere ipſi Sacro Collegio id ignoranti, neque actui ab eo alias legitimè facto *cap. fin. de Procur.* & de ſimilibus electionibus quæ debent fieri per ſecreta ſuffragia tradunt Nauarr. *conſ. 9. de elect. in nou. alias 4. eod. tit. in antiq.* Rodriq. *in Sum. t. p. c. 102. num. 4. & de Regul. par. 2. quæſt. 52. art. 9.* Miraud. *par. 2. quæſt. 23. concluſ. vnica* Garz. *p. 5. de beneſ. num. 194.* Caſtell. *de elect. cap. 5. n. 25. & 26.* Peyr. *tom. 3. cap. 9. num. 23.* Barboſa *l. 1. de iure Eccleſ. cap. 19 num. 205.* & alij communiter. Vnde eſt quod neque eſt irrita electio ſi ſuffragia non ſint ſecreta tertio modo quia ſcilicet ipſa poſſint medio proceſſu probari publicè, quia ex contraſignis poſitis in ſchedulis apertis illis ex ea parte, in qua continent nomen, & alijs adminiculis poſſet probari manifeſtatio ſuffragij, ſed hoc non ſufficit, vt irritetur electio, ſed ad eam irritandam neceſſe eſt vt votum ſit Collegio publicum & manifeſtum, & non ſufficit, quod apud aliquos amicos ſit publicum. Quamobrem numquam ex defectu ſecreti electio Papæ erit irrita ſi fiat per ſchedulas complicatas.

19. Sed contra prædicta poteſt inſtari, & probari, quod non ſufficiat ad valorem electionis, & vota non ſint publica quarto modo, ſed imò neceſſe ſit, quod ſint ſecreta ſecundo modo, quia debeant eſſe ſecreta etiam ipſis ſcrutatoribus, & ſic ſolis eligentibus nota. Nam hoc apparet primò ex eo, quod Conſtitutio nedum vult vt non ponantur in ſchedulis contraſigna, ſed quod nomina eligentium ſigillo munita ſint, & nomen electi non ſit ſcriptum manu aliena, & quod ſit ſcriptum Charactere alterato. Hæc enim omnia mandata ſunt, ne perſonæ eligentium ſcrutatoribus innoteſcant ſecundo nam id eſt ſubſtantiale huic electioni, quod eſt eſſentiale electioni per ſchedulas; At vero electioni per ſchedulas eſt eſſentiale, vt fiat per ſuffragia etiam ſcrutatoribus ſecreta. Nam electio per ſchedulas in hoc eſſentialiter diſtinguitur ab electione ſecreta habita per ſcrutinium auriculare, quod in ea eligentes non ſunt manifeſti ſcrutatoribus, ſicut fit in ſcrutinio auriculari. Reſpondetur tamen, quod huius quæſtionis reſolutio omninò neceſſaria eſt, vt videri poſſit, quando electio Papæ ſit nulla ex defectu ſecreti. Eſt autem, vt puto, certum electionem per ſecreta ſchedularum ſuffragia eſſentialiter importare maius ſecretum, quam importet electio per ſcrutinium auriculare. Nã, & vt electio ſit magis ſecreta inuẽta eſt electio per ſchedulas, cũ alias de iure antiquo ad electionem ſecretam ſecundum formam *cap. Quia propter*, ſufficeret ſecretum ſcrutinij auricularis, & tale ſecretum ſufficiat etiam ad hoc, vt in Regularibus electio ſit ſecreta in terminis Conc. Trid. *ſeſſ. 25. c. 6. & 7. de Regular. vt ex d. cap. 7.* conſtat, & patet per declarationes Sac. Congregationis, & DD. quos retuli in tractatu de elect. *c. 17. q. 2. n. 5.*

20. Nihilominus conſiderandum, quod duplex eſt manifeſtatio alicuius rei, alia ſcilicet, quæ habetur per euidentiam ſenſus, & notorium parit, alia vero, quæ habetur per rationis diſcurſum. Electioni, quæ habetur per ſecreta ſchedularum ſuffragia eſſentiale eſt, vt perſonæ eligentes non innoteſcant ſcrutatoribus per euidentiam ſenſus, & per hoc à ſecreto ſcrutinij auricularis diſtinguitur. Sed non eſt neceſſaria non manifeſtatio, quæ ſit per rationis diſcurſum. Quod probatur, tum primò, quia ad electionem ſecretam per ſchedulas non eſt neceſſarium abſolute quod ſchedulæ ſint ſcriptæ eligentis manu alterata, quoniam apud plura Collegia hoc non eſt in vſu, vt eligentes ſcribant ſchedulas manu propria alterata, ſed ſcribant illas Charactere ordinario, vt fit in ordine Prædicatorum in electionibus tam Prioris, quam Prouincialium, & Generalis, & tamen ex notitia characteris proprij per bonam conſequentiam innoteſcit perſona ſcribentis. Tum ſecundo, quia impoſſibile moraliter eſt, vt vniuerſaliter etiamſi eligentes ſcribant ſchedulas manu alterata per conſequentiam nõ innoteſcat ſcribentis perſona. Tum quia nec omnes ſciunt alterare characterem, tum quia nec omnes id poſſunt facere. Qui enim habent manus tremulas, aut laborant Chiragra non ſcribunt, ſicuti volunt, ſed ſicuti poſſunt. Tum quia vix illi, qui valde callent artem ſcribendi poſſunt ſic alterare manum, vt non appareant in aliquibus characteribus connaturales quidam tractatus manus, ex quibus ſcrutatores habentes alias notitiam proprij characteris eligentis, maximè adiunctis alijs adminiculis, & notitijs aliunde habitis, & comparatis ſchedulis ad inuicem per bonam conſequentiam non ſciant deducere eligentium perſonas.

21. Loquendo igitur abſolute electio per ſchedulas diſtinguitur ab auriculari, quia illi repugnat manifeſtatio eligentium per euidentiam ſenſus, quæ conuenit illi ſecundo quia in illa datur facultas eligenti, vt ſi velit poſſit ſe occultare quantum fieri poteſt, vt nec per certam conſequentiam innoteſcat ſcrutatoribus, vel ita alterando characterem ſuum, vt non ſit tanquam ſuum cognoſcibile, vel manu aliena ſcribendo ſchedulam, quod nequit fieri in ſcrutinio auriculari. Cæterum ſecreto electionis per ſchedulas non repugnat, quod eligentes per diſcurſum rationis innoteſcant. Imò hoc magis confirmatur, quia cum, vt dicebatur, & electionem poſſit precedere tractatus de perſona eligẽda determinatus, & eam poſſit ſubſequi exceptio contra electionem, electum, ex quibus per rationis diſcurſum deducuntur etiam certiſſimè, qui fuerint eligẽtes iam manifeſtè conſtat, quod manifeſtatio habita per rationis diſcurſum non repugnat ſecreto electionis, ſed bene illi repugnat manifeſtatio per euidentiam ſenſus. Et ſic electio eſt publica, quæ vel ſine ſcrutatoribus fit coram toto Collegio, vel coram ſcrutatoribus voce alta, & etiam ſaltem ab illis intelligibilis.

22. Dicitur propterea, quod ſecretum, quod eſt ſubſtantiale electioni Papæ eſt illud quod ſecum fert eſſentialiter electio per ſchedulas, & hoc eſt illud, quod excludit manifeſtationem perſonæ eligentis factam per euidentiam ſenſus, vel toti Collegio, vel ſcrutatoribus. Quod ſecretum

ſem-

ſemper habetur ', vbi electio fiat per ſchedulas, & non fiat per vocem, aut præſentiam eligentiũ ſenſibiliter vel voce, vel nutibus loquentium. Secretum vero maius præceptum à Gregor. XV. eſt de ſolemnitate, & ſub præcepto, non vero eſt de ſubſtantia, vt ex rationibus allatis ſatis conſtat. Et quia aliter incertum valde eſſet, & non niſi ex ſententia Iudicis decernendum, quando electio ex defectu ſecreti eſſet nulla, & qualis notitia deducta per conſequentias irritaret electionem, & parata eſſet via ampliſſima ſchiſmatibus, & ideò ab iſta Conſtitutionis interpretatione omninò eſt abſtinendum. Quæ in caſibus vbi voluit electionem eſſe irritam id expreſſit, & vbi dixit eſſe irritam electionem, quæ non fit per ſecreta ſchedularum ſuffragia ſatis ſignificauit eam nullo modo eſſe irritam, quæ fiat per ſchedulas, & non vel per adorationem, vt conſuebat fieri, vel per publicam vocem coram Collegio, vel per ſcrutinium auriculare coram ſcrutatoribus.

23. Colligitur primo electionem eſſe per vota ſecreta ſi ſit habita per ſchedulas ſecretò conſcriptas, & complicatas iuxtà formam ritualis etiam ſi Cardinales ante vel poſt dicant cui ſuffragium daturi ſunt, vel dederunt; Vbi enim ſuffragium per tales ſchedulas detur electio habetur per ſecreta ſchedularum ſuffragia Bonac. *d. q. 5. p. 1. n. 7.*

24. Colligitur ſecundo quod ſi aliquis Cardinalis alicui, vel aliquibus ſuam ſchedulã legendam tradiderit, licet tunc violaret ſecretum probabiliter putet Bonac. ibid. *nu.* 8. tamen cum Nauar. *conſ. 9. de elect.* Rodriq. *tom. 2. q. 51. a. 9.* Soprano apud eundem Bonacin. dicendum eſt oppoſitum vt etiam probaui *d. cap. 17.* neque enim ſuffragium demonſtratum pluribus eſt publicum, ſi datur in ſchedula complicata, quia non per hoc conſtat de eo quod in ſchedula ſit ſcriptum, bene enim poteſt eſſe quod Cardinales plures ſchedulas habeant ſcriptas, & vnam oſtendant, & aliam in Calicem ponant. Quod ſi Cardinalis publicè ſchedulã legendã traderet, & publice cõſtare faceret non aliam, quam illam ſe ponere in Calicem in eo caſu dici poſſe videretur ſuffragium non eſſe ſecretum, ſed hæ ſunt imaginationes moraliter impoſſibiles.

25. Quid etiam dicendum ſi aliqui votum publice dederunt? Eſt ne tunc violatum ſecretũ electionis? multi diſtinguunt an votum publicum detur conſentiente Capitulo vel non conſentiente, vt Nauarr. *conſ. 9. de elect.* Rodriq. *tom. 2. q. 51. a. 9.* Mirand. *t. 2. q. 23. a. 19.* Et alij quos *d. cap. 17.* retuli, qui aſſerunt, quod ſi vel vnus ſolus toto Capitulo conſentiente publicè eligat, electio non eſt ſecreta, & eſt nulla. Ita iſti loquẽtes de regularium ſecreta electione in terminis Concilij Trid. ſed vbi de electione Papæ agitur aliter diſtinguendum eſt, & dicendum, quod vbi conſtet, quod electus ſit nominatus à duabus partibus Cardinalium, qui ſecretè elegerunt, & iuxtà formam, quoniam, vel qui publicè elegerunt nominarunt alium, vel illis exemptis adhuc remanent duę partes Cardinalium in Conclaui exiſtentium, à quibus ſecretè ſuffragantibus aliquis eſt electus, electio eſt valida, & vota publica nulla quidem ſunt, & inualida, ſed vt inutilia cenſenda ſunt, & reiicienda, vt non vitient vtiliter data. Nam ſemper electio eſt per ſecreta ſchedularum ſuffragia, ſi duæ partes Cardinalium ſecretè eligentium in vnum conſenſerunt, & contrà electum à duabus partibus Cardinalium non datur exceptio. Bonacin. vbi ſupra *nu. 9. & 10.* Sed ſi electio ità fieret, vt nullus eſſet nominatus à duabus partibus Cardinalium ſecretè eligentiũ, tunc electio nulla eſſet.

26. His verò ſic in communi de electionis ſecreto præmiſſis nonnulla conſiderari debent circa actus ſingulos Ante ſcrutinij. Primus enim actus ponitur ſchedularum præparatio. Et requiritur, quod ſi fieri poteſt ſchedulæ ſint impreſſæ, vel ſi hoc fieri non poſſit, quod ſint omnes eadem manu conſcriptæ. Sed numquid non licet Collegio vti ſchedulis ſcriptis etiam ſi poſſit habere ſchedulas impreſſas? Reſpondetur, quod hoc non eſt de ſubſtantia electionis, vnde non per hoc electio eſſet nulla. Quoniam per Conſtitutionem Gregor. XV. irrita quidẽ decernitur electio ſi non ſit per ſecreta ſchedularum ſuffragia, ſed non violaretur ſecretum ex hoc, quod ſchedulæ eſſent ſcriptæ, & non impreſſæ, ſi eſſent omnes ſcriptæ eadem manu. Quia ex ſcriptura eadem non poſſet colligi, neque ſuſpicari, quod hic vel ille Cardinalis hunc, vel illum eligeret in Papam; vnde contra ſecretum electionis non eſt, quod ſchedulæ non ſint impreſſæ, ſi ſint eadem manuſcriptæ. Et hoc confirmatur, quia permittitur vſus ſchedularum ſcriptarum, cum non poſſint haberi impreſſæ igitur contra ſubſtantiam ſecretæ electionis non eſt, quod ſchedulæ ſint ſcriptæ.

27. Nec obſtat dictio *omninò* quæ habetur ibi, ſi fieri potuerit omninò debent eſſe impreſſæ, & quæ habere dicitur vim decreti irritantis, quia neque hoc probatur, neque eſt verum. Et quamuis non deſint DD. qui hoc affirment, vt videre eſt apud Barboſam *diſt.* 240. *nu.* 15. tamen non eſt Doctorum præbere vim irritandi dictionibus, quam non habent, neque ex iure, neque ex vi ſignificationis illorum. Et ex quo lex velit omninò quod aliquid fiat, bene ſequitur, quod factum in oppoſitum ſit contra legẽ, & ſit irritandum, ſi alias ſit factum irritabile, & expediat illum irritari, ſed non ſequitur, quod illud ſit irritum ipſo facto, vt habet Suarez *l. 5. de legib. cap.* 25. & ex profeſſo probaui *in tract. de elect. cap. 9. qu.* 1. Et alias quod dictio omninò ſuſcipiat interpretationem à iure communi dixerunt Corſett. *ſing.* 149. Iaſ. *in l. precibus C. de impub.* Bald. *in l. fin. ff. de contrahend. empt.* Dec. *in l. ſi quis in conſcribend. C. de pactis nu.* 12. Sed imò addendum eſt, quod neque eſſet irrita electio, ſi Collegium vteretur ſchedulis non eadem manu ſcriptis. Quia in hoc caſu etiam ſi ex variatione ſcripturæ poſſet haberi aliquod contraſignum, ex quo colligi poſſent nomina eligentium, tamen vt dictum eſt contraſigno non irritant electionem, & non per hoc electio non eſſet ſecreta collegio, ex quo vnus, vel alter ſcrutatorum per diſcurſum cognoſce-

sct

ret eligentium nomina, & vota. nam, & nec per hoc Perſonæ eligentes innoteſcerent ſcrutatoribus per euidentiam ſenſus, nec electio eſſet illis notoriè publica, ſed ſolum per conſequentiam aliquam id colligi poſſet. Benè verum eſt, quod Cardinales eſſent excommunicati, ſi cum poſſent habere ſchedulas impreſſas vterentur ſchedulis nedum diuerſa, ſed, eadem manu conſcriptis. Quia non eſt dubium quod ſchedularum impreſſio non iuuet valdè ad maius ſecretum electionis habendum, nam & hoc tanquam quid notabile, & magnum à Pontifice iudicatum eſt, cum fuit præceptum, vt omninò fiat, Dictio enim omninò exprimit mentem legis eſſe, vt nullo modo omittatur, quod præcipitur, ſed ſine diminutione fiat Creſcent. *dec. 6. de teſtam. nu. 6.* Barboſ. vbi ſupra *nu. 8.*

28. Circa ſecundum actum conſiderandum quod licet Conſtit. Gregor. XV. §. *Ad hæc*, & Rituale velint, vt ſcrutatores extrahantur per vltimum Diaconum Cardinalem, tamen hoc non videtur eſſe de ſubſtantia, ſed ſtare demonſtratiuè, ex eo, quia minor debet ſeruire maiori, ideo quod neque haberet locum excommunicatio ſi alius Cardinalis extraheret huiuſmodi ſcrutatores, dixit Coccinus ad §. *ad hæc pag. 457. à tergo*, Vbi *pag. 458.* ſubdit, quod ſi forte extrahatur pro ſcrutatore aliquis infirmus, quod loco eius debet extrahi alius. Et quod ſi iſtorum infirmorum nomina non ponerentur in vaſe ſimul cum alijs durante infirmitate, & pro tempore, quo ſunt inhabiles ad munus ſcrutatoris non fieret contra Conſtitut. Gregor. Sed verè melius eſt, vt in vaſe reponantur, & vbi fortè extracti fuerint, alius loco ipſorum extrahatur.

29. Sed quid dicendum ſi aliquis ex Cardinalibus nollet fungi officio ſcrutatoris? Idem Coccinus arbitratur talem non eſſe excommunicatum etiam ſi ex non iuſta cauſa renuat, quia hoc non inuenitur diſpoſitum in Conſtitutione, ſed tamen ait illum ab exequutoribus compelli poſſe ad munus exequendum, & inſuper admittit legem hanc obligare ſub mortali peccato. Sed hoc eſt expreſsè contra textum in §. *ad hæc*, vbi poſtquam dictum eſt, quod ſcrutatores fortè extrahantur, ſubditur, quod ſi quis contrafecerit incurrat ſententiam excommunicationis, Vnde lex illa nedum obligat extractum ad obeundum munus ſcrutatoris ſub culpa, ſed etiam ſub excommunicationis cenſura.

30. Benè verum eſt, quod ſi non ſeruetur forma eligendi ſcutatores in dicto §. *ad hæc ſtatuta*, electio non eſt irrita. Nec deſumi debet argumentum à iure communi in *cap. Quia propter*, vbi ſcrutatores tres aſſumendi ſunt, & ſi id non fiat electio eſt irrita, quia ibi expreſſè irritatur electio aliter facta. Sed hic inter ea, ex quibus in §. *quod ſi electio* decernitur irrita electio, non numeratur forma præſcripta pro ſcrutatorum electione. Diſtingui tamen debet inter ſcrutatores, & inter hanc vel illam formam illos eligendi vel etiam inter numerum illorum, vt ſint tres, vel duo vel quatuor &c. Nam ſcrutatores ſunt omninò de ſubſtantia electionis per ſcrutinium. Nam debent dari, qui ſchedulas recipiant, aperiant, legant, adnotent. An verò hi ſcrutatores ſint pauci, vel multi, vel totum Collegium, ſiue an hoc vel illo modo eligantur ſi totum Collegium non ſcrutetur, non eſt de ſubſtantia electionis Papæ quia forma eligendi ſcrutatores non eſt inducta cū decreto irritante.

31. Circa tertium actum etiam conſideratur quod prohibetur ne Cardinales extra locum electionis ſcribant, quæ ſcribere debent in ſchedulis, quod factum eſt, ne poſſint hoc modo huic vel illi oſtendere ſchedulas. Hoc tamen non crederem eſſe ita ſubſtantiale, aut neceſſarium, vt ex iuſta cauſa, & præcipue ad hoc, vt Cardinalis poſſet melius variare ſuum Characterem non poſſet idem Cardinalis etiam ſine peccato ſcribere ſchedulam ſuam in propria Cella dummodo illa nulli oſtendatur, & ceſſet ſcandalum, ob quod etiam euitandum neceſſe erit aliquam conſcribere iuxtà formam, & ritum Conſtitut. & Cærimonialis.

32. Quod etiam dicitur Cardinales in ſchedula debere ſcribere verbum *eligo*, ſcilicet conſenſum exprimere per verbum *Eligo*, non eſt cenſendum eſſe de ſubſtantia electionis, dummodò conſenſus per verbum æquiualens exprimatur ſcribendo verbum *nomino*, vel *conſentio*. Nam de iure communi ad electionem ſufficit exprimere conſenſum per aliquod ex præfatis verbis *cap. in genes. de elect.* Specul. *in cap. Vbi periculum n. 36. de elect. in 6.* Io. Andr. *in cap. quia propter n. 37.* Compoſtell. *n. 11.* Panorm. *n. 11.* Sylues *v. electio 2. n. 8.* Tabien. *v. electio p. 2. n. 1.* Sigiſm. *de elect. dub. 27. nu. 1.* Lauor. *de elect. cap. 19. n. 8.* In Conſtitut. autem Gregor. 15. nulla præſcribitur forma exprimendi hunc concurſum, In Rituali verò dicitur, quod Cardinales ſcribant *eligo*, ſed cum non interſit in re ſi dicatur *nomino*, vel *conſentio*, id poteſt intelligi, vt dictum quia regulariter electores vtuntur verbo *Eligo*, & vt omnes Cardinales eadem forma verborum conſenſum exprimant. Putat inſuper Coccinus *pag. 404.* nec eſſe de ſubſtantia dicere *eligo in Summum Pontificem*, ſed ſufficere ſi dicatur *eligo*, vel *nomino*, vel *conſentio* in talem. A forma tamen Ritualis non eſt in praxi recedendum.

33. Cum etiam in §. *ſuffragiorum autem* præſcribatur ordo ſcribendi in ſchedulis nomina eligentis, & electi, & ſigna, ſcilicet dictum aliquod ſcripturæ ſacræ, vel aliud huiuſmodi, & aliquem numerum, ità ſcilicet, vt in prima parte ſcribatur nomen eligentis, in media nomen electi, & in extrema præfata ſigna, neque hic ordo indicatur ſubſtantialis, ſed vbi hoc ordine mutato nulla ſequatur alteratio ex eius mutatione nec irritatur votum, nec incurritur Cenſura. Coccinus *pag. 404.* à tergo.

34. Eſt verò neceſſarium, vt ſi Cardinales poſſunt ſcribant præfata ſcribenda in ſchedulis manu propria, ſed alterata. Sed quid ſi aliquis Cardinalis vellit vti opera alterius nimirum vel notarij, vel ſcrutatorum, vel alicuius alterius? Non dubito quod peccaret mortaliter, & eſſet excommunicatus, quia in re graui tranſgrederetur ſancita in *d. §. ſuffragiorum & in Rituali.* Sed votum eſſe etiam irritum addit Coccin. *pag. 408.* quia notum eſſet Collegio, quod Cardinalis

Digitized by Google

dinalis votum ſuum alteri reuelaſſet, & pro hoc citat Garz. *de benef. par.* 5. *cap.* 4. *num.* 195. Sed Garz. ibi in caſu longè diuerſo loquitur. Scilicet in caſu, in quo aliquis vocalis vellet publicè eligere, & in hoc caſu benè docet, quod Collegium hoc non poteſt permittere, ſed eligere per ſchedulam ab alio ſcriptam non eſt publicè eligere, Tum quia non eſt contra ſecretum electionis, quod vnus vel alter ſciat quem elector eſt electurus, vnde non eſt contra ſecretum electionis quod elector vni vel alteri dicat, quem vult eligere, & imo id fieri poſſe à Cardinali ſine incurſu Cenſuræ, ſi fiat nullo dato contrafigno, dixit idem Coccinus *pag.* 354. Tum quia non conſtat nec ſcribenti, nec Collegio, nec alicui alteri, quod ſchedula data ſcrutatoribus ſit ſcripta non à Cardinali, ſed ab alio. Tum quia longè diuerſa ſunt votum eſſe publicum, & publicè datum, & votum eſſe notum vni, vel alteri, Et per hoc quod Collegium ſciat, quod votum Cardinalis alicuius ſit notū ſcribenti non per illud votum eſt publicum Collegio, vel alteri, cum ſolum ſit ad ſummum notum ſcribenti, & Cardinali, vel alicui ſcrutatori, ſi manum ſcribentis cognoſcat, quod non ſufficit, ad hoc vt votum ſit publicum, & per euidentiam ſenſuum publicè datum, ſi alias ſit datum complicatum, & clauſum. Et vt latè probaui in *tract. de elect. cap.* 17. non eſt contra ſecretum electionis, quod vnus, vel plures, vel ante, vel poſt electionem ſciant intentionem, & conſenſum electorum, ſed electio eſt ſecreta ſi in ipſo ſcrutinio vota non publicantur, ſed ſecreto modo dantur per ſchedulas clauſas, & à ſcrutatoribus aperiendas, & legendas. Et ego fui Romæ tempore electionis fel. mem. Innoc. X. & Alexandri VII. & tunc etiam extra Conclaue publicè ante electionem vel ſero antecedenti, vel de mane habita fuit eorum electio, vt certò futura, quæ multò magis ſine dubio fuit nota publicè in Conclaui. Non igitur ſuffragium ex eo eſſet nullum, quod ſciretur ante electionem, ad cuius fauorem eſſet dandum ſeu quod nō eſſet ſcriptum manu propria eligentis.

35. Aliud etiam eſt neceſſarium, vt ſcilicet Cardinales proprio charactere, ſed alterato ſcribant ſchedulas. Circa quod eſt certum, quod Cardinalis, qui ſcit, & poteſt alterare proprium characterem tenetur id facere ſub pœna excommunicationis, quoniam hoc eſt præceptum in *d.* §. *ſuffragiorum*, & in Rituali. Coccinus autem *pag.* 409. putat etiam quod ſuffragium ſit nullum ſub multiplici tamen diſtinctione, & limitatione. Nam ſi character ſit aliquo modo alteratus, inquit, quod ſuffragium non eſt nullum, quia Pontifex non intendit, quod per alterationem characteris fiat impoſſibile abſolutè cognoſcere perſonam ſcribentis, & eligentis, ſed quod id vitetur quantum fieri poteſt, quod eſt moraliter intelligendum, & ſit quando character ſit alteratus, Vnde ſi tunc ſcrutatores, vel recognitores cognoſcentes manum ſcribentis vellent illi ſuffragio opponere nō eſſent audiendi ſed peccarent mortaliter, & eſſent excommunicati per textum in §. *Ad hæc ſcrutatores*. Sed ſi character nullo modo eſt alteratus, diſtinguitur, quia vel eſt incognitus ſcrutatoribus, vel cognitus. Si eſt incognitus non vitiatur ſuffragium quia manet ſecretum. Sed ſi eſt cognitus, exiſtimat, quod ſuffragium poſſet reiici tanquam nullum, & ſi ex ſcrutatoribus duo clamarent coram Collegio, & dicerent votum illum eſſe notum, tanquam ſcriptum manu propria Cardinalis non alterata, & bene ab illis cognita, votum non eſſet ſecretum reſpectu Collegij, & eſſet reijciendum, licet Cardinalis poſſet admitti, ſi adeſſet tempus ad ſuffragandum per aliam ſchedulam manu alterata conſcriptam.

36. Sed in hac reſolutione ſupponitur, quod ſit contra ſecretum electionis, ſi votum quomodocumque, & etiam ſolum per diſcurſum rationis innoteſcat ſcrutatoribus, quod certè abſolutè non eſt verum, quia licet certum ſit in electione Papæ ſcrutinium auriculare eſſe prohibitum, & eſſe neceſſariam electionem per ſchedulas, & quod ad maiorem cuſtodiam ſecreti præceptum ſit, vt ſchedulæ ſcribantur manu propria eligentis, ſed charactere alterato, non ideo factum eſt, quia tanquam de ſubſtantia electionis ſit ſtatutum ſecretum tale, per quod nec per diſcurſum rationis ſcrutatoribus innoteſcant eligentes, & electio ſit nulla ſi innotuerint, tum quia, vt ſupra etiam dictum eſt, hoc eſt impoſſibile moraliter; Et vbi alias manus ordinaria Cardinalis innoteſcat ſcrutatoribus, non ita alterabitur, quin naturales quoſdam tractus, & characterum formas non retineat niſi qui ſcribit valde artem ſcribendi calleat, vnde à perſpicaci ſcrutatore ſcripturæ auctor de facili deprehendetur. Tum quia nec Cardinales omnes poterunt ſic alterare characterem, vt non cognoſcatur, ſicut qui chiragra laborant, ſeu manus tremulas habent, & vix ſcribere poſſunt, & non ſicut volunt, ſed ſicut poſſunt ſcribunt. Tum quia Conſtitutio ipſa Gregor. XV. hanc impoſſibilitatem agnoſcit, & ſolum procurat alterari manum, non vt perſona ſcribentis non innoteſcat, abſolutè, ſed vt quantum fieri poteſt non innoteſcat. ſupponit igitur, quod poſſit innoteſcere, & quod nihilominus electio ſubſiſtat. Tum quia in §. *quod ſi electio* ſolum irritatur electio ſi non fiat per ſecreta ſchedularum ſuffragia, abſolutè vero ſuffragia ſchedularum ſunt ſecreta, ſi non innoteſcant ſcrutatoribus per euidentiam ſenſuum, tum quia eadem Conſtitutio ſupponit, quod ſcrutatores poſſint in huiuſmodi eligentium cognitionem venire. Et ideo in §. *ad hæc* præcipit illis ſub pœna excommunicationis, ne aliquid ſecreti in eorum officio cogniti reuelent.

37. Dicitur propterea quod nōn per hoc ſuffragium eſt nullum, quia charactere non alterato ſit ſcriptum. Et quod ſi eſſet nullum tale iudicandum eſſet etiam ſi manus ſcribentis eſſet penitus incognita ſcrutatoribus, quia hoc eſſet per accidens, & non ſubterfugeret vim legis attendentis in hoc poſſibilitatem notitiæ regulariter poſſibilis, & futuræ, & propterea irritantis actum aliter factum ſi verè illud irritaret, quod negatur ex rationibus allatis. Et ideo ſcrutatoribus non licet opponere contra tale ſuffragium, ſed imo ipſi eſſent excommunicati ſi op-

Digitized by Google

ſi opponerent ex vi *d.* §. *ad hec* ſcrutatores.

38. Circa quartum actum nihil occurrit ſpecialiter coſiderandũ, niſi quod complicatio ſchedularum eſt de præcepto, modus verò complicationis, dum itá fiat, vt nec nomen, nec ſigna ſtatim appareant, ſed niſi ex profeſſo à ſcrutatoribus ſchedulæ pro ea parte ſuo tempore aperiãtur, maneant occulta non erit res magni momenti, & quæ ad culpam mortalem ſufficiat, ſi omittatur.

39. Circa quintum actum quæri poſſet, an obſignatio facta per ſigillum proprium ad hunc effectum tantum electum ſit de ſubſtantia electionis. Sed ex præcedentibus iam patet, quod eſt quidem hoc de præcepto, & quod ſine culpa graui, & pœna excommunicationis non poteſt omitti. Sed tamen non eſt de ſubſtantia quia ſicut nec proprius character manifeſtat eligentem, niſi per diſcurſum rationis, ſic nec ſigillum Cardinalis ordinarium, cum & illud poſſit eſſe ab alio Cardinali vſurpatum, & ad ſenſum perſonam eligentis non manifeſtet.

40. Sed quid ſi nedum ſchedula non ſit ſigillata ſed nec complicata, & itaut ſtatim oculis exprimat nomen eligentis? Videtur enim, quod hoc modo ad ſenſum manifeſtet eligentis perſonam. Si id non caſu, ſed ex induſtria factum ſit ab eligente, tale votum reijciendum putat Coccinus *pag.* 411. à tergo, quia eligens potuit renunciare voto ſuo, & cenſendum eſt renunciare illi. Verum dici poſſet, quod vel apparet ſcrutatoribus ſchedulam eſſe apertam, & minime complicatam, dum ponitur in calicem, & tunc non debet ab eis recipi, ſed extrahi, & reijci, cum ſit euidenter contraria legibus electionis. Vel eſt ſatis complicata, vt cum datur non appareat eam continere nomen eligentis apertum, ſed tunc ſolum id conſpicitur, quando aperitur, & tunc iam non ad ſenſum ſed ſolum ex rationis diſcurſu oſtendit, & quidem nec etiam certò perſonam eligentis, quia ſchedula illa poſſet eſſe alterius, & ad ſenſum non patet, quod ſit illius. Vnde in ſimili caſu valdè dubium eſſet, an illius ſchedulæ ſuffragium poſſet reijci tanquam nullum, & potiùs dici videretur quod non poteſt reijci, quia quando in §. *Suffragiorum* præcipitur, quidem ſchedulas complicari, & ſigillo muniri, ita quod non appareat eligentis nomen, non tamen irritatur electio, aut ſuffragium, ſi aliter fiat. Et licet in §. *quod ſi electio* Põtifex decernat irritã electionem non factam per ſecreta ſchedularum ſuffragia, talis cum ſit electio facta per ſchedulam non compræhenditur ſub illa lege irritante, cum non pariat euidentiam perſonæ eligentis, & ad vitandas diſſenſiones, & ſchiſmatum, & perturbationum Vniuerſalis Eccleſiæ pericula, ſic debet intelligi illa lex, vt locum non habeat, niſi vbi electio ſit notorie, & ſine vlla tergiuerſatione ad ſenſum publica, & non per ſchedulas habita.

41. Sed oppoſitum nihilominus aſſerendum eſt; quia in hoc conſiſtit eſſentialiter ſecretum ſchedularum ad differentiam ſecreti ſcrutinij auricularis, quod nec voce nec ſcripto (niſi in caſu alicuius neceſſitatis) exhibeatur ſenſui perſona eligens, ſeu nomen eius. In caſu autem dato, vel votum datum eſſet ſuperfluum, quia eo dempto electus eſſet nominatus à duabus partibus, & tunc nihil intereſſet, an eſſet validum, vel nullum; vel eſſet neceſſarium ad valorem electionis, & tunc ſi aliæ ſchedulæ aperirentur ex ea parte, qua continent nomen, eligentium, ad ſenſum pateret, quis fuerit, qui per ſchedulam apertam elegit; & ideo tale ſuffragium eſt nullum, quia manifeſtans nomen eligentis & cogens ad aliorum nomina aperienda. Et certe nulla eſſet electio ſi omnes Cardinales votum darent per ſchedulas ita apertas, vt ſtatim in eis legeretur nomen eligentis ea enim electio non eſſet per ſecreta ſchedularum ſuffragia, igitur eadem ratione nullum eſt ex parte ſua vnicum ſuffragium per ſimilem ſchedulam datum.

Scrutinium.

42. SEcunda actio principalis eſt ſcrutinium, cuius octo ſunt actus in Cæremoniali deſcripti, ſcilicet ſchedulæ delatio, præſtatio iuramenti, poſitio ſchedulæ in Calicem, ſchedularum mixtio, earum numeratio, ſcrutinij publicatio, ſchedularum in filium inſertio, earumque depoſitio ſeorſum.

43. Nam dum Cardinales ſchedulas ſcripſerunt complicarunt, & obſignarunt, quilibet illorum ſuam ſchedulam duobus primis digitis ſumptam eleuata manu defert ad altare, penes quod ſtant ſcrutatores, & ſuper quo eſt calix magnus ad recipiendas ſchedulas paratus, & genuflectens, & aliquantulum orans, de inde ſurgit, & alta, & intelligibili voce iurat in hanc formam: *Teſtor Chriſtum Dominum, qui me iudicaturus eſt, me eligere quem ſecundum Deũ iudico eligi debere, & quod idem in acceſſu preſtabo.* Poſt hæc ſchedulam ponit in patenam, & per patenam in calicem mittit quo facto inclinat ſe ad altare, & ad locum redit. Sed ſi in Cappella præſens ſit Cardinalis aliquis, qui ad altare non poſſit accedere, vltimus ſcrutatorum ad illum defert diſcum cum ſchedulis, & ipſe ſecretò vnam conficiens præuio iuramento eam tradit ſcrutatori, qui eam palam defert ad altare, & ponit in patenam, & per patenam mittit in Calicem. Sed ſi extra Capellam ſunt Cardinales infirmi, tres infirmarij capſulam ad hoc paratam accipiunt à ſcrutatoribus, qui prius eam aperiunt, & eam vacuam eſſe Cardinalibus oſtendunt, & poſteà claudunt, & clauem ſuper altare ponunt. Deinde infirmarij cum capſula clauſa, & paruo diſco, in quo ſunt tot ſchedulæ quot ſunt Cardinales infirmi, ad vnumquemque accedunt, & eorum quilibet ſuam schedulam conficit, & obſignatam mittit per rimam intrà capſulam iuramento præmiſſo. Et ſi infirmi ſcribere non poſſunt alius ab illis electus iuramento præſtito in manibus infirmariorum de ſecreto ſeruando ſchedulam conſcribit. His peractis infirmarij redeunt ad Capellam, & capſulam tradunt ſcrutatoribus, qui illam coram Cardinalibus aperiunt, & ſchedulas in ea contentas numerant, & tot repertas quot ſunt infirmi ſigillatim per patenam po-

nunt in calicem. Ne autem in longum protrahatur actio Infirmarij poſt Decanum ſuas tradunt ſchedulas, & poſteà vadunt ad infirmos, & interim alij Cardinales ſuas ſchedulas in Calicem mittunt forma præfata ſeruata. Et hoc modo tres primi actus ſcrutinij conficiuntur.

44. Quartus actus eſt permixtio ſchedularum quæ fit ſchedularum calice patena cooperto pluries per primum ſerutatorem agitato.

45. Quintus actus eſt numeratio ſchedularũ quę fit per vltimum ſcrutatorem capiendo ſigillatim vnamquamque ſchedulam de calice, & in alium calicem ponendo. Quod ſi numerus ſchedularum numero Cardinalium non reſpondet, omnes ſtatim comburuntur, & ad noua ſuffragia proceditur, ſed ſi numerus numero correſpondet,. ſubſequuntur alij actus ſcrutinij.

46. Sextus actus eſt publicatio ſcrutinij, quæ fit per vltimum ſcrutatorem aperiendo, & legendo ſchedulas. Nam primus ſcrutator ſchedulam vnam accipit, & eam aperit ſigillis tamen intactis, & legit, & lectam poſteà tradit ſecundo ſcrutatori, qui eam pariter legit, & poſteà tradit tertio ſcrutatori, qui eam alta voce legit, & ſic Cardinales omnes in folio parato, & cum nominibus Cardinalium impreſſo notant ſuffragium. Et ità fit de ſingulis ſchedulis. Quod ſi inueniantur duæ ſchedulæ ità complicatæ vt appareat eas fuiſſe datas ab vno, ſi in eis vnum, & idem nominatur pro vno ſuffragio computantur, ſed ſi nominati ſunt plures pro nullo habeantur, ſicuti nullum eſt ſuffragium, ſi in eadem ſchedula plures nominati fuerint. Poſteà quilibet Cardinalium in ſummam redigit ſuffragiorum numerum, quem nominati obtinuerunt.

47. Septimus actus eſt ſchedularum in filum inſertio, quæ vt ſecuriùs ſchedulæ cuſtodiantur fit per vltimum ſcrutatorem qui vnamquamque ſchedulam poſtquam legit ſtatim inſerit aut cum filo in loco vbi eſt verbum *Eligo*.

38. Octauus ſcrutinij actus eſt ſchedularum depoſitio. Eas enim capitibus fili nodo iniunctis vltimus ſerutator in alium calicem deponit, vel in menſa ſeorſum.

49. Circa ſecundum actum ſcrutinij, qui eſt iuramentum præſtandum à quolibet Cardinali in quolibet ſcrutinio poſt ſcriptam ſchedulam, & antequam illam mittat in calicem conſiderandum eſt, quod licet abſolutè de ratione iuramenti non ſint verba. Quoniam iuramentum Deo præſtatur, qui ſolus mentis inſpector eſt. Gloſſ. *in ſum.* 21. *q.* 1. Panorm. *in rub. de iure iur.* Dec. *in Auth. ſacramenta puberum C. ſi aduer. vendit.* Couar. *in cap. Quamuis nu.* 5. *de pact. in* 6. Nihilominus in electione Papæ iuramentum à Cardinalibus debet præſtari alta, & intelligibili voce, & adeò vt verba iurantis à S. Collegio audiri poſſint, & intelligi.

50. Conſiderandum eſt ſecundo quod illorum verborum, quem ſecundum Deum iudico eligi debere, ſenſus eſt, ac ſi diceretur, quem ſecum dũ Deum iudico, digniorem eſſe vt eligatur, nam vt infrà magis probo, ille ſecundum Deum debet eligi, qui eſt dignior. Vnde in Concil. Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 1. definitur mortaliter peccare electores, niſi eligant illos, quos digniores reputant, & *cap.* 18. præcipitur, quod Epiſcopus ex nominatis ab examinatoribus tanquam dignis exquirat ipſe digniorem, & illum eligat, & in *cap. vnico. Vt Eccleſiaſt. benef.* Innocentius Tertius grauiter repræhendit quendam Epiſcopum eo quod non elegerit digniorem. Idem habetur ex Diuo Leone *in c. Metropolitano diſt.* 63. & *in c. moyſes* 8. *q.* 1. & D. Auguſtinus multa dicit in Epiſtola 29. & refertur à Gloſ. ſuper c. 2. Iacobi D. Th. 2. 2. *q.* 185. *art.* 3. *& quodlibet.* 4. *art.* 15. *& quodlibet.* 6. *art.* 9. *& quodlib.* 8. *art.* 6 & eſt communis ſententia Theologorum, quos refert Sot. *de iuſt. & iur. lib.* 3. *art.* 2. *concl.* 9. & Canoniſtarum, vt refert Couarr. *in Regula Peccatum p.* 2. *num.* 3. & in terminis electionis Papæ Franch. in *c. vbi periculum* §. *præterea nu.* 3. *de elect. in* 6. & Hieron. Manfred. *in tract. de Sacr. Colleg. deciſ.* 20. & articulum latiſſimè examinat Raudenſ. *deciſ. Piſan.* 33. *nu.* 10. *& ſeqq. vbi pro digno, & deciſ.* 34. *per tot.* pro magis digno.

51. Inquiri autem poteſt, an qui digniorem non aligit ex vno vel ex duplici capite ſit periurus tanquam duplicis iuramenti ſacrilegus violator. Et dicitur Cardinalem non eligentem digniorem eſſe dupliciter periurum, nimirum, quia violat iuramentum quod preſtat ex vi Conſtitut. Greg. XV. & iuramentum quo iurauit obſeruantiam Conſtitut. *In eligendis* Pij Quarti. Quæ conſtitutio, & continet præceptum obligans in conſcientia, & obligat ad electionem dignioris per contenta in §. *Cardinales autem* vt patet ibi. *Cardinales autem &c.* Cum enim ſub interminatione diuini iudicij præcipiat, obligat etiam in foro conſcientiæ, cuius Deus eſt iudex. Sed ex quo præcepit, vt abijciantur omnes mundani reſpectus, præcipit nõ eligi, niſi eum, qui ex Dei reſpectu eligi debet, qui eſt dignior. Nam & minus dignus non eligitur ex diuino reſpectu, ſed ex humano, quod eſt acceptio perſonarum, vt explicat D. T. 2. 2. *q.* 185. *ar.* 3. & eſt per Pium IV. prohibitum. Item Pius præcipit, vt Cardinales in electione Papæ purè, ſincerè, liberè quietè, & pacificè ſe gerant. At verò qui ſpreta iuſtitia diſtributiua iniuſte acceptat perſonam minus digni, non ſe gerit purè, & ſincerè, & ideo periurus violat Pij IV. Conſtitutionem, cuius obſeruantiam iurauit. Quia tamen in ea Conſtitutione directè prohibetur, quod Cardinales non moueantur ex humano reſpectu, ſed purè, & ſincerè ſe habeant, qui ſine dolo bona fide eligit, quem iudicat eligi debere ex Dei reſpectu non eſt periurus.

52. Sed alia hinc oritur difficultas. Videtur enim quod Cardinalis ad nullum poſſit accedere quia ſi in ſcrutinio, vt non ſit periurus debet ſuffragium dare pro digniori, & optimo, poſtquam in ſcrutinio elegit, quem iudicauit optimum, nullum remanet, quem abſque periurio nominare poſſit in acceſſu; Sed reſpondetur conſequentiam non tenere. Tum quia poteſt eſſe, quod dignior non ſit vnus ſolus, ſed ſint plures æquè digni. Tum quia ex ſcrutinio

poteſt

poteſt intelligi, quod iudicatus dignior non ſit talis omnibus penſatis, vt quia apparet, quod eſto alias ſit dignior tamen ex ſcrutinio apparet, quod eſt impoſſibile illum haberi, quia ſic à paucis tantum nominatur, vt non ſit ſpes, quod ſit nominandus à duobus tertijs, & ideò Eccleſiæ conueniat, vt eo relicto cuius promotionis non eſt ſpes, alius Eccleſiæ detur in Paſtorem.

53. Circa tres primos actus ſcrutinij autem conſideranda ſunt, quæ circa illos decernuntur pro infirmis. Duplicis autem generis infirmi eſſe poſſunt, vel ſcilicet eorum qui poſſunt adeſſe in loco electionis, & alij qui remanent in proprijs Cellis. Plures enim poſſunt eſſe infirmitates. Nam poteſt eſſe, quod quis alias ſanus ſola laboret chiragra, & ſcribere non valeat. Et quamuis hic caſus non ſit expreſſus in §. *Præterea ſtatuimus* Conſtit. Gregor. XV. ibi tamen implicitè determinatur in ſimili caſu. Talis enim per alium ſcribere debet, vt de infirmis in lecto decumbentibus, & ſcribere non valentibus decernitur.

54. Sed quid dicendum, ſi Cardinalis votum dare non poſſit? Quia nimirum ob vehementiam morbi amiſſo vſu rationis nulla rationis lucida patitur interualla. Huius tanquam inhabilis nullam habendam eſſe rationem putat Coccinus *ad d. §. Præterea pag.* 448. *à tergo*.

55. Sed cum ſchedula ab alio ſcribenda eſt, quam à Cardinali infirmo, nunquid iſte alius ſcribens debet eſſe aliquis Cardinalis? mouet hoc dubium Coccinus vbi ſupra pag. 449. & eius reddit rationem, quia dictio alium repetit qualitatem, & ſimilitudinem ſignificat in ſubſtantia Felin. *in cap. ſedes n. 6. verſ. dictio Alius de reſcriptis*. Alex. *conſ. 1. n. 10. lib. 4.* Anchar. *conſ.* 361. & benè Soccin. Sen. *conſ.* 300. *vol. 3.* ſub *n. 2. verſ. 3.* probatur *lib. 2.* Onded. *conſ. 7. n. 31. & conſ. 8. n. 52. poſt med. verſ. dictio alij lib. 2.* Surd. *conſ. 21. num. 13. & 14. lib. 1.* Cæterum in hac facti ſpecie contrarium cum eodem Coccino credo eſſe verum quia intentio principalis Conſtitutionis fuit quod ſeruaretur ſecretum præcipue, & principaliter inter ipſos Cardinales, quod ſatis depræhenditur ex §. *Cardinales, præterea*, in quo præcipuè prohibentur ſigna, & contraſigna ſuffragiorum, quæ non poſſunt verificari niſi inter ipſos Cardinales dum enim ſcrutinium celebratur ipſi tantum Cardinales ſunt præſentes. Et etiam notum eſt principalem rationem Conſtitutionis fuiſſe ponere Cardinales in ſua libertate, quod præcipuè conſiſtit in eo, ne Cardinalis ſciat votum alterius, & proptereà dictio, Alius ratione ſubiectæ materiæ denotat diſſimilia, & ſic non compræhendit alium Cardinalem qui ſcribat, vt habetur Lucæ *cap. 23. Ducebantur autem, & duo alij nequam cum eo* (ſcilicet Chriſto *vt interficerent & tradit gloſ. in l. non ſolum §. creditur in V. Creditores ff de Procurat.* Surd. *conſ. 449. n. 49. cum ſeqq.* Et propterea ego credo quod executores Conſtitutionis poſſint conſtringere Cardinalem ad ſcribendum per alium, quam Cardinalem.

56. Colligitur verò, vt neque etiam neceſſe ſit, quod ſcribens huiuſmodi ſchedulam ſit Clericus. Quia, & vbi in electione adhibendus ſit notarius, non eſt neceſſe, quod ille ſit Clericus Sylu. *in ſum. V. electio 2. q. 5.* nam & Clericorum Procurator poteſt eſſe laicus *cap. 1. de Procur.*

57. Si etiam quæratur qualiter, & coram quo infirmus Cardinalis, & qui pro eo iurat debeant iurare. Reſpondetur quod is, qui loco Cardinalis infirmi ſcribere debet, iurat de ſecreto ſeruando. Et ſi eſt ſacerdos debet iurare tacto pectore more ſacerdotum de ſeruando ſecreto, quia Epiſcopi, & Sacerdotes iurant tacto pectore, tam de iure, quam de conſuetudine §. *nulli vero* Auth. *de ſanctis Epiſcop. & ibi Gloſ. in V. propoſitis c. fin. de iuram. calum. Gloſ. in cap. Teſtimonium 9. V. Epiſcopus non flagitetur* 11. *q.* 1. Specul. *de Teſtib. §. ſequitur 4 n. 5.* Alciat. *in Rubr. de iur. iurand n.* 35. Si vero non eſt Sacerdos debet iurare tactis Sacris Euangelijs *c. Hortamur* 20. 3. *q.* 9. *Gloſ.* 1. in *l. iuſiurandi* 8. *C. de teſt.* Abb. *in cap. Fraternitatibus n. 13. de teſtibus* Fellin. *ibid n. final. verſ. & debet teſtif.* de conſuetudine autem non eſt neceſſarium tangere librum Euangeliorum, ſed ſufficit tangere aliam cartam, vel ſcripturam Abb. *in d. cap. Fraternitatis n. 13.* & ibi Felin. *n. 13. in princ.* Bald *in Auth. Sacramenta puberum n. 3. C. ſi aduerſus venit* Cardinalis ipſe infirmus debet iurare iuxta formam Bullæ videlicet reſtor &c. Quoad ſecundum iſtud Iuramentum debet præſtare in manibus Cardinalium, qui tranſmittuntur pro voto, pro vt, & ipſe Cardinalis debet iurare in eorundem manibus, nam ex quo Conſtitutio mittat dd. Cardinales ad recipiendum vota Infirmorum. Vnde in neceſſariam conſequentiam vult, quod etiam Iuramenta recipiant, cum iſta receptio Iuramenti ſit conſecutiua ad receptionem voti per ea, quæ notat Suarez *de legib. lib. c. 28. n. 14. &* Sanchez *de matr. lib. 3. diſp. 2. n. 2.*

58. Cardinales verò infirmarij capſulam clauе clauſam habentem rimam per quam Cardinalis infirmus in capſulam poſſit mittere ſchedulam ſuam deferentes clauem eius ſuper altari relinquere debent. Sed tamen hoc non eſt ita neceſſarium, vt ſit culpa, ſi alibi remaneat in loco tamen conſpicuo, & parenti, niſi hoc fieret ex aliqua malitia, aut ex contemptu.

59. Sed cum ijdem Cardinales infirmarij capſulam antequam claudatur, oſtendere debeāt tori Collegio vacuam eſſe, ſi id non fiat quid dicendum erit? Coccinus vbi ſupra pag. 452. à tergo in hoc caſu nec pœnam excommunicationis, nec culpam mortalem incurri putat, ſi ceſſet ſcandalum, quoniam in dicto §. *Præterea* contra huiuſmodi tranſgreſſionem non ſit impoſita pœna excommunicationis. Et idem dicit ceſſante fraude, & ſcandalo, quantum ad pœnam excommunicationis, ſi capſula palam non claudatur. Vere dicti §. verba hæc ſunt. *Omniaque, & ſingula ſeruentur, quæ de ſcrutinij ſchedula ſupra ordinata ſunt, ſub eadem excommunicationis latæ ſententiæ pœna*. Per quæ verba videri poteſt, quod non ſit lata excommunicatio contra, vel non claudentes capſulam, vel eam vacuam eſſe non oſtendentes. Quamuis quia hæc non leuia ſunt, ſed ſumme neceſſaria ad hoc, vt ſacro Collegio conſtet de identitate ſchedularū ſine fraude habendarum à Cardinalibus infirmis dicen-

Digitized by Google

dum videatur Conſtitutionem ad huiuſmodi obligare in conſcientia, nec ea poſſe voluntarie omitti ſine culpa mortali.

60. Infirmarij etiam iſti pro habendo ſuffragio Cardinalis infirmi cum acceſſu debent deferre folium ab aliquo ex Cardinalibus deſcriptum, in quo continentur Cardinales nominati in ſcrutinio cum numero votorum, quem nominati habuerunt. Et hoc folium debet eſse palam recognitum. Si vero iſti Cardinales, vel folium non deferant, vel illud falſificent, vel quocunque modo verum numerum ſuffragiorum celent, vel mendacijs ſuffragium infirmi pro incluſione, aut excluſione procurent, quid iuris erit? Coccin. ibid. *pag.* 452. propter illud votum non eſſe nullum arbitratur, quia hic dolus non dat cauſam voto, ſed eſt incidens, & propterea non annullat ex adductis per Celſum Bargall. *de dolo lib.6. reg.9. per tot.* Putat tamen præfatos Cardinales incurrere pœnam excommunicationis; ſed vtrumque horum habet difficultatem. Et quidem quantum ad cenſuram, ſi in verbis num. ſuper. relatis non comprehenduntur, & delatio capſulæ, & eius vacuitatis publica oſtenſio, & eiuſdem clauſio non erit vnde dicatur, quod includatur folij præfati delatio, & eius integritas, quia pro expreſſis *in d. §. Præterea*, per alia verba eiuſdem § non exprimitur excommunicatio. Et ità ſi illa verba, *quæ pro ſcrutinij ſchedula* intelliguntur ſtrictiſſime, vt comprahẽdant ſolum, quæ de ſcribenda ſchedula in parte Anteſcrutinij dicta ſunt, iam ſub illa, nec comprehenditur delatio illius folij, quod non eſt ſchedula. Sed ſi, prout vere debet fieri, per illa verba, *quæ pro ſcrutinij ſchedula*, intelliguntur omnia quæ nedum pro ſchedula ſcrutinij ſcribenda, ſed de ea in calicem mittenda, & ab infirmis procuranda fideliter ſtatuta fuerunt antecedenter vel in alijs partibus cõſtitutionis, vel in eod. §. *Præterea*, tunc ſicut ſub eis comprehenditur delatio folij integra, & fidelis, ita comprehenditur delatio capſulæ eiuſque vacuitatis publica oſtenſio, & clauſio, & ſic incurritur cenſura, ſi aliter fiat. Quantum etiam ad aliam partem, licet poſſit eſſe, quod fraus præfata non det in eo caſu cauſam electioni ſed ſe habeat ad illam concomitanter, quia vel Cardinalis infirmus non credat Cardinalibus infirmarijs fraude illum circumuenientibus, ſed libere eligat, vel etiam ſi fraudibus credat, nihilominus etiam cognitis fraudibus eundem liberè eligeret. Tamen, & poteſt eſſe quod fraus det cauſam electioni, & quod ex eo Cardinalis infirmus accedat ad aliquem, quia fraude circumuentus timeat ſibi malum, ſi non accedat huic, vel ſi accedat illi, & ex hoc moueatur ad ſuffragandum deceptus, & veritatis rei neſcius, & iniuſtè notitia negotij ſpoliatus. Quod voluntariò prorſus repugnat, & cauſat inuoluntarium ſimpliciter, vt cum D.Th. *p.2. qu.6. a.8.* docent communiter DD. Vndè in hoc caſu ſuffragium tanquam ſimpliciter inuoluntarium erit nullum.

61. Quid verò iuris eſſet, ſi daretur Cardinalis, qui infirmus non eſſet, & infirmum ſe fingeret, fictionem cognoſcente ſacro Collegio? Certè in hoc caſu exequutores Conſtitut. Greg. XV talem compellere deberent ad accedendum ad locum electionis, quia hoc præcipitur in ea Cõſtitutione, in qua ſoli infirmi excipiuntur, vt non adſint Collegio eligentium. Sed ſi Cardinales exequutores, & Sacrum Collegium fictionem diſſimularent, & exiſtentiam Cardinalis extra locum electionis tollerarent putat Coccin. quod ſuffragium talis Cardinalis eſſet inquirendum, & computandum, eo quia de iure antiquo non ſit de ſubſtantia electionis Papæ, vt habeatur collegialiter, ſed ſolum quod habeatur pro electo nominatus à duabus tertiis partibus, *cap. Licet de elect.* quod ius antiquum non eſt abrogatum per Conſtitutionem Greg. XV. per quam inductum quidem eſt, vt electio ſecretè fiat, non tamen, vt non niſi collegialiter habeatur. Sed hæc habent inſtantiam. Tum primo quia electio ad Prælaturas de ſe petit, vt collegialiter fiat, ſpectat enim primò, & principaliter ad Collegium eligentium, & nequit fieri per litteras, ſed ſpectat ſolum ad præſentes, vt habetur ex Panormitan. *in cap. Cum omnes num 5. de Conſtit. & cap. Quia propter nu.12. de elect.* & per eos quos retuli in *tract. de elect. cap.10. q.1.* & circa quartam conditionem eligentium *à n.31. & cap.18. in prin.* Et de electione Papæ loquendo conſtat, quod à collegialiter congregatis ſemper fuit facta. Vt enim ex ſupradictis, patet antiquitus Papa eligebatur à Cardinalibus congregatis coram populo, & Clero, poſteà vero excluſa præſentia populi, & reliqui Cleri introductum fuit, vt fieret a Cardinalibus ſeparatim congregatis, donec ſtatuta fuit lex Conclauis. Et ſi non eſſet neceſſe, vt hæc electio collegialiter fieret, potuiſſet fieri per litteras, & Cardinalibus in eorum domibus, vel etiam extra Vrbem exiſtentibus. Et præterea quatenus hæc electio potuiſſet haberi à non collegialiter congregatis dicendum eſſet hoc reuocatum fuiſſe per Conſtitut. Pontificum, nedum quia excluduntur à voce, qui non ſunt in Conclaui, *cap Vbi periculum de elect. in 6.* Clemen. *Ne Romani de elect.* Conſtitut Pii IV. & Greg. XV. Sed quia ex vi Conſtit. Greg. XV. ſic Cardinales debent collegialiter eligere, quod non tenẽtur exquirere ſuffragia exiſtentium extra locum particularem, in quo collegialiter habenda eſt electio, niſi illi ſint infirmi, & ſic impotentes phiſicè ad conueniendum cum alijs, & collegialiter eligendum. Itaque Cardinales congregati collegialiter non tenentur mittere extra Collegium niſi ad accipiendum ſuffragium infirmorum. Igitur non infirmorum ſuffragium non eſt neceſſariò computandum, ſed qui nolunt collegialiter conuenire cum poſſint cenſentur, vt extranei, iuri ſuo renunciare, quia Collegium congregatum ius habet eligendi, & non tenetur mittere, vt ab exiſtentibus extra Collegium recipiat ſchedulas electionis ab eis, qui cum non ſint infirmi poſſunt collegialiter cum alijs adeſſe in loco electionis. Quãobrem vbi conſtaret Sac. Collegio Cardinalem ſanum ſimulare infirmitatem, non teneretur exquirere eius ſuffragium, ſed ſine illo poſſet ad electionem procedere.

Ad

62. Ad vitandas tamen lites, & non ponendam in dubium electionem in hoc, & ſimilibus caſibus, & maximè quia non eſt, tam facile probare aliquando quod infirmitas non ſit ficta, tutius ſæpè erit habere fictum infirmum pro vero. Et hoc arbitrio, charitatis, & ſummæ prudentiæ Sac. Collegij remittitur. cui tamen à Greg. XV. non imponit onus exquirendi, & expectandi votum alicuius extra Collegium exiſtentis, niſi ille ſit infirmus, & impotens, vt veniat vbi Collegium eſt congregatum.

63. Quod ſi aliquis verè infirmus alias contemneretur, poſſet ne agere de contemptu contra electionem? Ex dictis ſupra, concludendum videtur, quod eius votum ſit computandum in accipiendis duabus partibus Cardinalium neceſſarijs ad valorem electionis iuxta *cap. Licet de elect.* Quando enim dicitur quod electus à duabus partibus Cardinalium haberi debet, vt verus Papa intelligitur ſine dubio de Cardinalibus præſentibus in loco electionis, quod nunc eſt manifeſtum ex Conſtit. Greg. XV. & præcipuè in §. *Quod ſi electio*, vbi ad valorem electionis requiritur, quod ſit ex duabus partibus Cardinalium in Conclaui præſentium, igitur ſuffragium Cardinalium infirmorum præſentium in Conclaui numerandum eſt, & computandum pro habendis duabus partibus Cardinalium. Quo dato, ſi alius aliquis eſt nominatus à duabus partibus Cardinalium in Conclaui præſentium ſuo ſuffragio non computato, computatis verò infirmorum ſuffragijs, ille eſt verus Papa, nec poteſt contra eius electionem agi de contemptu, quia ſi iura decernunt, vt taliter nominatus ſine exceptione habeatur, tanquam verus Pontifex, & ſit talis, & Eccleſiæ vtilitas petit, vt non habeatur ratio quantum ad hoc iniuſtitiæ illatæ Cardinalibus contemptis, & ſatis ſupra eſt probatum.

64. Circa quartum actum aduertitur, quod non eſt de ſubſtantia electionis, neque eſt præceptus in Conſtit. *Aeterni Patris, in §. Inſuper*, Sed eſt additus in Rituali tanquam id, qui ex conuenientia debuiſſet adhiberi, etiam ſi non fuiſſet inſtitutus ex lege. Quod verò primus ſcrutatorum ſit ille, qui ſchedulas in calice receptas permiſceat calice ſæpius agitato, non eſt hoc adeo graue, vt adeſſet culpa ſi per alium calix agitatetur.

65. Circa quintum actum hoc aduertendũ, quod Gregor. XV. in §. *Inſuper* præcipit comburi ſchedulas, & iterari ſcrutinium, ſi plures repertæ fuerint, quam ſint Cardinales. Quo ſtante intrat difficultas, quid faciendum ſit, ſi ſchedulæ inueniantur in minori numero. Coccinus ad *d. §. Inſuper pag.* 437. diſtinguit. Nam hoc dato caſu, vel Cardinalis aliquis fatetur ſe non dediſſe votum, vel nullus eſt Cardinalis, qui hoc aſſerat. Si detur primũ credendum eſt illi Cardinali, & procedendum eſt ad vlteriores actus. Nec obſtat quod poſſet eſſe, quod aliquis ſcrutatorum ſchedulam furatus fuerit, & ſic, quod dictum Cardinalis dicentis ſe non dediſſe votum poteſt præſumi falſum. Nam non eſt quid tale præſumendum de Cardinali ſcrutatore. Tum quia eſſet præſumere delictum, tum quia ob aſſiſtentiam aliorum ſcrutatorum impoſſibile eſt hanc fraudem potuiſſe fieri, nec eſt veriſimile, quod omnes ſcrutatores conueniant in iſta fraude. Vndè cum dictum Cardinalis dicentis ſe non dediſſe votum coadiuuetur ex omnibus iſtis illi eſſet ſtandum. Sed ſi nullus Cardinaliũ dicat ſe non dediſſe votum comburendæ ſunt ſchedulæ, & procedendum eſt ad aliud ſcrutinium, quia in hoc caſu militat eadem ratio, quę eſt incertitudo ſuffragiorum. Et addit hoc ſeruatum fuiſſe in electione ſel. mem. Vrbani VIII. die 6. Auguſti 1623. Nam cum in ſcrutinio habuiſſet 25. vota, & in acceſſu vna minus fuiſſet reperta ſchedula, combuſtæ fuerunt ſchedulæ acceſſus, & nouus acceſſus habitus. Addit verò, quod ſi de facto non comburerentur ſchedulæ in hoc caſu, ſed eis apertis inueniretur aliquem nominatum eſſe à duabus partibus, quod electio valeret iuxta *cap. Licet de elect.* & quod Cardinales tunc eſſent excommunicati, quia ex identitate rationis lex præcipiens ſub pęna excommunicationis comburi ſchedulas ſi plures ſint, quã ſunt Cardinales obligat etiam ſi ſchedulæ ſint minores numero.

66. Sed hæc plures patiuntur inſtantias. Nã nec in vtroque caſu incertitudo eoſdem parit effectus, nec vtrobique idem eſt damni periculum. Vbi enim plures ſint ſchedulæ, quam Cardinales nonnulla ſpes boni eſſet ex apertione ſchedularum, ſed iuncta magno periculo damni, cui expeditius, & ſecurius non poteſt occurri, quam prohibendo apertionem ſchedularum, & præcipiendo iterationem ſcrutinij. Dico quod eſſet ſpes nonnulla boni, quia ſi apertis ſchedulis inueniretur aliquis nominatus à duabus partibus dempto proprio ſuffragio, & tot alijs, quot ſunt ſchedulę excedentes numerum Cardinaliũ, puta ſi vna ſchedula excederetur numerus Cardinalium, nominatus ab vno ſupra duabus partibus eius ſuffragio dempto eſſet legitimè electus, quia iſte indubio eſſet electus à duabus partibus legitimorum vocalium. Sed vix hoc bonum ſperari poteſt in primo ſcrutinio, cui adiungitur imminentis mali periculum. Quia ſi contingat aliquem eſſe nominatum à duabus partibus tantum, quid tunc eſſet agendum? forſan aperiendæ ſchedulæ, etiam pro ea parte, in qua continent nomina eligentium, vt appareat validitas ſuffragiorum, & quod illæ duæ partes conſtant ex legitimis ſuffragijs, & quod nominatus non fuit ad eodem bis nominatus? Ità certè nominatus forſan poſſet prætendere, & quidem non ſine iuſtitia, quia imò præſumi deberet quod qui duas ſchedulas miſit contra iura electionis, id ex malitia fecerit ad impediendã electionem, & quod ille non fuerit ſuffragatus nominato à duabus partibus. Et en iam perplexitates, contentiones, & lites. Quia alias aperire ſchedulas pro parte, pro qua continent nomina eligentium, & eſſet non conforme ſecreto electionis, & non ſine multorum offenſione fieri poſſet. Vndè tali periculo occurrendum fuit, & non potuit ſuauius, & expeditius, & ſecurius hoc fieri quam decernendo, vt vbi ſchedulæ ſint plures quam Cardinales, ſcrutinium habeatur pro nullo.

Sed

Digitized by Google

67. Sed vbi plures ſunt Cardinales, quam ſchedulæ habetur magna ſpes boni ſine graui periculo damni. Nam ſi ex apertione ſchedularum appareat aliquem nominatum à duabus partibus ſuo voto dempto legitima habetur electio, & incertitudo ſolum remanet reſpectu voti non neceſſarij, an ſcilicet nominato defuerit votum aliquod ſuperabbundans, vel non defuerit. Item etiam ſi in ſcrutinio nullus appareat nominatus à duabus partibus adhuc ſcrutinium ſubſiſtit, & ex eo poteſt procedi ad acceſſum. Quia non eſt ambiguitas aliqua de valore ſuffragiorũ ſcrutinij, ſed ſolum an in ſchedula, aut in ſchedulis deficientibus ſit nominatus aliquis ex nominatis in alijs ſchedulis, vel alius. Et quidem crederem quod in hoc caſu, ſi aliquis ex nominatis in ſcrutinio, vel etiam quicunque Cardinalis inſtaret pro ſuo intereſſe, & iteraretur ſcrutinium, quod deberet iterari, quia ex quo poſſet eſſe, quod in ſchedulis deficientibus fuiſſet nominatus, habetet ius excipiendi contra ſcrutinium deficiens, & ad eius inſtantiam eſſet iterandum, quia pro acceſſu habendo, & obtinennendo per acceſſum electionem multum valere poteſt, quod quis ſit vel nominatus, vel nominatus à pluribus, quam à paucioribus. Sed tamen nullo reclamante ex tali ſcrutinio poſſet ſtatim fieri tranſitus ad acceſſum. Et ſic in hoc caſu magna ſpes boni eſt, & nullum periculum damni, & ſolum poteſt adeſſe dubium an iterandi ſcrutinium, tunc cum lex iuſtitiæ ad id obligat, & in caſu quod aliquis id putat.

68. Apparet igitur, quod in vtroq; caſu, non eſt eadem incertitudo, quia in primo ſuffragia data ſunt incerta, in ſecundo incerta ſunt ſuffragia, quæ deficiunt, non quæ data ſunt. Item non eſt vtrobique idem periculum, & eadē neceſſitas, quia in primo caſu imminent diſſidia, offenſiones, & rixæ, quia imminet publicitas electionis niſi ſcrutinium habeatur pro nullo. In ſecundo caſu autem nulla eſt neceſſitas iterandi ſcrutinium, niſi quam ſecum ferr iuſtitiæ lex ſuppoſito defectu numeri ſchedularum, vt ſcilicet inſtantibus habentibus intereſſe ſcrutinium habeatur pro nullo, ſi alias nullo in eo eſt à duabus partibus numeratus. Longè ergo eſt diuerſa ratio in vtroque caſu. Ideò lex *d. §. Inſuper*, non poteſt, nec debet extendi ad ſecundum caſum. Nec obſtat exemplum allatum de eo, quod factum eſt in electione fel. mem. Vrbani VIII. quia etiam vbi reperiatur minor numerus ſchedularum benè Sac. Collegium nullo ex nominatis in ſcrutinio reclamante poteſt acceſſum iterare. Et ideò amplius fieri poterit, ſi nominati ipſi inſtent pro nullitate prioris acceſſus. Ideò in eo caſu tot debuerunt concurrere circumſtantiæ, vt meritò Sac. Collegium habuerit primũ acceſſum pro nullo, & iterauerit ſecundũ. Si tamen nominatus aliquis in ſcrutinio inſtetiſſet, vt aperirentur ſchedulæ, crederem quod Sacrum Collegium debuiſſet illas aperire, & habendus fuiſſet pro Pontifice, qui adiunctis votis ſcrutinij in tali acceſſu fuiſſet à duabus partibus nominatus. Quantum ſit ex vi Conſtitutionis *Aeterni Patris*, in qua expreſſè tunc ſolum decernitur habendum eſſe ſcrutinium pro nullo ſi in eo reperiuntur plures ſchedulæ, quam Cardinales.

69. Nihilominus dicitur ſecundo, quod de facto ex vi Ritualis in vtroque, & quocunque caſu, in quo numerus ſchedularum non reſpondet numero Cardinalium ſchedulæ ſtatim ſunt comburendæ, & habendum nouum ſcrutinium. Quia in Rituali §. *Quintus actus*, id præcipitur abſolutè in caſu, in quo numerus ſchedularum non reſpondeat numero Cardinalium. Quod verificatur etiam quando plures ſunt Cardinales, quam ſchedulæ. Sicut enim non eſt credendum quod caſu, & ſine matura conſideratione in Conſtitutione *Aeterni Patris*, poſitum fuerit, quod comburantur ſchedulæ ſi ſunt plures quam Cardinales. Conſtitutionis enim Pontificiæ non niſi cum magna attentione, & verborum ponderatione eduntur. Et forſan Greg. XV. tunc reſpexit iuſtitiam eius, qui in tali ſcutinio eſt nominatus. Et qui cum non obſtante defectu numeri ſchedularum poſſit eſſe in eo ſcrutinio nominatus à duabus partibus habet ius ad aperturam ſchedularum, & ad proſecutionem electionis, & eo magis, quod ex ea apertura nullum aliud imminet periculum. Ità nec eſt imaginandum, quod in Rituali poſt dictam Conſtitutionem compoſito, & à Gregorio XV. confirmato caſu, & ſine propoſito ſint mutata verba, & loco dicendi ſi plures repertæ fuerint ſchedulæ, quam ſit numerus Cardinalium, dictum ſit, numerus ſchedularum non reſpondeat numero Cardinalium. Sed hoc ex propoſito factum eſſe cenſendum eſt, quia expeditius ſit, & ſecurius deuenire ad nouum ſcrutinium etiam in caſu, quod plures ſint Cardinales, quam ſchedulæ repertæ.

70. Hinc eſt, quod in hoc caſu etiam ſi aliquis Cardinalis diceret, ſe non dediſſe ſchedulã non eſſet hoc ei credendum. quia imò non minus facilè eſt, quod ſchedula data fuerit per aliquem ex ſcrutatoribus malitioſè ſublata, quam quod Cardinalis finxerit ſe dediſſe ſchedulam, & non dederit, quia Cardinales accedentes ad ſcrutinium ex vi Ritualis ſchedulam duabus primis digitis ſumptam eleuata manu palam, & publicè deferunt, & poſtea vidente Collegio ponunt eam in patenam, & publicè per patenam mittunt in Calicem, vndè nonniſi cum magna difficultate poteſt eſſe, vt ſi ſchedula non mittatur in Calicem id non appareat. Alias verò nec impoſſibile eſt, nec magis difficile, quod ſcrutator fingens ſe ex Calice vnam ſchedulam accipere duas accipiat, & vna earum occultata aliã iuxta ritum in alium Calicem ponat. Et quod dicitur non eſſe præſumendam hanc fraudem in ſcrutatoribus, quia hoc eſt præſumere delictum, eadem ratione dico non eſſe præſumendam in Cardinali electore fictionem, quia non ſine graui delicto Cardinalis elector poteſt fingere ſe dare votum per ſchedulam, & illud verè non date, quia hoc eſt decipere Collegium in re graui, & exponere ſcrutinium periculo, & perpleſſitatibus, & litibus, & impedire ſincerum progreſſum electionis, & in re graui tranſgredi Conſtitutionem Greg. XV. *Aeterni Patris*, & Rituale. Et eo minus hæc fictio præſumi debet in Cardinali electore, quod tandem ſciat neceſſe eſſe vt fictionem ſuam

ſuam procedat, ſi nolet ſcrutinium, & progreſſum electionis impedire. Ad quid enim fingere ſi fictionem poſtea eſt manifeſtaturus? Et tandem Rituale hæc non admittit, ſed vult, quod abſolute vbi numerus ſchedularum non reſpondeat numero Cardinalium cumburantur ſchedulæ, & nouum habeatur ſcrutinium. Vnde in caſu huiuſmodi non eſt fidendum præſumptionihus, ſed his non obſtantibus eſt; iterandum ſcrutinium. Niſi manifeſte, & ſine dubitatione conſtet aliquem Cardinalem renunciaſſe voto ſuo, ſeù non dediſſe ſchedulam, in quo caſu talis Cardinalis non eſſe numerandus, & ſic numerus ſchedularum reſponderet numero Cardinalium.

71. Verum tamen eſt, quod ſi in dicto caſu aperirentur ſchedulæ, & inueniretur aliquis in eis nominatus à duabus partibus Cardinalium excluſo voto electi, electio eſſet bona, quia eſſet ex legitimis ſuffragijs duarum ex tribus partibus Cardinalium, & defectus vnius, vel plurium ſchedularum non obſtaret, quia etiamſi in eis fuiſſet nominatus alius nihil intereſſet, quia eis non obſtantibus electus nominatus fuiſſet à duabus partibus Cardinalium exiſtentium in Conclaui. Sed & hoc verum eſſet, ſi in caſu, in quo plures eſſent ſchedulæ, quam Cardinales aliquis inueniretur nominatus à duabus partibus, & vlterius à tot, ſeu in tot ſchedulis, quot ſunt plures ſchedulæ, quam Cardinales, quia & in hoc caſu certum eſſet talem eſſe nominatum à duabus partibus Cardinalium preſentium, quia eſſet ab eis nominatus etiam demptis ſuffragijs incertis. Diſcrimen verò eſt. Quia hic caſus contrarius eſt Conſtitutioni *Æterni Patris*, & ideo tunc Cardinales eſſent excommunicati, quia contra preſcriptum dictæ Conſtitutionis id prohibentis ſub pœna excommunicationis ex eo ſcrutinio in electione vlterius proceſſiſſent. Sed in caſu, in quo plures eſſent Cardinales, quam ſchedulæ Cardinales non procedentes ad aliud ſcrutinium combuſtis ſchedulis non eſſent excómunicati, quia in Rituali non eſt pro eo facto impoſita pœna excommunicationis.

72. Circa ſextum actum, qui dicitur publicatio ſcrutinij, conſiderandum eſt, quod eſt actus longe diuerſus ab eo, qui in electionibus inferiorum Prælatorum habetur. Quia in iſtis cōſiſtit publicatio ſcrutinij in electione communi, quæ poſtquam ſcrutatores inter ſe apertis ſchedulis inuenerunt aliquem nominatum eſſe à maiori parte, & hoc publicato coram Capitulo fit ab vno nomine omnium eligente eum, quia maiori parte nominatus fuit. Sed in electione Papæ non habet locum hæc communis electio, & publicatio ſcrutinij in hoc conſiſtit, quod ſcrutatores aperientes ſchedulas pro ea parte, quæ continent nomen electi, eaſque legentes, ſcrutatorum vltimus alta, & intelligibili voce ſingulam illarum ſtatim legit, & publicat, vnde totum Collegium audit cui in ea ſuffragatum ſit, & in folio ſibi dato adnotat.

73. Merito autem hic queritur an ante huius ſcrutinij publicationem Cardinalibus liceat variare, & à voto dato reſilire non poſſe reſpondet Bonacina *diſp* 1. *q.* 5. *p.* 1. *n.* 2. & idem tenet Coccinus *in Gloſſem. pag.* 434. ſed difficultatem facere videtur *cap. publicatio de elect.* quo conceditur electoribus, vt poſſint variare ante publicationem ſcrutinij. Sed ex Io: Andr. & Panorm. in eo *cap. dicitur*, quod illud Capitulum continet ius nouum, quod non debet extendi ad electionem Papæ duplici ratione. Prima eſt, quia de iure naturæ ex conſenſibus eligentium perficitur electio taliter, quod vbi non eſt neceſſaria electio communis facta ab vno nomine Collegij, & alias electores non eligunt iure proprio, ſed iure ſibi conceſſo, & ex officio ſibi, vel à ſuperiore, vel ab vniuerſitate impoſito ſtatim ac electores eligunt, vt ſinguli funguntur officio ſuo, quo poſtquam functi ſunt non eſt vnde velint variare. In electione verò Papæ non habet locum electio communis. Et Cardinales eligunt non ex iure proprio, ſed ex officio ſibi per Pontifices impoſito, ſtatim ergo ac aliquem nominant functi ſunt officio ſuo, & res non eſt amplius integra, & non poſſunt variare. Secunda ratio eſt, quia in electione per ſchedulas ſecretas non poteſt habere locum variatio, cum ſchedulæ confundantur, & non poſſit vocalis ſuam diſcernere, vt illam poſſit mutare nec obſtat quod in electione Papæ in ſchedulis contineantur nomina eligentium, quia ſimul prohibitum eſt illas aperire pro ea parte, in qua continent dicta nomina niſi in aliquibus caſibus ex cauſa neceſſitatis nec ſufficeret ſi Cardinalis indicaret proprium ſigillum, quia in hoc poſſet eſſe fraus, & ideo non eſt permittendum.

74. Sed nunquid ſaltem totum Sac. Collegium ante publicationem ſcrutinij non poteſt variare? Coccinus vbi ſupra affirmat id fieri poſſe, ſed cóſequenter quærens an ad hoc requiratur conſenſus omnium cenſet requiri, & fundatur in ea regula, quod quando aliquid eſt commune pluribus non vt colligatis, ſed vt ſingulis non valet quod fit à maiori parte niſi omnes conueniant, valet tamen ſi id conuenit ſingulis ſolùm, vt collegiatis. Gloſſ. *in cap. Cum omnes in v. conſtitutum de conſtitut.* & ibi Felin. *n.* 15. *in* 6. *fallen.* Paris *conſ.* 90. *n.* 15. & 16. *vol.* 4. Franciſcus Marc. *dec.* 889. *n.* 1. *p.* 2. Imol. *in cap. Humilis n.* 5. & 6. *de maior. & obed.* Et quia in electione Papæ licet electio actiua conueniat Cardinalibus, vt collegiatis, electio tamen paſſiua conuenit illis, vt ſingulis, & poteſt eſſe propterea, quod fiat illis præiudicium, ſi Collegium ab electione incepta reſiliat, ideo non poteſt reſilire, niſi vel omnibus conſentientibus, vel ſub conditione, vt videatur prius, an aliquis de contradicentibus variationi ſit electus. Et tamen ſi ſit electus aliquis abſens tunc totum Collegium poterit de conſenſu maioris partis variare, quia ante acceptationem abſenti non eſt ius quæſitum.

75. Verum huic determinationi plura obſtant. Et quidem primo non eſt vera regula, quod ex quo eligitur abſens ſit in poteſtate eligentium antequam ille conſentiat variare. Huic enim regulæ obſtat *cap. ſi tibi abſenti, de præben. in* 6. vbi decernitur, quod Epiſcopus, qui abſenti contulit beneficium etiam ſi alias verum ſit, quod abſenti non acquiritur ius, nihilominus non poteſt Epiſcopus variare niſi dato ipſi

pro-

promoto termino ad conſentiendum, illè intra terminum, vel etiam poſt non conſenſerit. Et ratio huius eſt, quàm tradit Panorm. *in cap. publicato num. 3. de elect.* quia licet vbi electores eligunt nomine proprio ſi eligant abſentem poſſint variare antequam ille conſentiat electioni, tamen hoc fallit vbi electores eligunt ex officio ſibi impoſito, quia iſti terminata electione ſtatim functi ſunt officio ſuo. Et quia Epiſcopus ex officio beneficia confert, vbi contulit alicui beneficium, niſi promotus recuſet, non poteſt variare, vel in debito tempore non conſentiant. Et eadem ratione, quia Cardinales non eligunt nomine proprio, ſed ex officio, ideo poſtquam elegerunt etiam abſentem variare non poſſunt, quia iàm functi ſunt officio, & iam Eccleſia determinauit perſonam cui à Chriſto danda ſit poteſtas Pontificia, & ideo non eſt vnde Collegium velit reſilire etiam ſi abſentem elegerit. Quod confirmatur, quia ex *cap. licet*, & alijs Pontificum Conſtitutionibus electus à duabus partibus Cardinalium debet haberi vt legitimus Pontifex. Vnde non licet amplius Collegio variare. Quia ergo terminato ſcrutinio Collegium functus eſt iam officio ſuo, non poteſt Collegium reſilire, ſed tenetur procedere ad publicationem ſcrutinij, & ſi inueniat aliquẽ eſſe electum etiamſi ille ſit abſens, iam electio eſt terminata, nec datur locus variationi. Sed ſi nullus eſt electus, tunc ad nouam electionem eſt procedendum. Antequam verò ſcrutinium ſit terminatum, nec Collegium totum poteſt impedire, ne dent ſuffragium illi, qui nondum ſuffragati ſunt, quia habent ius ſuffragandi à Chriſto, & eius Vicario, nec poteſt præcipere ijs, qui ſuffragium dederunt vt varient, & ad aliud ſcrutinium procedant, quia nec illi poſſunt variare, nec Collegium poteſt illis præcipere, vt ad nouum ſcrutinium accedant, niſi ſcrutinium iam factum ex aliqua cauſa ſit nullum, ideo ſit iterandum, quia alias qui in ſcrutinio legitimo ſuffragati ſunt functi ſunt pro illa vice officio ſuo. Et quia etiam ſi in tanto numero ſuffragati ſunt, vt aliquis poſſit eſſe electus, non eſt locus variationi aut non perfectioni ſcrutinij. Et quia habent liberam facultatem vt eligant quem volunt, nec ad eligendum, aut non eligendum hunc vel illum cogi poſſunt.

POST SCRVTINIVM.

76. Tertia autem poſt ſcrutinium, & poſtrema actio, quæ poſt ſcrutinium dicitur, vel tres ſolos, vel ſeptem continet actus. Nam ſi in ſcrutinio euaſit electus Pontifex à duabus partibus Cardinalium electo non numerato, ſequuntur ſolum tres actus, qui ſunt numeratio ſchedularum, recognitio ſuffragiorum, & ſchedularum combuſtio. Sed ſi in ſcrutinio nullus euaſit electus à ſufficienti ſuffragiorum numero addſitur, & præmittuntur quatuor alij actus, qui ſunt Acceſſus, ſigillorum, & ſignorum apertio, eorum adnotatio, & ſuffragiorum examen; ad quos ſequuntur alij tres nominati actus, ſcilicet ſuffragiorum numeratio, eorum recognitio, & ſchedularum combuſtio.

77. Acceſſus eſt primus actus, qui poſt ſcrutinium ſequitur, ſi in ſcrutinio non fuit electus Summus Pontifex. Eſt autem hic acceſſus omninò neceſſarius. Nam ſi nominatus in ſcrutinio à minori parte; quàm à duabus ſe gereret vt Papam, eſſet cum adhærentibus excommunicatus ex *cap. licet de elect.* Et tunc acceſſus ille non prodeſſet, & ex Hoſtien. *in d. cap. Licet* habet Tuſcus *litt. E. conc. 58. num. 17.* Quod credo verum, quia non ſeruaretur forma electionis, quæ vult, vt non habeatur Pontifex ante acceſſum, qui in ſcrutinio nõ eſt nominatus à duabus partibus voto electi non computato. In hoc autem acceſſu omnia ſeruanda ſunt, quæ ſeruantur in ſcrutinio, præter infraſcripta vt in Cæremoniali deſcribitur pag. 118. Nam primò Cardinales ſchedulas ſumunt ex diſco, in quo paratæ ſunt ſchedulæ pro acceſſu ſecundo. In ſchedula loco verbi *eligo* dicitur *accedo*, & ſi Cardinales nulli velint accedere, dicitur *accedo nemini*. Et de reliquo ſub pœna nullitatis ſuffragij ſchedula debet complicari, & obſignari, ſicuti fit in ſcrutinio. Tertiò acceſſus nõ poteſt fieri niſi ad aliquẽ Cardinalem, qui in ſcrutinio ſaltem ab vno legitimè ſuffragante nominatus fuerit, nec quoque fieri poteſt ad eum, qui ab ipſo Cardinali fuit in ſcrutinio nominatus. Quarto licet in acceſſu Cardinales ſinguli non poſſint plures nominare, ſicut nec plures eligere in ſcrutinio ſub pœna nullitatis ſuffragij, tamen poſſunt accedere vni ex pluribus à ſe nominatis nulliter in ſcrutinio, ſi ille ab aliquo alio ſaltem ab vno fuit legitimè, & validè nominatus in ſcrutinio. Quinto in acceſſu non præſtatur iuramentum, quia fuit in ſcrutinio præſtitum etiam pro acceſſu. Sexto Infirmarij nedum ſchedulas acceſſus in patuo diſco deferunt, ſed ſimul folium impreſſum, in quo eſt notatus ſuffragiorum numerus palam recognitus, quem quiſque Cardinalis in ſcrutinio nominatus obtinuit.

78. Circa primum hunc actum Poſtſcrutinij, qui eſt acceſſus conſiderandum primò eſt, quod eius vſus admittitur in electione Summi Pontificis. Eius autem vſum quidam fundant in Conſtitutione Alexandri III. in Concil. Lateranenſi, vt habetur *cap. Licet de elect.* ponderanda verba illa: *Præterea ſi à paucioribus, quam à duabus partibus aliquis electus fuerit, ad Apoſtolatus officium, niſi maior concordia interceſſerit, nullatenus aſſumatur*, Quæ verba ſic interpræantur, vt ſit ſenſus, quod vbi inuentus fuiſſet aliquis nominatus à paucioribus, quam à duabus partibus, non haberetur Pontifex, niſi ſcilicet ex Cardinalibus, qui non elegerant tot acceſſiſſent ad electum, vt duæ partes in eum conſenſiſſent Hoſtienſ. *in d cap. Licet nu. 22. & ſeqq.* Bellam. *n. 14.* Imol. *nu. 11.* Dec. *nu. 23.* Quamuis verò negari non poſſit acceſſum hunc non habere ſuum fundamentum in eo capite, tamen vſus acceſſus in electione Papæ multo eſt antiquior. Nam & vt habet Anaſtaſius, & ex eo Baronius anno 536. cum per vim à Theodato Rege fuiſſet intruſus Siluerius ſine decreto, & multi Sacerdotum Electioni nec ſubſcripſiſſent, nec conſenſiſſent, nihilominus quia & ordinato decretum confirmarunt, & electioni pro bono pacis conſenſerunt, Siluerius, & habitus fuit, & verè fuit Pontifex Romanæ Eccleſię, & fuit Paſtor bonus, qui etiam

Sacer-

Sacerdotium corona martyrij honorauit. Sed, & eiuſdem Alexandri III. electio acceſſum habuit. Nam primò ex Cardinalibus, qui triginta erant quatuordecim ad fauorem Alexandri vota dederunt, alijs nouem ſuffragantibus pro Octaniano Monticello Romano Præsbyt. Cardinali tutulo S. Cæciliæ. Alij verò quinque incerti primum quidnam agerent, mox maioris partis conſenſum ſequuntur, ad 19. numerum augentes. Quo cognito quatuor alij ex ijs, qui Octauiano dicto Victori Tertio votum dederant, ad Alexandrum acceſſerunt. Et ita Alexander à tribus, & viginti PP. Victor verò ſolum à quinque nominatus fuit. Ciaconus in vita Alexandri III.

79. Conſiderandum eſt ſecundo, quod ſicut ſupradictum eſt, quod verbum *eligo* non eſt de ſubſtantia, & valida eſſet electio ſi diceretur nomino, vel conſentio. vel alio modo verbaliter mutaretur forma dicendi, ita tamen vt exprimeretur conſenſus in determinatam perſonam ſufficienter. Ità dicitur de verbo accedo, & de forma acceſſus, vt ſetuato, ſenſu, & expreſſione conſenſus in aliquem ex nominatis in ſcrutinio non eſſet irrita electio. Coccinus *ad §. Et vt acceſſus pag.* 428. *àter.*

80. Conſidero tertio, quod licet de præcepto ſit, vt vbi quis nulli velit accedere in loco, vbi ſcriberetur nomen Cardinalis, ſi elector ad eum accedere vellet, ponatur verbum *nemini*, tamen neque hoc eſt de ſubſtantia, & ſi omitteretur iam ſatis appareret, quod Elector nulli accedit.

87. Circa hunc acceſſum etiam benè aduertit Lauor. *de elect. cap.* 7. *n.* 18. quod ſi ex accidenti eſſet nullus, & ſchedulæ eſſent comburēdæ, & ipſe iterandus, non per hoc eſſet nullum ſcrutinium, quod validè anteceſſit. Nam ſcrutinium, & acceſſus ſe habent vt partes ſeparatæ, & ſicut electio, & confirmatio. Innoc. *cap.* 2. *de reſtit. in integr.* & in habentibus huiuſmodi cauſam ſeparatam poſterius non vitiat prius.

82. Et nihilominus attendi debet, quod ſemel ſolum liceat accedere in quolibet ſcrutinio, prout decernitur in Conſtitutione *Aeterni Patris*, §. *Neque in quolibet*. Niſi enim Pontifex prohibuiſſet acceſſum pluries haberi, quolibet ſcrutinio Cardinales illum iterare potuiſſent. Tunc enim habuiſſet locum regula, quæ habetur *cap. Inter corporalia de translat. Epiſc.* ſcilicet, quod non eſt prohibitum, cenſetur conceſſum, & Cardinales pendente ſcrutinio pluries potuiſſent accedere. Nam abſolutè hoc licere dixerunt Hoſtien. *in cap. Licet num.* 24. *de elect* & ibi Panormit. *nu.* 8. *v. Quintum ſpeciale.* Specul. *in cap. Vbi periculum n.* 37. *eod. tit.*

83. In eodem quoque §. *Neque in quolibet*, declaratur, quod per votum acceſſus non receditur a voto ſcrutinij. De hoc enim poterat dubitari. Nam DD. *in cap. Licet de elect.* dicunt, quod durante ſcrutinio Cardinales poſſunt reſilire à primo voto per acceſſum, & non alias. Panorm. *num.* 8. *v. Quantum ſpeciale.* Hoſtienſ. *num.* 25. Meritò igitut declaratum eſt, quod per votum acceſſus non cenſetur receſſum à voto ſcrutinij,

84. Sèd & hoc conſiderandum, quod acceſſus non habet locum niſi reſpectu eius, qui ſit nominatus in ſcrutinio, ſed tamen nullus eſt in ſcrutinio nominatus, cui non liceat accedere. Primum horum ſupponitur à Gregor. XV. in Conſtitutione *Aeterni Patris, in* §. *Et vt acceſſus*, ibi: *Qui alicui ex nominatis in ſcrutinio accedere voluerit*, & expreſsè decernitur in Rituali §. *Primus itaque actus, verſ. Tertio*, & ſatis dare ex *cap. Licet de ele.* deduxerunt Hoſtien. *n.* 22. *& ſeqq.* Bellam. *nu.* 14. Imol. *nu.* 11. Dec. *nu.* 23. Gloſſ. *in cap. Indemnitatibus, ver. Præſumi de elect. in 6.* Vbi Anchar. *nu.* 5. Specul. *in cap. Vbi periculum nu.* 38. Specul. *de elect. in* 6. E contra verò cuilibet nominato in ſcrutinio poteſt accedi. Et ità quod qui in ſcrutinio nominauit aliquem non poteſt votum reuocare, vt acceſſioni non ſit locus. Ant. de Roſell. *De poteſt. Papa, & Imperat. tit. De forma eligendi*, quem refert, & ſequitur Coccinus *in* §. *cit. Gloſſem. ad* §. *Et vt acceſſus fol.* 427. *àt.* Et hoc adeo verum eſt, quod ſi quis plures nominauerit in ſcrutinio, licet illud votum ſit nullum, non tamen prohibitum eſt illi accedere ad aliquem à ſe ſic nulliter nominatum, ſi ille aliquod aliud ſuffragium validum habuit in ſcrutinio, vt expreſsè declaratur in Rituali §. *Primus itaque actus, v. Quanto.*

85. Tandem aduertitur, quod non licet, vel in ſcrutinio, vel in acceſſu plures nominare, & ſi id fiat votum eſt nullum. Conſtit. Gregor. XV. in §. *Nulli autem*, fuit autem neceſſe hinc declarare, quia vt habet Compoſtell. *in c. Licet de elect. in 6.* Cardinales de conſuetudine poterant tres nominare hoc ordine ſcilicet, *Conſentio primo in A. ſecundo in B. tertio in C.* & per huiuſmodi nominationem cuilibet nominata acquirebatur tantum vnum votum. In vi cuius ſi omnes tres habebant duas partes primus nominatus debebat obtinere. Specul. *in cap. Vbi periculum nu.* 25. *de elect. in* 6. Sed hoc modo eſt reuocatum ſub pœna nullitatis ſuffragij.

86. Secundus, tertius, & quartus actus locū habent, ſi enim inueniatur aliquis Cardinalis in ſcrutinio, & acceſſu nominatus à duabus partibus Cardinalium, vt appareat an electio ſit legitima, ſequuntur ſignorum, & ſigillorum apertio, eorum adnotatio, & ſuffragiorum examen. Diligenter enim iuxta formam in Ceremoniali pag. 117. deſcriptam apertis ſigillis ſchedularū acceſſus ex ea tantum parte, in qua ſigna deſcripta ſunt recognoſcuntur ſchedulæ acceſſuum quōs electus obtinuit, & earum ſchedularum ſigillatim, & ſigna prius viſa à primo, & ſecundo ſcrutatoribus, alta voce pronunciantur à tertio ſcrutatore, & ab eo in folij impreſſi in latere ſiniſtro adnotantur, & etiam ſi volunt eadem ſigna adnotant alij Cardinales. Hoc igitur peracto cum iam manifeſta ſint ſigilla, & ſigna ſchedularum acceſſus, in quibus electus per ſcrutinium nominatus fuit, ad ſuffragiorum examen deuenitur, & tunc primò ſigilla ſchedularum ſcrutinij inſpiciuntur per primum ſcrutatorem, & incipiendo ab vno capite fili, in quo inter ſe ſunt ſchedulæ ſcrutinij, inquiritur an inueniatur aliquod ſigillum in ſchedulis ſcrutinij, quod conueniat cum aliquo ex ſigillis acceſſus iam notatis, & hoc inuento aperitur ſchedula ſcrutinij ex

S ea

Digitized by Google

ea parte, qua continet ſigna, & inquiritur an conueniant etiam ſigna, hac regula ſeruata, quod ſchedulæ ſcrutinij, quæ non conueniunt in ſigillo cum ſchedulis acceſſus omittuntur, & ſi conueniant in ſigillo, ſed non in ſignis iterum omittuntur, ſed ſi conueniunt in ſigillo,& ſignis ſit tertia inquiſitio, an conueniant in perſona nominata. Si igitur ſchedula aliqua ſcrutinij inuenitur conuenire cum aliqua ſchedula acceſſus in ſigillo, & ſignis, & perſona nominata ſuffragium acceſſus cenſetur nullum, ſed ſi ſchedulæ ſcrutinij, & acceſſus conueniant in ſigillo, & ſignis, ſed diſcordent in perſona nominata, ſuffragium acceſſus cenſetur validum. Vnde tunc tertius ſcrutator alta, & intelligibili voce enunciabit ſigillum, & ſigna ſchedulæ ſcrutinij, ac nomen electi, quod in ea continetur, & adnotabit in latere dextro prædicti folij impreſſi, quod & facere poterunt alij Cardinales. Quia igitur poteſt contingere, quod duo, vel plures Cardinales conueniant in eodem ſigillo, & ſignis: ſi contingat duas, vel plures ſchedulas ſcrutinij reperiri cum eiſdem ſigillis, & ſignis alicuius ſchedulæ acceſſus, tunc ſi in earum ſchedularum acceſſus aliqua electus nominatus fuerit, in alia verò alius, primus ſcrutator reliquis ſcrutatoribus ſimiliter inſpicientibus, ſcrutinij ſchedulas huiuſmodi, & ſchedulam acceſſus in ea etiam parte, in qua eſt nomen eligentis, & accedentis aperiet, vt conſtare poſſit ſecundum Gregorianam Conſtitutionem de validitate, vel inualiditate acceſſus. Si verò in aliqua huiuſmodi ſchedularum ſcrutinij concordantium cum acceſſu non ſit nominatus electus debent eæ ſchedulæ omitti, & ad ſubſequentes procedendum erit. Ratio autem ſupradictæ conſiderationis, & admonitionis eſt, quia vbi ſchedula ſcrutinij, & ſchedula acceſſus conueniunt in ſigillo, ſignis,& perſona ſuffragium acceſſus cenſetur nullum, quia cenſetur, quod idem Cardinales eandem perſonam nominauerit tam in ſcrutinio, quam in acceſſu. Sed hoc poteſt contingere, vt non ſit verum, ſi contingat, quod duo Cardinales, vel plures conueniant in ſigillo, & ſignis, & tamen non omnes nominent electum in ſcrutinio, ſed vnus eorum nominet eum, qui videtur electus à duabus partibus, & alius nominet alium, in quo caſu ſimul poteſt contingere, quod ille, qui nominauit alium ſit ille, qui poſteà acceſſit electo, in quo caſu diſtincti eſſent, qui nominauit electum, & qui illi acceſſit, & ideo ſuffragiũ acceſſus eſſet validum, & per conſequens, vt hoc appareat, debent ſchedulæ aperiri etiam ex parte, in qua continent nomina eligentis, & accedentis, vt videatur ſi idem eligit, & acceſſit eidem.

87. Circa huiuſmodi tres actus aliqua etiã conſideranda ſunt. Et quidem primò, quod cũ in Conſtitutione *Aeterni Patris*, §. *Poſtea verò*, & in Rituali §.*Secundus, Tertius*, & *Quartus actus*, contineatur, vt tres huiuſmodi actus non habeantur, niſi quando ſecuta eſt electio per ſcrutinium, & per acceſſum, nihilominus videri poſſet, quod fuiſſet vtile diſponere abſolutè, vt tales actus ſemper haberentur ad vitandam fraudem, quæ accidere poteſt, cum aliqui Cardinales in acceſſu poſſent ei, qui ab ipſis nominatus fuit in ſcrutinio accedere, ad hoc vt appareret magna concordia circa illum illum nominatum, & ſic diſponeretur eius electio habenda pro futuris ſcrutinij, & acceſſibus. Sed reſpondetur, quod huiuſmodi fraudi ſatis prouiſum eſt per Cenſuram excommunicationis latam contra eos, qui accedunt ei, quem nominauerunt in ſcrutinio. Alias enim longum eſſet, cum ex ſcrutinio; & acceſſu non habetur electio detinere Cardinales in recognoſcendis illis ſignis. Et imò ex tali frequentia recognitionis facilius ſecretum electionis detegi poſſet. Quamobrem Coccinus ad *d. §. Poſtea vero, pag.*421. *à terg.* arbitratur apertionem ſignorum, non ſecuta electione non poſſe fieri à Cardinalibus ſine culpa mortali, & incurſu excommunicationis.

88. Secundo conſiderandum eſt, quod ad valorem voti acceſſus tam Conſtit. *Aeterni Patris in §. At ſi*, quam rituale requirunt, vt ſigillum, & ſigna ſchedularum acceſsus reſpondeant ſigillo, & ſignis ſchedularum ſcrutinij, nihilominus Coccinus *ad d.§. Poſtea, & ad §. At ſi, pag.* 414. & 418. arbitratur, quod ſufficiat conuenientia in duobus ex illis, vt v.g, in ſigillo, & numero appoſito in ſchedulis. Ratio illius eſt, quia cõformitas iſta non requiritur ſimpliciter, ſed ad certum effectum, vt ſcilicet appareat duo ſuffragia eidem nominato data in ſcrutinio, & acceſſu non fuiſſe ab eodem Cardinali. Igitur ſi ſit tanta conuenientia, vt appareat non eſſe eundẽ Cardinalem, qui ſuffragatus eſt eidem in ſcrutinio, & in acceſſu habebitur intentum Pontificis, & votum acceſsus non erit cenſendum nullum. Ad habendum autem hanc identitatem ſufficit conuenientia in duobus ſignis, quia duo confinia de iure ſufficiunt ad oſtendendam identitatem rei, licet non omnia conueniant, Bartol. in *l.demonſtratio falſa n.*14. *ff.de condit.& demonſtrat.* Sic ergo, & in præſenti ſufficit conuenientia ſigillo cum aliquo ſigno, maximè cum verſemur in materia pœnali, ad quod propoſitum facit: Abb. *in cap.Rodulphus nu.* 3. *de reſcript.* vbi quod quando vna dictio poteſt accipi in genere, & in ſpecie, ſi ſumus in materia odioſa capitur, vt ſpecies, non vt genus.

89. Sed in contrarium eſt, quod Rituale in §.*Omnes itaque actus*, habet quod ſchedula acceſſus ſcribi,& obſignari debet cum eiſdem ſigillis, & ſignis ſchedulæ ſcrutinij ſub pœna nullitatis ſuffragij ipſius acceſſus, & hoc habet fundamẽtum in *d.* §. *At ſi*, in quo votum acceſſus declaratur nullum, ſi ſchedulas ſcrutinij ijſdem ſignis ſit notata, quibus ſchedula acceſſus ſignata erit, & ſi irritatur ſuffragium quando non concordãt ſigna ſchedularum ſcrutinij, & acceſſus, nec ratio in oppoſitum probat, quia eſto ad eandem rem probandam poſſint induci plures probationes, quando tamen lex vnum genus probationis exigit, aliæ non ſufficiunt. Quod ex eodem Coccino probatur, ex eo quod ſi omnes ſchedulæ ſcrutinij, & acceſſus conuenirent in ſigillis, et ſignis,& vna ſola non conueniret, hoc quidem ſufficeret ad probandam identitatem huius ſchedulæ,vt ſcilicet conueniat cum illa ſchedula ſcrutinij, quæ nullam habet correſpondentiam cum ſche-

Digitized by Google

ſchedulis acceſſus, quia quando alias res non apparet præſumitur identitas, quæ identitas poteſt etiam probari per alias demonſtrationes, quam per confinia. Bald. *conſ.*265. *num.* 1. *lib.* 2. Io. Andr. *in cap. Auditis de præſcrip.* Et nihilominus idem Coccinus ſentit, quod in propoſito talis genus probationis non ſufficeret, quia in *d* §. *At ſi* lex habet, quod ſi ſchedula ſcrutinij nõ reperiatur iiſdem ſignis mutata, quibus ſchedula acceſſus ſignata erit ſuffragium acceſſus ſit nullum. Et ideo quando ſigna non adſunt etiam, quod adſit alia probatio, illa non ſufficit.

90. In ſimili ergo etiam ſi identitas perſonæ votantis in ſcrutinio, & acceſſu poſſet probari per conuenientiam in ſigillo, & vno ſigno, hæc probatio non ſufficit, quia lex requirit conuenientiam in ſigillo, et ſignis omnibus. Sed hoc amplius euidenter probatur, quia verum eſt, quod duo confinia ſufficiunt, vel duo ſigna ad probandam identitatem rei, quando illa infallibiliter probant. Sed quando duo ſigna nõ probant infallibiliter, et propterea lex tria requirit, vt habeatur maior certitudo, duo non ſufficiunt. In propoſito enim conueniẽtia in duobus ſignis non eſt probatio infallibilis, quia imo poteſt contingere, quod duo Cardinales in duobus ſignis conueniant. Propterea lex habens pro inſufficienti, et fallibili probatione identitatis conuenientiam in duobus ſignis, requirit conueniẽtiam in tribus, quia licet, et metaphyſicè ſit impoſſibile, quod plures Cardinales conueniant etiam in tribus ſignis, tamen moraliter hoc cenſetur eſſe valdè difficile ſi non omninò impoſſibile, et ideò ad probandam identitatem Cardinalis votantis in ſcrutinio, et in acceſſu, voluit adeſſe conuenientiam in tribus ſignis. Et quamuis hæc probatio etiam non ſit omnino infallibilis, quia maximè, et ex induſtria poteſt vnus alterius ſigna penetrare, et eis ex propoſito ad aliquem finem vti. Tamen lex habuit hanc probationem pro ſufficienti, quia de raro poteſt fallere, et multiplicare ſigna non fuiſſet ſine confuſione aliqua, et incommodo notabili.

91. Colligitur vero ex his, quod ad valorẽ voti acceſſus duo copulatiuè ſunt neceſſaria, vt habetur ex *d.* §. *At ſi*, quod duæ ſchedulæ ſcrutinii, et acceſſus conueniant in omnibus ſignis. Secundum quod in eiſdem ſchedulis idem non ſit nominatus. Et vna harum conditionum deficiente votum acceſſus eſt nullum, & non admittendum. Ideo vbi ſigna vtriuſque ſchedulæ non conueniunt, non habetur ratio voti acceſſus, ſed ſi conueniunt ſigna, et idem in vtraque ſchedula eſt nominatus, votum acceſſus etiam eſt nullum.

92. Sed quid dicendum ſi votum ſcrutinij, & acceſſus nullum ſignum habet. Cardinalem ſic dantem ſuffragium eſſe excommunicatum nõ eſt dubium. Cum in §. *Suffragiorum Conſtitution. Aeterni Patris* præcipiatur ſchedulas ſigillo, et duobus ſignis muniri, et in §. *Si quis*, imponatur excommunicatio præfata non ſeruantibus. Hic tamen defectus votum ſcrutinii non irritat, quia huiuſmodi ſigna non ſunt inſtituta pro ſcrutinio, ſed pro habendo valore acceſſus, vt ſcilicet poſſit cognoſci ſi in acceſſu idem Cardinalis accedat illi, quem nominauit in ſcrutinio, Quantum autem ad votum acceſſus Coccinus vbi ſupra, inquit, quod non auderet annullare huiuſmodi votum, quia nullibi in Conſtitutione legitur, quod votum ſic datum ſit nullum. Sed dicendum eſt hanc nullitatem ſatis contineri in §. *At ſi*, ibi: *Si inter ſchedulas ſcrutinij nulla reperitur iiſdem ſignis notata, quibus ſchedulas acceſſus &c. ſuffragium acceſſus nullum ſit*. Conſiderandũ eſt enim quod Pontifex ad cuſtodiendum ſecretum electionis quantum fieri poteſt voluit vitare neceſſitatem aperiendi ſchedulas pro ea parte, pro qua continent nomen eligentis, et ideo propter hoc inſtituit ſigna ſchedularum, vt ex eorum conuenientia ſciatur, quod non eſt idem qui accedit ad *B.* cum eo, qui eum eligit in ſcrutinio, quod ſine ſignis cognoſci non poteſt, niſi videndo nomina eligentium. Dum ergo ſub pœna nullitatis ſuffragii vult conuenientiam ſchedularum in ſignis, multo magis vult ſchedulas eſſe ſignatas, quia non conueniunt in ſignis ſchedulæ, quæ ſigna non habent, et quæ non habentes ſigna nullo modo probare poſſunt identitatem, vel non identitatem eligentis, et accedentis, niſi in apertis pro ea parte in qua continent nomina. Ideo ſchedula acceſsus ſigna non habens votum acceſsus irritum continet, quia talis ſchedula non conuenit in ſignis cum ſchedula ſcrutinij, quia non continet ſigna.

93. Quintus actus, qui eſt numeratio ſuffragiorum ſemper eſt neceſſarius, ſiue ex vi ſcrutinij, vel ſcrutinij, & acceſſus habeatur Papa, ſiue non habeatur. Conſiſtit enim hæc numeratio in collatione numeri ad numerum. Nam primò numerantur ſuffragia, quæ quilibet Cardinalium obtinuit, & ſi computatis ſuffragijs tam ſcrutinij, quam acceſſus numerus ſuffragiorum collatus cum numero Cardinalium præſentium in Conclaui inuenitur, quod hic numerus non pertingit ad duas tertias partes numeri Cardinalium non habetur Papa. Si verò numerus ſuffragiorum ſcrutinij tantum, vel ſcrutinij, & acceſſus ſimul pertingit ad duas tertias partes tantum aperienda eſt ſchedula electi etiam in ea parte, in qua continet nomen eligentis, & ſi inuenitur, quod electus elegit alium, non verò nominauit ſe ipſum nec in ſcrutinio, nec in acceſſu habetur Papa, ſed ſi electus elegiſſet ſe ipſum, vel ſibi acceſſiſſet, non habetur Papa, Sed ſi numerus ſuffragiorum excedit duas tertias partes Cardinalium tunc ſiue alia inquiſitione electio cenſetur canonica. Sed ſi contingat plures eſſe nominatos æqualiter, & vel duas tertias partes ſuffragiorum obtinuiſſe, vel vltra duas tertias partes in pari numero, nullus eſt Papa, & electio eſt nulla, in imparitate verò ille eſt Papa, qui ſuperat alium etiam in vno ſolo ſuffragio.

94. Circa verò hunc quintum actum, in quo numerantur ſuffragia, & ſit collatio numeri ad numerum, vt inueniatur an aliquis ſit nominatus à duabus partibus Cardinalium dempto voto electi, primò occurrit conſiderandum, qui Cardinales ſint computandi in eo numero, cuius ad valorem electionis duæ partes ſufficiunt. Et ideò quæritur. An Cardinales inhabiles, vel ex culpa carentes voce ſint computandi in ſu-

S 2 men-

menda ratione duarum partium Collegij.

95. Supponit quæſtio dari poſſe electionem Papæ in qua ad ſuffragium actiuum admiſſus fuerit aliquis voce priuatus, ſiue quia ad habendam vocem ſit inhabilis, vt quia non ſit Cardinalis, vel ſi ſit Cardinalis non ſit promotus ſaltem ad Sacrum ordinem Diaconatus, vel ſit amens, & carens vſu rationis, vel ſit Cardinalis intruſus, aut licet de iure ſit habilis, ſit tamen inhabilis de facto, quia ob eius culpam ſit ipſo iure voce priuatus. Hæc tamen ſuppoſitio ferè impoſſibilis eſt.

96. Nam primò electio Papæ ab alijs electionibus diſtingnitur, quia Collegium Cardinalium eſt in hac parte Supremus Iudex, a cuius ſententia non eſt dabilis appellatio, quod inferioribus Collegijs non competit. Quod enim ad Collegium Cardinalium pertineat videre, & iudicare qui ſint vocales legitimi in electione Papæ, ex eo concluditur, quod Collegium Cardinalium Sede vacante in ijs, quæ ad accelerandam legitimam Papæ electionem ſpectant, habet ſupremam Iuriſdictionem *cap. vbi periculum §. hoc ſacro, de elect. in 6. & conſtit. Pij 4. in eligendis §. Sedis.* vnde in Rituali §. *Porrò Capitula,* decernitur, vt antequam deueniatur ad electionem videatur an adſit Cardinalis, qui non ſit ſacro Diaconatus ordine inſignitus. Cum enim ex vocalium inhabilitate poſſit Papę electio reddi nulla nec detur ſede vacante iudex Superior Collegio Cardinalium, qui commodè, & iuxtà negotij exigentiam poſſit cognoſcere de idoneitate vocalium, neque hoc iudicium diferri poſſit, vel ad Concilij congregationem, vel poſt tempus electionis ad Papam electum, cum ſi eius electio ſit nulla ex eo, quod fuerit ex nullo ſuffragio ipſe non ſit nec Papa, nec Iudex, qui de ſua electione poſſit decernere. Ideò hoc iudicium ſpectat meritò ad ſacrum Collegium Cardinalium Et quidem inappellabiliter, quia hoc eſt iudicium quod non poteſt niſi cum maxima Eccleſiæ incommoditate, & damno, & ſchiſmatis euidentiſſimo periculo diferri vſque quo Concilium aliquod fuerit celebratum, quod de ſententia lata à S. Collegio iudicet, ſed ſtatim eſt hoc punctum finaliter determinandum. Et bonum Eccleſiæ ex lege naturali, & diuina vult, in hoc caſu bonum priuatum cedat bono vniuerſali, & quod etiam dato caſu, quod aliquis Cardinalium vocè habilis fuerit excluſus tanquam inhabilis, talis Cardinalis non habeat ius reclamandi cum tanto Eccleſiæ damno ſed excluſus à Sac. Collegio omninò in ea electione tanquam extraneus ſit habendus, nullo ex ea excluſione redundante defectu, qui poſſit electionem irritam reddere. Collegium igitur Cardinalium, quia in ijs, quæ ad electionem Papæ ſpectant repræſentat Vniuerſalem Eccleſiam, tanquam ſupremus Iudex ſi aliqua oppoſitio, & exceptio detur contra ſuffragium alicuius Cardinalis, illam examinat, & diudicat, & ſi illum Cardinalem cenſet eſſe legitimum vocalem, iam talis eſt habendus, & eius habenda eſt ratio in colligendo numero duarum partium. Et ſi Collegium iudicat non eſſe legitimum ab electione, & Conclaui eijcitur ſi liberè non exeat, & eius tanquã alieni nulla habetur ratio.

97. Sed dato caſu, quod inhabilitate alicuius Cardinalis ante electionem non cognita, poſt electionem excipiatur de ea, & examinato negotio appareat illius ſuffragium verè fuiſſe ipſo iure nullum, vel etiam ſaltem hoc remaneat dubium priuilegium aliud Sacri Collegij eſt attendendum, quia ſcilicet electio per ſcrutinium debeat fieri per ſecreta ſchedularum ſuffragia, tamen ſchedulæ continent nomen eligentium, & in caſu neceſſitatis aperiendæ ſunt etiam pro ea parte, in qua eligentium nomen continent, vt habetur in Conſtitut. *Aeterni Patris* Greg. 15. §. *at ſi inter ſchedulas*. Vnus verò ex caſibus neceſſitatis, in quibus nomen eligentium eſſet recognoſcendum hic eſt, vt videatur ſi electio vim habeat, & procedat ex nullo ſuffragio, vt ex doctrina Innoc. *cap quia propter de elect. n. 7. &* Card. ibi *n. 6. ver. 37.* probat Coccinus *vbi ſupra pag. 365.* à tergo. Quamobrem antequam ſchedulæ comburantur in caſu dubio aperiendæ ſunt ſchedulæ. Quia nimirum ſi electus eſt nominatus à tot Cardinalibus vltra duas tertias partes, quod certum eſt etiam eo dempto, vel demptis ſuffragij nullis, vel dubij, adhuc illum remanere nominatum à duabus tertijs partibus nihil curandum eſt de votis illis inhabilibus, ſed electus pro Pontifice legitimo eſt habendus. Tunc enim locum habet regula quod vtile per inutile non vitiatur. *cap. non debet de reg. iur. in 6.* Gemin. *conſ. 97. in fin.* Bald. *conſ. 475. n. 7.* Coccin. *vbi ſupra pag. 364.* Ideo ſi hoc ſit dubium aperiendæ ſunt ſchedulæ & vbi inuentum fuerit Cardinalem inhabilem non fuiſſe ſuffragatum electo, ſed eum à duabus tertijs partibus ſuffragiorum legitimorum fuiſſe nominatum pro legitimo Pontifice eſt habendus.

98. Sed quid dicendum ſi ſchedulæ fuerint combuſtæ, & nihilominus alicui Cardinali opponatur nullitas ſuffragij, & alias non ſit certum an Cardinalis ſuffragatus fuerit pro electo, & talis Cardinalis ſuffragio dempto iam non remaneant duæ partes Cardinalium, à quibus electus nominatus fuerit? multis diſtinctionibus ad hanc difficultatem reſpondet Coccin. *vbi ſupra à pag. 364.* Nam vel duo fuerunt nominati à duabus tertij, vel vnus ſolus. Si duo fuerunt nominati, quorum vnus tamen excedit duas tertias per vnum votum, ſi alius ſe opponit ad eum pertinet probare ius ſuum, & ex conſequenti, quod votum illegitimum ſibi non fuerit ſuffragatum. Si verò vnus ſolus eſt electus, & tunc vel de nullitate ſuffragij oppoſitum fuit ante electionem, & ad electum pertinet probare, quod ex voto illegitimo vim non habet eius electio. Vel appoſitam fuit poſt electionem, cum in hoc caſu materia videatur improbabilis combuſtis ſchedulis videretur, quod obijciens deberet ſuccumbere, quoniam præſumptio ſtat pro valore electionis. Nihilominus ipſe putat, quod non ſimus in materia improbabili, & quod licet electio ſit ſecreta, adhuc vel per teſtes, ad quorum fauorem ille inhabilis dedit votum, vel ex coniecturis, quæ in hac materia ſufficerent probari id poſſet.

Sed

99. Sed contrà huiuſmodi dicta plures adſunt inſtantiæ. Et quidem primò valdè difficile creditu eſt, quod in materia Papatus ſtandum ſit coniecturis, vt ſufficiant coniecturæ ad probandum, quod aliquis ſit legitimè electus in ſummum Pontificem. Secundo diſtinctio de oppoſitionibus factis vel ante, vel poſt electionem non adaptatur. Quia ſi fiant ante electionem debent ante electionem diſcuti, & ità ſiet ſine dubio, quia Collegium Cardinalium grauiſſimè peccaret, ſi expectaret ad has diſcutiendas, quod Papa ſit electus, & multò magis, ſi expectaret, quod ſchedulæ eſſent combuſtæ, cũ vt ex Rituali habetur §. *Porrò Capitula*, antequam ad electionem procedatur cognoſcere debeat de validitate, & legitimitate vocalium; Et hoc electionis ordo ex vi inſtitutionis ſuæ, & de iure diuino petit, vt ad electionem Papæ non admittatur vocalis, vel certa, vel ſub dubio illegitimus, cum hoc à ſolo Collegio ſit cognoſcendum, & contra ordinem rei ſit id cognoſcere poſt electionem. Tertio quia hic locum non habent, quæ de obligatione ad probandum adducuntur, tanquam competat opponenti, vel excipienti. Aliud enim eſt An votum ſit legitimum, vel non legitimum, & aliud eſt an votum illegitimum fauerit huic vel illi in electione. Eſto primum eſſet probandum ab opponente quando ageretur contrà Cardinalem habentem titulum ad ſuffragandum, & poſſeſſionem ſuffragij, tamen ſecundum ſemper probandum eſt ab electo, qui ex vi electionis vult ſe haberi vt Papa. Nam conſtito de illegitimitate ſuffragij, tota intentio electi fundatur in eo, quod eius electio non habeat vim ex voto illegitimo, quod eſt ab eo probandum, quia fundamentum intentionis à quocunque aliquid prætendente prius eſt probandum *l. nimis graue C. de teſtibus l. qui accuſare C. de edend. l. ſi minorem Cod. de integr. reſtitut.* Rota *deciſ.* 414. *nu.* 2. *p.* 2. *recent.* Et ità quod non ſufficit probare fundamentum intentionis præſumptiuè, ſed neceſſe eſt illud probare concludenter Rota *dec.* 102. *nu.* 6. *p.* 1. *diuer. & dec.* 1131. *nu.* 2. *&* 1249. *nu.* 7. *coram* Seraphin. *& dec.* 157. *nu.* 4. *p.* 7. *recent.* Suppoſita igitur nullitate vel incertitudine alicuius ſuffragij, ſi electus prætendit ſe eſſe legitimè electum, ex eo quod vocalis nullus, vel dubius non ſibi, ſed alteri ſuffragatus ſit, hoc ipſe debet concludenter probare. Et quod dicitur, quod in dubio præſumitur pro valore actionis non aptatur propoſito noſtro. Quia ideſt verum, vbi præſumi poſſint adfuiſſe ea, quæ ad actionis valorem ſunt neceſſaria. Sed in præſenti caſu non eſt vnde præſumatur, quod vocalis nullus vel dubius alteri ab electo fuerit ſuffragatus, nam ſi de hoc conſtaret, vel per inſpectionem ſchedularum vel aliunde probatum eſſet, eſſemus extra caſum noſtrum, & in dubio niſi aliud addatur non eſt vnde præſumatur, quod vocalis dubius magis fauerit alteri, quam ei, qui eſt nominatus à duabus partibus. Et hoc cum ſit probandum, id probare ſpectat ad eum, qui ſe prætendit electum. Vnde eſt, quod in caſu in quo plures ſint electi ad eum qui habet plura ſuffragia apparenter, & ex hoc prætendit ſe eſſe legitimè electum pertinet in caſu dubio probare, quod ea vi illegitimi ſuffragij non fuerit electus.

100. Ego propterea in hac parte dicerem quod vbi aliquis non habeat titulum eligẽdi ſaltem coloratum, vt quia eſt laicus, vel non Cardinalis omninò debet eijci ab electione ſi verò loquimur de habente titulum eligendi ſaltem colloratum, licet in rei veritate non ſit legitimus vocalis, vel ante electionem opponitur illi defectus, vel poſt electionem. Si ante electionem Sacrum Collegium omninò tenetur decernere de legitimitate vocis illius, vel illorum, quibus ſit oppoſitio, nec eſt periculum, quod ſtante oppoſitione Sacrum Collegiũ muneri ſuo deficiat, & ad electionem cum vocali, aut vocalibus dubijs accedat, quia ſi id faceret ageret contra omne ius diuinum, & humanum. Si autem oppoſitio fiat poſt electionem, dicitur quod non eſt facta in tempore & quod eſt omnino reijcienda, & non admittenda. Tum ex *cap. licet* decernente electum à duabus partibus Cardinalium habendum eſſe tanquam legitimum Pontificem ſine aliqua exceptione tum quia, ex communi ſententia agens ex publico officio ſi habeat titulum ſaltem colloratum, & interueniat communis error legitimè agit, & geſta per eum ſunt valida. Itaque Cardinalis ex publico munere eligens, & habens titulum eligendi ſaltem coloratum, ſi nullus ei reſiſtit, & admittitur tanquam legitimus vocalis eſt talis pro tunc in rei veritate Eccleſia ſupplente defectum, & legitimè eligit, & eius debet haberi ratio in collatione numeri ad numerum, & duarum partium numeratione. Et ad valorem electionis ſufficit, quod ſit ex duabus partibus Cardinalium, qui ſine contradictione aliqua admiſſi fuerunt ad actiuum ſuffragium. Et hoc modo difficultates, & ſchiſmatum, & bellorum pericula euitantur.

101. Quod ſi illegitimus vocalis per vim, & metum ſe ingerat electioni, & Cardinales impediantur, vel ne poſſint de eius illegitimitate ante electionem decernere, vel non conſtito de eius inhabilitate eijcere, & ſic inhabilis, vel certus, vel dubius vi ſe ingerat electioni, ſi alius electio eſſet libera, nec Cardinales vi, vel metu coacti eſſent ad hunc, vel illum eligendum, ſed liberè eligerent. Tunc in caſu, in quo eſſet dubium an electio vim haberet ex vocali, vel vocalibus vi intruſis, ex inſpectione ſchedularum dubium reſolui omninò deberet. Et ſi hoc non poſſet fieri, ad electum omninò ſpectaret concludenter probare electionem ſuam ſubſiſtere, etiam dempto, vel demptis voto, vel votis nullis, aut dubijs, niſi alias electio ipſa ex vi, vel metu in terminis Concil. Conſtan. eſſet nulla iuxta ſupra conſiderata. Electio enim ex vi, & metu illato Cardinalibus irrita eſt nedum ſi cogantur eligere determinatam perſonam, ſed etiamſi in propoſito cogerentur etiam ad determinatam perſonam eligendam, & ſic impedirentur, ne poſſent videre, & decernere iuxta leges, an nominatus à duabus partibus ſit legitime electus.

102. Si verò vlterius quæratur an alij ſint caſus, in quibus in numerandis duabus partibus aliqui Cardinalium non ſunt conſiderandi, etiã

ſi ſint

Digitized by Google

ſi ſint in Conclaui? Reſpondetur non eſſe habendam rationem eius, qui noluit ſuffragium dare. Iſte enim tanquam alienus eſt reputandus Gloſſ. *in Clem.* 1. *verſ. qua in facto, de elect. & ibi* Vitalin. *n.* 29. Nauar. *conſ.* 7. *de elect.* Rodriq. *tom.* 1. *q.* 54. *a.* 13. Mirand. *q.* 23. *a.* 20. Benè tamen admonet Coccinns hoc verum eſſe ſi Cardinalis nec in ſcrutinio, nec in acceſſu voluit dare ſuffragium, non vbi dediſſet votum in ſcrutinio illius habenda eſſet ratio. Secundo ſi aliquis Cardinalis det votum album, tale enim votum cenſetur renunciatio vocis. Nauar. Rodriq. Mirand. citati Molfeſ. *in ſum. tract.* 6. *cap.* 16. *n.*

103. Tertio vota alternatiua, conditionalia, & incerta non ſunt numeranda Coccin. vbi ſupra, & ad §. *nulli pag.* 430.

104. De votis autem alternatiuis, & conditionalibus Gloſſ. *in cap.* 2. *de elect. in* 6. *in verb. alternatiua* refert, quod tunc Cardinales interdũ ſub formis alternatiuis, & conditionalibus eligebant, & per has formas veniebant ad duas partes, & quod hoc erat ſpeciale in eis. Sed modo hoc eis eſt prohibitum per Conſtitut. *Æterni Patris* Gregor. XV. in §. *nulli*, vbi dicitur *Nulli autem tam in ſchedula ſcrutinij, quam acceſſus plures nominare liceat, alioquin ſuffragium, in quo plures fuerint nominati nullum ſit.* Ideo vota alternatiua tanquam nulla non ſunt computanda. Et idem dicitur de votis conditionalibus, quæ non exprimunt purum conſenſum, & abſolutum, ſed ſuſpenſum, & nihil ponentem in eſſe cum datur, ſed dependentem ab accidentali futuro euentu. Et idem dicendum de ſuffragijs incertis, & indeterminatis. Eadem enim ratione hæc excluduntur, quę ex iure naturali militat. Quia huiuſmodi ſuffragia non exprimunt conſenſum in determinatam perſonam, qui conſenſus ſit de preſenti, vnde ex illorum vi nullus determinatè, & de præſenti eligitur, & ideo talia vota nullius virtutis ſunt ad eligendum de præſenti, cum alias illæ cenſendus ſit Pontifex ſine exceptione, qui à duabus partibus Cardinalium in Conclaui præſentium, & de præſenti eligentium fuerit nominatus. Videndi ſunt DD. ſcribentes ſuper *c.* 2. & ſuper *cap. perpetuo de elect. in ſexto*. Quamuis enim ibi ſit ſermo de electione inferiorum Prælatorum, tamen in ijs, quæ ex ratione, & lege naturali ſumuntur cum alijs electionibus conuenit electio *Papæ*.

105. Quarto vero vota ex quacunque cauſa nulliter data non ſunt numeranda, Coccin. ad §. *nulli* pag. 430. ideò nec numeranda ſunt ſuffragia acceſſus; ſi altera ex his duabus conditionibus illis deficit. Quia ſcilicet vel ſchedulæ ſcrutinij, & acceſſus non conueniunt in eiſdem ſignis, vel in eiſdem non ſunt nominatæ diuerſæ perſonæ, vt ſupra probatum eſt ex §. *At ſi*, Conſtit. *Aeterni Patris* & Rituali §. *Primus itaque actus*.

106. Singulariter autem in d. Conſtitut. §. *numerum autem decernitur*, vt in duabus partibus non numeretur votum electi, & tamen in numero Cardinalium eius perſona numeretur. Rationabiliter enim hoc declaratum eſt, quia vt aduertit Gloſſ. *in cap. licet, verſ. duabus partibus*, de electione, antiquitùs Cardinales aliquando hoc obſeruabant; vt votum electi non numeraretur in duabus partibus, & aliquando non obſeruabat. Fuit quidem antiquitus communis opinio, quod in electione ſecreta votum electi non ſit computandum in numero maioris partis, ſeu duarum partium, per notata à DD. *in cap. cum in iure, & in cap. Cumana, de elect.* ſecùs vbi electio fiat publicè, quia tunc cum electus videat ſe vocatum ab Electoribus poteſt ſine ambitione ſuæ electioni conſentiendo complere numerum neceſſarium ad valorem electionis. Sed nihilominus etiam quod electio *Papæ* fieret ſecretè Panor. *in cap. licet num.* 13. ſenſit, quod electus poſſet conſentire ſuæ electioni, & per acceſſum accedere ad ſe ipſum, etiam quod in ſcrutinio elegerit alium. Nam hoc ſtante videns ſe eſſe nominatum in ſcrutinio, poſſet videns ſe electum ab alijs per viam acceſſus dare ſibi votum, & duas tertias partes complere ſed quia minus certè conuenit, quod quis velit ſe ad Pontificatus Apicem promouere, meritò Pontifex omnem in hac parte opinionum diuerſitatem, & libertatem abſtulit, & decreuit, quod votum electi datum pro ſe ſit nullum, ſiue in ſcrutinio, ſiue in acceſſu fuerit datum, & quod in numero duarum partium non ſit computandum.

107. Vult tamen *Pontifex*, vt electi perſona computetur in numero electorum, ſi ſit preſens in Conclaui, & ſic perſona electi ſi ſit de numero eligentium debet computari in eo numero cuius duæ partes debent ſumi pro valore electionis. Vt ſi ſint 61. Cardinales non ſufficiunt quadraginta ad valorem electionis, ſed ſint neceſſarij 41.

108. Cum verò alias, vt dictum eſt Cardinales nulliter eligentes non ſint numerandi in numero eligentium ad colligendas duas partes, tamen perſona eligentis ſe ipſam numerare debet, quia ipſa eſt de numero eligentium, nec eius votum eſt nullum ſimpliciter, ſed ſolum ad ſui fauorem. Et quia aliter ipſe eligendo ſe ipſum etiam nulliter ſibi faueret validè ſi ex quo nulliter elegit ſe non eſſet computandus in numero eligentium, quia diminueret eligentium numerum, & quotieſcunque reduceret illum de impari ad parem. Nam ſi vocales eſſent 61. duæ tertiæ partes eſſent 41., ſed ſi electus à 40. daret ſibi votum, & ex hoc eius perſona non eſſet numeranda iam eſſent 60. vocales eo dempto, at verò 60. vocalium 40. ſunt duæ tertiæ partes & ſic ex eo ſe validè eligeret, quod nulliter ſe eligendo eius perſona non eſſet computanda.

109. Habitis igitur duabus partibus Cardinalium vel vnus tantum eſt ab illis nominatus, & tunc debet electi ſchedula aperiri etiam pro ea parte, in qua continet nomen, vt inde appareat an electus ſe ipſũ elegerit, & vbi inueniatur eum non ſe elegiſſe habendus erit vt Pontifex legitimè electus. Sed ſi plures ſunt nominati à duabus partibus in votorum diſparitate obtinet, qui habuit plura vota etiam ſi per vnum tantũ exceſſerit, vt ſtatuitur in Conſtitut. *Aeterni Patris* §. *At ſi contingat*. Sed in paritate votorum nullus eſt electus, vt ibidem decernitur. Et quidem

Digitized by Google

dem merito. Nam cum in electione Papæ locum non habeat collatio meriti ad meritum, neque zeli ad zelum, ſed ſolius numeri ad numerum. Quia inter eligentes non poteſt haberi ratio maioris auctoritatis inter illos, cum omnes ſint Cardinales nec conſideratio zeli, quia hæc non admittitur vbi electio eſt ex concordia duarum partium, in qua meritò maior zelus præſumitur *cap. ſi quando de elect. in 6.* Panor. *in cap. Quia propter num.* 10. *de elect.* nec conſideratio meriti perſonarum, quia non datur ſuperior, qui merita diſtinguere poſſit, & Cardinales ipſi non poſſunt eſſe iudices in proprio facto Gloſſ. *in cap. ſi duo verb. contra faſ.* 79. *diſt.* ſequitur quod in paritate votorum nec erat modus dirimendi litem, niſi vel per ſortes, quæ vt ſupra probatum eſt ab electionibus reijciuntur, vel caſſando vtramque electionem, & hæc eſt via expedita, & ſecura, & propterea Pontifex decreuit, quod in paritate votorum electio quælibet ſit nulla.

110. Benè verum eſt, quod in hoc caſu intrat aliqua ex difficultatibus, ob quas iuxta §. *At ſi*, nomen eligentis reſignari debet, quia ſcilicet aperiendæ ſunt ſchedulæ, eorum, qui electi ſunt, vel in pari votorum numero vel ità vt vnus in vno voto ſolo alium excedit electum. Nam cum in his caſibus poſſit eſſe, quod vel alter ſit electus in pari numero cũ altero, vel cum exceſſu vnius voti, quia ſibi voeũ dederit, neceſſitas vrget, vt aperiantur ſchedulæ electorum vt habeatur legitimus numerus electionis eorum.

111. Sed & hoc aduertendum pro hac habenda validitate votorum, vt vota non ſint ambigua, ſed certa, & determinata, quod ex præſcripta Conſtitut. Greg. XV. §. *quod autem attinet*, nomen electi in ſchedulis ſcribi debet, ſicut habetur in folio impreſſo, in quo ſolent notari ſuffragia. Sciendum enim dari folium, in quo per ordinem Alphabeti ſcribuntur denominationes propriæ cuiuſcunque Cardinalis, poſt quas ducitur linea in qua ſignis tranſuerſalibus ipſi lineæ per ſingulos Cardinales adnotantur ſuffragia habita à nominatis in ſcrutinio, vel in acceſſu. Præfata igitur Conſtitutio vult, vt in ſchedulis nomina eorum qui eliguntur, ſcribantur iuxtà eorum denominationes proprias, quæ adnotantur in eo folio. Quo ſeruato non eſt periculum, quod vota ſint ambigua, indeterminata, & incerta. Sed ſi id non ſeruetur, ſi dentur plures Cardinales eiuſdẽ denominationis, vt duo Cardinales de Columna, vel de Gonzaga poteſt contingere ambiguitas, & incertitudo. Si ergo non ſeruentur denominationes notatæ in dicto folio, & varietur denominatio, ſi adhuc illa denominatio eſt certa, & ſignificans determinatam perſonam, variatio non eſt ſubſtantialis, & votum eſt validum, & tanquam validum innumero duarum partium computandum, quia error in nomine, vel cognomine quando conſtat de perſona non vitiat *l. ſi in nomine C. de teſtam* §. *Si quidem nomine Inſtitut. de legat. l. his verbis* §. *vlt. de hæred. inſtit. Alex. conſ.* 108. Sed ſi denominatio aſſumpta poteſt adaptari pluribus Cardinalibus aut perſonis votum eſt incertum, & ambiguum, & non valet *l. imò ſunt Titij ff. de teſtam.* Bartol. *conſ.* 179. *in princip. lib.* 1. Et ſi huiuſmodi denominationum mutationes fierent malitiosè Cardinales contrauenientes præfato decreto Conſtit. Greg. XV. non excuſarentur à Cenſura, & Cardinales executores prouidere deberent, vt ſeruaretur forma dicti folij ad tollendas omnes fraudes.

112. Sextus actus eſt ſuffragiorum recognitio. Et hic actus neceſſarius eſt ſiue Papa habeatur, ſiue non habeatur, vt videatur, & manifeſtè conſtet ſi ſcrutatores ſincerè, & fideliter muneri ſuo ſatisfecerint. Itaque tunc cum ſcrutatores functi ſunt officio ſuo, ſcilicet terminata muneratione vltima, & collatione votorum ſorte extrahuntur tres recognitores, & hi recognoſcunt tam ſchedulas ſcrutinij, & acceſſus, quam annotationes ſuffraggiorum factas à ſcrutatoribus, & hoc modo magis conſtat de validitate electionis.

113. Vltimus actus eſt ſchedularum combuſtio, quæ fit à ſcrutatoribus, ſiue aliquis euaſerit electus, ſiue non ſtatim ac Recognitores terminarunt officium ſuum. Et hæc habentur tam ex Conſtitutione *Aeterni Patris*, quam ex Cæremoniali Gregorij XV.

114. Ex his verò ſeptem actibus in caſu quod per ſcrutinium nullus ſit electus canonice, de ſubſtantia electionis ſunt primi quatuor, quia nequit haberi electus ſine acceſſu, nec acceſſu poteſt apparere legitimus ſine ſigillorum apertione, & ſigillorum, & ſignorum inſpectione, & annotatione, & ſuffragiorum examine. Quintus verò actus eſt ſemper omninò neceſſarius, quia ſine numeratione, & collatione numeri ad numerum non poteſt ſciri an aliquis ſit vel non ſit nominatus à duabus tertijs partibus. Et ſic acceſſus eſt neceſſarius tanquam pars electionis, vbi ſcrutinium ſolum non dat Papam ſed, 2. 3. 4. & 5. actus ſunt neceſſarij ex vi neceſſitatis numeris duarum partium Cardinalium, qui numerus certò haberi non poteſt ſine illis actibus. Sextus actus eſt de ſolemnitate. Septimus etiam quia conſequitur electionem non eſſet de ſubſtantia, & ſi ommitteretur non per hoc electio, quæ iam canonica fuit fieret inualida, ſed tamen eſt ſumme neceſſarius.

115. Hinc verò colligitur primo hoc ſpeciale inter alia habere electionem Papæ, quod ad eius valorem, non eſt neceſſaria electio communis facta ab vno nomine omnium, ſicut eſt neceſſaria de iure communi ex vi *cap. in Geneſi de elect. & cap. ſicut de elect. in 6.* Sed hoc non eſt neceſſarium in Papæ electione, vt aduertit Panor. *cap. licet num.* 8. *fin. de elect.* ſed ſtatim ac aliquis habet conſenſum duarum partium Cardinalium ſeruata in alijs forma inſtituta per Gregor. XV. eſt Papa verus, & legittimus. Et huius inſtitutionis optima ratio eſſe poteſt, quod Papa non habet iuriſdictionem ab Eccleſia, ſed immediatè à Chriſto, licet Chriſtus Dominus noſter hanc nolit dare niſi illi, in quem iuxta formam canonicam Eccleſia conſentit. Sed Epiſcopi, & alij Prælati habent Iuriſdictionem à Pontifice, cuius auctoritate vnus de Collegio nomine aliorum eligit, quem maior pars nominauit.

Col-

116. Colligitur ſecundo quod id quod dixit Rota *deciſ. 289. num. 34. par. 6. Recent.* ſcilicet quod in electione Papæ non eſt neceſſaria ſcriptura, verum eſt ſecundum ius antiquum, cum per admonitionem publicam creabantur Pontifices, vel etiam viua voce eligebantur, ſed modo ex forma Gregorij XV. neceſſariæ ſunt ſchedulæ ſcriptæ, & quod vota eligentium redigantur in ſcriptis modo ſupra expreſſo, quamuis non ſit neceſſarium decretum confirmationis miſſum ad confirmatorem, ſtatim ac Cardinalibus conſtat de legitrimo conſenſu duarum partium in aliquem, & de eius conſenſu in electionem, conſtat illis electum eſſe Papam, & per publicationem electionis ab vno Cardinalium factam, & per Cardinalium publicam adorationem poſteà, & per actum conſecrationis magis populo conſtat, nec alia ſcriptura eſt neceſſaria. Nihilominus huiuſmodi actus non fit ſine ſcriptura. Quia vbi recognitis ſuffragijs conſtat aliquem eſſe nominatum à duabus partibus Cardinalium dempto ſuffragio electi, Decanus, Primus Presbyter, & Primus Diaconus, præſente primo Magiſtro cæremoniarum tanquam Notario, & Secretario Conclauis, & alijs teſtibus petunt an electus conſentiat electioni. Et eo conſentiente petunt quo nomine velit appellari, & nomine electo Magiſter cæremoniarum alta voce ſe rogat de tali actu, & de eo conficit quot inſtrumenta ſint neceſſaria. Si verò electus ſit abſens Cardinales non ſine aliqua ſcriptura peterent eius conſenſum, quo præſtito iam ille eſſet Papa, & vt talis habendus eſſet à Cardinalibus, & ab alijs. Sic cum Hadrianus VI. abſens fuiſſet creatus, Cardinales ad eum miſerunt Comitiorum acta; & litteras quibus precabatur, vt ſtatim in Italiam veniret, teſte Ciaccono in Hadrianum.

In quibus caſibus incurratur excommunicatio ob non ſeruatam formam electionis ſtatutam à Greg. XV. in Conſtitut. Aeterni Patris.

QVÆSTIO XXIX.

DEcem Caſus recenſet Caſtell. *de elect. cap. 10. n. 15.* Sed multo plures ſunt, qui in varijs locis d. Conſtitutionis continentur, & enumerat diſtinctè Coccinus *in ſuo d. Gloſſam*. Et quidem.

§. *Matura itaque recenſentur caſus ſequentes.*

1. SI electio fiat extra Conclaue.
2. Si in Conclaui non clauſo.
3. Si ante celebratum miſſæ ſacrificium prima die, cui ſolent Cardinales intereſſe, & in eo communicare.
4. Si non per ſecreta ſchedularum ſuffragia.
5. Si non per duas ex tribus partibus Cardinalium in Conclaui præſentium.
6. Si committatur eligendi poteſtas aliquibus ex Collegio aliquo illorum diſſentiente.
7. Si fiat electio per quaſi inſpirationem aliquo pariter diſſentiente, vel præcedente de perſona ſpeciali tractatu, & ideo eſt duplex caſus.
8. Si non fiat per verbum, eligo, intelligibili voce prolatum, aut ſcripto, ſi voce fieri non potuerit expreſſum. Intelligitur de electione per quaſi inſpirationem. Et loco verbi eligo poſſet poni aliud verbum æquiualens.

§. *Numerum autem.*

9. Si in electione per viam ſcrutinij, ſiue ſcrutinij, & acceſſus in duabus tertijs partibus numeretur ſuffragium electi.
10. Si quis ſibi dederit ſuffragium in ſcrutinio, vel ſcrutinio, & acceſſu, vel compromiſſi via.
11. Si electi perſona, quæ in Conclaui ſit in numerum Cardinalium non computetur.

§. *Rurſus nemo.*

12. Si quis pro electo habeatur per ſcrutinium, vel ſcrutinium, & acceſſum, niſi publicatis omnibus ſuffragijs, & electi, ſi tantum numerum duarum ex tribus partibus habuiſſe compertum ſit, etiam ſchedulis ſi opus fuerit apertis.

§. *At ſi contingat.*

13. Si in paritate ſuffragiorum aliquis habeatur pro electo, vel in imparitate, non pro electo habeatur numero ſuffragiorum ſuperior, dummodo alium à duabus partibus electum etiã in vno ſuffragio excedat, & ideò eſt duplex caſus.

§. *Inſuper in vno quoque.*

14. Si ſingulis ſcrutinijs à quolibet Cardinali non fiat iuramentum in Bulla præſcriptum.
15. Si non fiat antequam ſchedula in Calicem mittatur.
16. Si non fiat alta, & intelligibili voce.
17. Si non fiat eiſdem præſcriptis verbis in Bulla.

§. *Suffragiorum autem.*

18. Si ſchedulæ tam ſcrutinij, quam acceſſus non fuerint impreſſæ, vbi fieri potuerit.
19. Si vbi imprimi nequeunt, non fuerint niſi vnius tantum manuſcriptæ.
20. Si in ſchedulis non exprimantur ea omnia, quæ in eis exprimi ſolent.
21. Si contineant alia præter ſolita.
22. Si nomina, & denominationes eligentis, & electi, & ſigna apponenda non ſcribantur manu eligentis, & eſt triplex caſus.
23. Si nomen eligentis in ſchedula non ſit ſcriptum.
24. Si nomen electi non ſit in altera parte.
25. Si nomen electi non ſit quantum fieri poterit alterato charactere, ita vt cognoſci nequeat.
26. Si pars vbi eſt nomen eligentis non ſit clauſa.

27. Si

27. Si non obſignetur ſigillo ad id ſecretè habito, & inſolito ei, cuius eſt ſchedula, eſt triplex caſus.

28. Si ſchedulæ non ſignentur duobus alijs ſignis.

29. Si non ſint hæc ſigna eadem in ſchedulis tam ſcrutinij, quam acceſſus.

§. *Poſteà verò.*

30. Si antequam electio fiat pars ſchedulæ vbi ſigna erunt, nō complicetur,& obſignetur ne à ſcrutatoribus poſſit videri, & eſt duplex caſus.

31. Si electione perfecta per acceſſum, ſchedulæ in ea parte, vbi duo ſigna ſunt à ſcrutatoribus non aperiantur,vt per inſpectionem, & comparationem cum alijs in ſcrutinijs datis cognoſcatur, an ſigillum, & ſigna ſint eadem, & duo ſuffragia ab eodem Cardinali vni data non fuiſſe appareat.

§. *At ſi inter ſchedulas.*

32. Si quis eidem acceſſerit, quem in ſcrutinio nominauerit.

33. Si reſignetur ſubſcriptio, ſiue nomen eligentis, niſi contingat, vt ſigillum, & alia duo ſigna ſint eadem cum ſignis, & ſigillo alicuius alterius Cardinalis,aut alia difficultate cogente.

§. *Quod autem.*

34. Si ſcribatur nomen electi alio modo, quam in folio impreſſo in Conclaui notari ſuffragia ſolent. Verum vbi non remaneat ambiguitas in ſuffragio, & deſit contemptus ex paruitate materiæ non habebit locum cenſura.

35. Si ſchedulæ tam pro ſcrutinio, quam pro acceſſu conficiantur alibi, quam in vna ex menſis in media Cappella Conſtitutis. Et nihilominus ex cauſa iuſta poſſet Cardinalis intra cellam ſuam ſcribere ſchedulam,ſi eam nulli oſtendat, & aliam in loco communi ſcribat.

36. Si menſæ non collocentur ità à Cardinalibus remotæ, & circunſpectæ vt quid ſcribatur ab alijs videri nequeat.

37. Si impeditus præ ægritudine accedere ad menſas ſuffragium ſecretè in loco ſuo non conficiat.

38. Si ad iſtud ſuffragium accipiendum vltimus ſcrutator non accedat,Sed hic non incurrerur, ſi ex cauſa etiam non vrgenti ab a io ex ſcrutatoribus accipiatur.

§. *Et vt acceſſus.*

39. Quod ad hunc § pertinet in prima parte habetur in ſecundo caſu §.præcedentis.Quod verò habetur in ſecunda parte non videtur poſſe compræhendi ſub Cenſura.

§. *Nulli autem.*

40. Si in ſchedula ſcrutinij,vel acceſſus quis plures nominet.

41. Si quis accedat vni ex nominatis à ſe in dicta ſchedula, vel alij abſque eo quod aliquod ſuffragium in eodem ſcrutinio tulerit.

§. *Neque in quolibet ſcrutinio.*

42. Si quis in eodem ſcrutinio pluſquam ſemel acceſſerit.

§. *Inſuper antequam.*

43. Si ſcrutatores aperuerint Schedulas, ſiue ſcrutinij, ſiue acceſſus, antequam ab eiſdem diligentiſſimè numerétur.Videtur incurri etiam ſi vna tantum aperiatur. Niſi inaduertentia inculpabilis, vel leuis excuſet ſaltem in foro exteriori. Adde ſi plures repertæ fuerint, quam ſint Cardinales, ſi non comburantur.

§. *Præterea.*

44. Si ad infirmum Cardinalem non accedant tres ſorte electi, incurritur per non accedentem,& per accedentem deficientes altero.

45. Si accedant abſque capſula perforata, & inani.

46. Si capſula non fuerit à ſcrutatoribus palam clauſa.

47. Si clauis capſulæ non remaneat ſuper Altare, vel alio ſimili loco & patenti.

48. Si Cardinales capſulam ferentes ſimul non deferant infirmo ſchedulam impreſſam.

49. Si infirmus Cardinalis ſchedulam non conficiat ſecretè.

50. Si prius non præſtiterint Iuramentum præſcriptum. In quo caſu incidunt etiam Cardinales accedentes, qui abſque præuio Iuramento infirmi ſchedulam conijci in capſulam permittunt.

51. Si infirmus ſchedulam in capſulam non conijciat, tamen ſi ex ſuperueniente accidenti impediretur per ſe conijcere videtur non incurrere, ſi mittatur per alterius manum.

52. Si Cardinales ijdem Capſulam non referant.

53. Si per ipſos non aperiatur.

54. Si per eoſdem Schedula in calicem non mittatur.

55. Si cum acceſſus eſt agendus dicti tres Cardinales non deferant ad infirmos vnum ex folijs, in quibus nomina Cardinalium, & ſuffragiorum numerus notantur.

56. Si prædictum folium deferatur antequam palam recognoſcatur ſuffragiorum numerus, quæ quiſque in ſcrutinio tulerit.

57. Si non deferant ſchedulam impreſſam pro acceſſu paratam cum eadem capſula.

58. Si infirmus Cardinalis non accedat alicui, vel nemini.

59. Si non ſeruentur quoad talem Infirmorum acceſſum omnia, & ſingula de ſcrutinij ſchedula ordinata.

60. Si infirmus ſcribere impeditus per alium faciat ſcribere ſchedulam, qui iuramentum non præſtiterit de ſeruando ſecreto.

61. Si quis pro infirmo ſcribat ſchedulam iuramento non præſtito.

62. Si is poſt iuramentum ſecretum non ſeruauerit.

§. *Ad hæc ſcrutatores.*

63. Si ante quodlibet ſcrutinium immediatè non extrahantur per vltimum Diaconum tres Cardinales ſcrutatores, fieur, & tres alij ad deferenda ſuffragia infirmorum. Res tamen leuis eſſet, ſi per alium Cardinalem fieret hæc extractio.

64. Si hæc electio non fiat ex omnibus Cardinalibus præſentibus in Conclaui, nulla ordinis ſeruata diſtinctione.

65. Si ſemel extracti iterum in vas non conijciantur.

66. Si ſcrutatores, vel recognitores aliquid ſecreti in exercendo ſuo officio cognoſcentes illud reuelent.

§. *Similiter ne electio.*

67. Si ſcrutinium bis ſingulis diebus non peragatur, itaut etiam perficiatur.

68. Si non manè poſt ſolitam miſſam,

69. Si prima die tum etiam ante peractam Sacram Cardinalium communionem, quam qui omittit etiam voluntarie non videtur incurrere, cum non imponatur ſub Cenſura.

70. Si pomeridiano tempore ante hymnum: Veni &c. & orationem.

71. Si non ſeruetur idem, quando eligitur Compromiſſi Via.

72. Si pulſata tertio Campanula de more omnes, & ſinguli Cardinales non conueniant, exceptis languore impeditis.

§. *Cardinales præterea.*

73. Si quis Cardinalium fecerit pactiones, conuentiones, promiſſiones, intendimentum, condictum, fœdus, vel quamcunque aliam obligationem. 74. Minas. 75. Signum. 76. Contraſignum ſuffragiorum. 77. Seu ſchedularum, 78. Aut alia tam *verbo*, 79. Quam ſcripto 80. Aut quoquomodo danda, 81. aut petenda, 82. tam reſpectu incluſionis. 83. quam excluſionis. tam vnius perſonæ, quam plurium, aut certi generis, veluti creaturarum, aut huiuſmodi, 84. ſeu de ſuffragio dando, 85. Aut non dando.

§. *Poſtremo ſtatuimus*

86. Si Cardinales non euitent, & caueant omninò ſecretum quomodolibet in tam ſancto electionis negotio violare.

87. Si quis eorum, vel Collegium præſumat quidquam contrà prædicta, vel eorum aliquod ſtatuere, diſponere, ordinare, ſeu in aliquo corrigere, alterare, mutare.

88. Item ſi aliquo modo contrafacere, tractare, moliri, vel attentare.

Si autem quis quærat an aliquis ex priuilegio vel Epiſcopus vel Regularis poſſit abſoluere ab huiuſmodi excommunicatione. Reſpondetur non poſſe extra mortis articulum. Quia in Conſtitutione Gregor. XV. ſufficienter derogatur facultatibus, & priuilegijs in §. *Quod ſi electio* ibi: *A qua ſicut ab alia quacunque in hac conſtitutione impoſita, & irrogata, ſeu ſupraponenda, & irroganda pœna excommunicationis tàm ipſi, quam quilibet alius ſiuè S. R. E. Card. ſiue alia perſona, cuiuſcunque gradus conditionis, dignitatis, & præeminentiæ à nullo neque etiam à maiori Pœnitentiario, cuiuſcunque facultatis vigore præterquam à Romano Pontifice niſi in mortis articulo abſolui poſſit, & tam ipſe, eiuſque complices, & fautores, quam alij quicunque etiam S. R. E. Cardinales huius Conſtitutionis in aliquo tranſgreſſores, alijs grauiſſimis pœnis futuri Pontificis, canonicè intrantis arbitrio irrogandis. & §. Non obſtantibus quatenus opus ſit ſel. rec.* Alexandri Papæ III. Prædeceſſoris noſtri in Concil. *Lateran. edita, quæ incipit Licet de vitanda, & aliorum Roman. Pontif. Prædeceſſ. noſtrorum etiam in concilijs generalibus promulgatis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis etiam in corpore iuris clauſis, quibus omnibus, & ſingulis quatenus pariter opus ſit, eorum omnium, & ſingulorum tenores perinde ac ſi ad verbum exprimerentur pro expreſſis, & inſertis habentes pro hac vice duntaxat illis alias in ſuo robore per manſuris, ſpecialiter, & expreſſè derogamus cæteriſque contrarijs quibuſcumque.*

Et quidem de Epiſcopis loquendo non obſtat quod eorum facultas abſoluendi à Cenſuris reſeruatis Papæ ſi ſint occultæ veniat ex Concil. Trident. *ſeſſ.* 20. *cap.* 6. cui non derogatur niſi fiat eius ſpecifica, & expreſſa mentio, & ideò cenſendum ſit per Conſtitut. Gregor. XV. non fuiſſe ablatam illam facultatem Epiſcopi abſoluendi ab hac Cenſura ſi ſit occulta Palaus *tom.* 6. *diſp.* 5. *par.* 28. *num.* 3. nam reſpondetur aſſumptum non eſſe verum, quia imò ad derogandum Concil. Tridentino nec eſt neceſſaria derogatio generalis, ſed ſufficit ſignatura Domini Papæ, vt declarauit Pius V. in quodam motu proprio, quod ad verbum refert Garzias *par.* 4. *de benef. cap.* 5 *num.* 33. & ex eo retuli ego *de elect. c.* 26. *num.* 36. Vnde communior longè ſententia DD. quos ibi *num.* 37. retuli eſt, quod ad derogandum Concilio Tridentino non ſit neceſſaria ſpecialis derogatio. Sed in præſenti additur, quod in Conſtitutione Gregor. XV. ſufficientiſſimè derogatur cuicunque Conſtitutioni Conciliari, vt ex verbis citatis apparet, & eo magis quod adſit clauſula quorum tenores &c. quæ operatur expreſſam, & indiuiduam mentionem. Gonzal. *ad reg.* 8. *Cancell. Gloſſ.* 36. *num.* 29. Put. *deciſ.* 104. *lib.* 1. & 503. *lib.* 3. Rota *deciſ.* 213. *num.* 1. *par.* 1. & *deciſ.* 460. *num.* 1. *par.* 2. *diuerſ.* & *deciſ.* 460. *num.* 4. *par.* 1. *Recent.* & *deciſ.* 109. *num.* 10. *coram Greg. XV.* & alij plures apud Barboſ. *clauſur.* 127. *num.* 3. & 4. Quamobrem quod Epiſcopus virtute facultatis Tridentini nō poſſit ab hac excommunicatione abſoluere dixerunt Bonacin. *de elect. Pontiſ. diſput.* 2. *quæſt.* 7. *num.* 3. Diana *tract. de collocut. temp. Conclau. reſol.* 18.

Regulares verò poſſe ab eadem abſoluere virtute priuilegiorum dixerunt aliqui, quos ſine nomine refert Diana vbi ſupra reſol. 26. & fundan-

dantur in eo, quod Vrbanus VIII. confirmauit ex certa ſcientia priuilegia Ord. S. Trinitatis ſine clauſulis reſtrictiuis ſimilis vero confirmatio habet vim nouæ conceſſionis. Sed quidquid ſit de hoc aſſumpto, quod eſt controuerſum, nec locus nunc eſt illud examinandi, dicitur, quod dicta confirmatio aſſeritur ſola relatione viri docti, vt ait Diana reſol. 28. & qui ità retulit fortè æquiuocum ſumpſit. Nam per Vrbanum VIII. præfato ordini communicata fuerunt priuilegia aliorum ordinum, ſed cum clauſula *quatenus ſunt in vſu*, & non reuocata, nec ſub aliqua reuocatione comprehenſa, vt videre eſt apud Apend. Bullar. Conſtit. 21. alias 131. & vt mihi retulit vir Doctus eiuſdem Ordinis aliã priuilegiorum confirmationem ab Vrbano VIII. non obtinuit præfatus Ordo. Quare cum per d. Cõſtitutionem Greg. XV. ſufficienter priuilegijs Regularium ſit derogatum ipſi à dicta excommunicatione non poſſunt abſoluere Bonac. vbi ſupra Diana *d. reſol.* 28.

Quæ conditiones ſint neceſſariæ ex parte eligendi ad Papæ electionem.

QVAESTIO XXX.

1. EXpeditis ijs, quæ ad cauſam efficientem, & formalem electionis pertinent, ſuccedit conſideratio cauſæ materialis, quæ eſt perſona, quæ eligitur, & quæ aliquas qualitates habere debet vt vel validè, vel honeſtè eligatur. Ex ijs verò qualitatibus aliæ ſunt neceſſariæ de iure naturali, & diuino, aliæ ex iure poſitiuo. Poſſet verò quis imaginari quod, quæ iura tradunt de eligendis ad Epiſcopatum accommodari debeant etiam eligendo, & electioni Summi Pontificis, & ità ex Bellam. *in cap. licet nu. 17. de elect. & cap. 1. nu. 4. diſt. 77.* Campanil. *rubr. 7. cap. 6. nu. 49.* aduertit Lauor. *tract. 4. cap. 12. nu. 4. & 17.* Sed hoc ex æquitate quadam eſt verum. Et in rigore à fortiori verum eſt quantum ad multa quæ ex iure diuino in Epiſcopis deſiderantur. Cæterum Papæ electio non ſubditur legibus poſitiuis de electione Epiſcoporum decernentibus, vt habet benè Granina *Chatal. Præſ. l. 4. contr. 4. dubit. 3. pag. mihi* 228.

2. Prima omniũ qualitatum ex iure diuino neceſſaria eſt qualitas ſexus maſculini fœmina enim iure diuino eſt incapax poteſtatis ordinis, & conſecrationis Epiſcopalis, quæ Sacerdotium ſupponit, vt habetur ex *cap. In noua, de pænit. & remiſſ.* & tradunt D. Th. 4. *d. 25. q. 2. a. 1.* Victor. *relect. 2. de poteſt. Eccleſiæ p. 2. nu. 3.* Sotus *in 4. d. 25. q. 1. a. 2. concl. 1.* Suarez *de cenſur. diſp. 51. ſect. 2.* Vaſquez *diſp. 245. nu. 12. c. 2.* Reginal. Henriq. Bonacina, Valentia, quos refert, & ſequitur Barboſa ad *d. cap. In noua, de pænit, & remiſſ.* Gloſſ. *in cap. Diaconiſſa 27. q. 2.* Panormit. *d. cap. In noua nu. 1.* vbi Canoniſtæ communiter. Nam & fœminis prohibitum eſt prædicare, & loqui in Eccleſia *1. Cor. 14 & d. cap. In noua.* Eiſdem quoque præcipitũr eſſe in ſilentio, & non dominari in virũ. *1. ad Timoth. 2.* & ex Concil. Carthagin. *cap. mulieres 23. diſt.* vbi Turrecrem. *nu. 1. & cap. mulieres diſt. 33.* prohibentur aſſumi ad Prælaturas, vt habet etiam Turrecrem. ibi. Et quam plura alia illis interdicta ſunt, quæ recenſet Gloſſ. *in d. cap. In noua v. prædicare.* Quod confirmatur ex eo, quod Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſuæ ſanctiſſimæ, & ſapientiſſimæ matri nullam functionem ordinis, aut Iuriſdictionis ſpiritualis commiſit. Et ab initio Eccleſiæ vſque ad præſens, quamuis quamplurimæ fuerint mulieres ſanctitate, & prudentia illuſtres, nulla vnquam vel ad infimum ordinem promota fuit, eo quod nunquam factum fuit etſi adfuerint quamplures occaſiones, vt fieret, ſignum eſt ideo non fuiſſe factum, quia non poteſt fieri. Et figmentum illud ab hæreticis inuentũm, & à paucis hiſtoricis imprudenter admiſſum de Papiſſa Ioanna nec eſt dignum, vt eius aliqua habeatur vel minima conſideratio, vel memoria.

3. Secunda conditio eſt vſus rationis. Ex duplici vero cauſa homo non habet vſum rationis, vel .ſ. ex imperfectione ætatis, & conditione infantiæ, vel ex infirmitate furoris, & amentiæ ſed in hac parte pro fundameto veritatis attendi debet regula tradita à D. Th. 4 *d. 25 q. 2. a. 1. q. 2.* ibi. *Dicendum quod per pueritiam, & alios defectus, quibus tollitur vſus rationis præſtatur impedimentum actui, & ideò omnia illa ſacramenta quæ actum requirunt ſuſcipientis, talibus non competunt, ſicut pænitentia, matrimonium, & huiuſmodi* iuxtà quam infrà ſic concludit. *Sed ad Epiſcopatum vbi in corpus myſticum accipitur poteſtas requiritur actus ſuſcipientis curam paſtoralem, & ideo eſt etiam de neceſſitate conſecrationis Epiſcopalis, quod vſum rationis habeat.*

4. Ex hac D. Th. doctrina colligitur, quod illius electio eſt ipſo naturæ iure nulla, qui non habet vſum rationis adeò expeditum, vt poſſit in tempore debito conſentire electioni, vndecunque huius rationis defectus veniat, ſiue ſit ex imperfecta ætate, ſiue ex infirmitate.

5. Tertia conditio eſt ætas. Sed ſi loquimur de conditione requiſita ad valorem electionis nulla eſt, vel à iure diuino, vel à iure Canonico determinata, niſi quod ex iure diuino requiritur tanta ætas, quanta eſt neceſſaria ad vſum rationis ſufficientem ad meritum, vel demeritum, talis enim ſufficit etiam ad conſenſum, quæ ætas regulariter eſt ætas ſepteunij Iacobat. *l. 3. art. 1. verſ.* & idem *de infante* Maiol. *de irregular. l. 1. c. 30. n. 13.* Campanil. *rub. 7. c. 6 n. 50.* Lauor. *tit. 4. de elect. cap. 12. n. 5. & 6.* Didacus Narbona *de ætate ad omnes actus humanos requis. anno 30. q. 3.* Perez de Lara *in compend. vitæ hom. cap. 29. n. 22.* à Cuña *in cap. Epiſ. 7. d. 77. n. 27.* Machado *tom. 2. l. 4. p. 7. tract. 4. doc. 2. n. 4.* Barboſ. *l. 1. de iur. Eccleſ. c. 1. n. 85.* Nihilominus de æquitate rationabile eſt, quod eligendus ſit triginta annorum, vt tradunt Selua *de beneſ. p. 3. q. 5. n. 14.* Bonac. *de elect. Pontiſ. q. 2. n. 6.* Barboſa vbi ſupra quæ eſt ætas ex *cap. cum in cunctis, de elect.* neceſſaria ad Epiſcopatum. Quamuis nec cap. illud, nec alia, quæ ætatem Epiſcopi præſcribunt obligent eligendum in Pa-

pam, quia vt dictum eſt Papæ electio legibus canonicis electionis in communi vel Epiſcoporum non eſt ſubiecta. Et quidem quando Romana Eccleſia liberè potuit ſibi Paſtorem eligere, minorem annis triginta ſuper Petri Cathedram non erexit. Innocentij tertij virtus commendatur, quia non obſtante quod 30 annorum eſſet electus fuit Pontifex anno 1098. ad quod faciendum a Cæleſtino quinto ante mortem eius Cardinales perſuaſi fuerant. Leo etiam Decimus ob egregias eius virtutes creatus fuit Pontifex, cum eſſet 37. annorum, vt refert Ciacconus. Quod verò Benedictus Octauus Alberici Comitis Tuſculani filius puer fuerit exaltatus ad Pontificatum, hoc Eccleſia coacta paſſa fuit, vt meritò valdè deplorat Baronius ad annum 1033.

6. Addit etiam Bonacin. ex Soprano cæteris partibus ſeniorem de honeſtate eſſe præferendum quia ſenior regulariter prudentia præcedere conſueuit. Sed hoc inſtantiam habet, quia ſi iunior non habet prudentiam ſenilem, cætera non ſunt paria. Si igitur cætera ſunt paria, & ſola inæqualitas in ætate penſatur, iunior præferendus eſt, quia diuturnius, & cum maiori fortitudine, aſſiduitate, tolerantia laborum, & efficacia executionum paſtoralem curam adminiſtrabit.

7. Quarta, & omninò neceſſaria conditio ad hoc vt aliquis nedum licitè, ſed validè poſſit eligi in Papam, & quæ de iure diuino eſt neceſſaria, eſt Baptiſmus, Nam hoc Sacramentum eſt ianua ſalutis, & omnium aliorum Sacramentorum *cap. cum neque* 112. *de conſec. diſt.* 4. & per characterem Baptiſmi datur Chriſtiano primum poſſe veluti paſſiuum ad alia Sacramenta ſuſcipienda, vt cum D. Th. *3. p. q. 63. a. 2.* docent Theologi & proptereà character ordinis ſupponit characterem baptiſmi, vt docet idem D. Th. *4. d. 24. q. 1. a. 2. q. 3.* & non baptizatus eſt incapax conſecrari in Epiſcopum, ſeu etiam ordinari in presbyterum *cap. ſi quis 59. 1 q. 1. & cap. veniens 3. de præbend.* Vnde eſt, quod electio non baptizati eſt ipſo iure nulla.

8. Quinta conditio eſt fides. Quoniam nequit eſſe Paſtor ouium Chriſti, qui non eſt membrum Chriſti per fidem. Primò tamen conſiderandum quod ſi electus oblata ſibi electione ſimul conſentiret in fidem, dum conſentit electioni, quantum ſit ex vi diuini iuris, electio non eſſet irrita, quia electio ad ſui valorem ſupponit in electo idoneitatem, & capacitatem, non verò actualem poſſeſſionem omnium, quæ in Pontifice requiruntur, Vnde vt infra ex communi ſententia dicam, valida eſt electio laici. Et quando qualitas requiſita in electo eſt voluntaria, & ad eius arbitrium haberi poteſt, ſufficit ad valorem electionis, quod qui conſentit electioni velit ſimul habere illam qualitatem, quia ex hoc habet illam pro tempore neceſſario, ſcilicet pro tempore officij exercendi, quod ſufficit. De iure igitur diuino irrita non eſt electio hæretici, ſi præſentata ſibi electione conſentit in fidem.

9. Sed dubium eſt, an electio hæretici manere volentis in infidelitate ſit ipſo iure diuino nulla. ſunt igitur opinio multorum illuſtrium virorum, quod fides ſaltem informis de iure diuino ſit neceſſaria ad valorem Papatus, & ità vt ceſſante fide in Papa ipſe ſtatim iure diuino ſit priuatus Papatu, quorum fundamenta refert Caiet *tom. 1. opuſ. tract. 1. cap. 17.* Et in horum ſententia electio hæretici eſſet ipſo diuino iure nulla ob incapacitatem ſubiecti. Nam ſubiectum poteſtatis ordinis, & iuriſdictionis Papalis, cum debeat eſſe membrum Chriſti, hæreticus verò membrum Chriſti non ſit, ſequitur quod hæreticus non ſit capax Papatus, & ideo quod electio infidelis ſit ipſo iure nulla. Et proptereà huius ſententiæ plures ſunt Canoniſtæ apud Iacobat. *lib. 3. de Concil. ar. 1. §. ſub iſto articulo.* Verum huius ſententiæ principium non admittitur à quampluribus Theologis, ſcilicet quod ſubiectum Papatus ſit homo fidelis. ſed dicunt ſufficere, quod ſit homo baptizatus quia proprium baptiſmi eſt facere hominem membrum Chriſti *cap. Veniens de Preſbyt. non baptiz.* cum tamen ſola fides informis ſine baptiſmo ad valorem ordinum non ſufficiat. Vnde Presbyter non baptizatus reordinatur *c. ſi quis Presbyter, eod. titulo.* Vnde quod Papa baptizatus ſi fiat hæreticus non ſit ipſo iure diuino priuatus Papatu tradunt Caiet. vbi ſupra *cap. 19. & 22.* Soto *4 d. 22. q. 2. v. 2.* Cano *4. de locis c. vlt. ad 12.* Corduba *l. 4. q. 11.* Suarez *de fide diſp. 10. ſect. 6. nu. 3.* Io. à S. Thoma *2.2. à q. 1. vſque ad 7. diſp. 2.* De quo puncto videri etiam poſſunt alij plures DD. quos cumulat Barboſa *l. 1. de iure Eccleſ. cap. 1. nu. 48.* Vnde iuxta hanc communem ſententiam, Baptizatus licet infidelis non eſt de iure diuino incapax poteſtatis ordinis, & iuriſdictionis, Vnde vt latè probat Caiet. locis citatis hæreticus validè ordinatur, & ſuſcipit verum ordinis characterem, & ſi Epiſcopus cadat in hæreſim non eſt de iure diuino priuatus Epiſcopatu. Et quamuis Papa ſi eſſet notorius hæreticus eſſet deponendus hoc tamen verum non eſt niſi poſt ſecundam monitionem incorrigibilem ſe demonſtret, & vlterius niſi Eccleſia eum hæreticum incorrigibilem declaret, & Papatu ſic deponat, vt tradunt DD. citati. Et ſic Papa niſi ſe corrigat iure diuino eſt priuandus Pontificatu ſed vt explicant citati Caiet. *c. 20. & 21.* & Suarez *n. 10.* Papa non eſt actu priuatus Papatu, niſi media ſententia Eccleſiæ declarantis illum hæreticum incorrigibilem, tunc enim non Eccleſia, ſed Chriſtus illum priuat Papali poteſtate.

10. Quo ſtante dicitur, quod hæreticus de iure diuino non eſt licitè eligibilis, quia eſt Pontificatu indignus, ſed ſi eligatur electio non eſt irrita ipſo facto, quia non eſt incapax poteſtatis ordinis, & iuriſdictionis, & imò ſi electus velit poteſt fidem amplecti, & Eccleſiam etiam ſanctiſſime regere. Electio tamen hæretici infirma, eſt, ac debilis, quia eſt irritabilis, ex eo quod ſi crimen electi ſit notorium, & ille nolit corrigi poteſt, & debet modo ſupradicto per Eccleſiam deponi. Et in hoc ſenſu intelligitur ſententia dicentium, quod electio hæretici in

Pa-

Papam ſit nulla, quia ſcilicet eſt irritanda, ſi electus nolit ſe corrigere. Et ſi dicatur, quod non eligitur validè, qui de iure diuino eſt deponendus. Primo negari poteſt aſſumptum, quia ordinatur validè hæreticus, licet de iure diuino ſit, quod talis licitè non poſſit celebrare, & Eccleſiam regere, & debeat ab exercitio ordinis, & iuriſdictionis impediri, & ſic huiuſmodi expedita poteſtate priuari. Secundo dicitur hæreticum Papam non debere deponi niſi ſit incorrigibilis, ex quo manifeſtè colligitur, quod interim illius electio valet, & quod de iure diuino electio tenet, niſi ob pertinaciam electus ipſe ſit poteſtate priuandus.

11. Verũ de iure canonico poſitiuo dicẽdum eſt, quod hæreticus, & ſchiſmaticus non ſunt eligibiles validè in Summos Pontifices, & hoc propter Conſtitutionem 19. Pauli Quarti, §. 6. & 7. tenoris ſequentis: *Adÿcientes, quod ſi vllo vnquam tempore apparuerit aliquem Epiſcopum etiã pro Archiepiſcopo, ſeu Patriarca, vel Primate ſe gerentem, aut prædictæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem, etiam vt præfertur Legatum, ſeu etiam Romanum Pontificem ante eius promotionem, vel in Cardinalem, ſeu Romanum Pontificem aſſumptionem à fide Catholica deuiaſſe, aut in aliquam hæreſim incidiſſe, ſeu ſchiſma incurriſſe, vel excitaſſe, aut commiſiſſe, promotio, ſeu aſſumptio, de eo etiam in concordia, & de vnanimi omnium Cardinalium aſſenſu facta, nulla, irrita, & inanis exiſtat, nec per ſuſceptionem muneris conſecrationis, aut ſubſecutam regiminis, & adminiſtrationis poſſeſſionem, ſeu quaſi, vel ipſius Romani Pontificis inthronizationem, aut adorationem, ſeu ei præſtitam ab omnibus obedientiã, & cuiuſuis temporis in præmiſſis curſum conualuiſſe dici, aut conualeſcere poſſit, nec pro legitima in aliqua ſui parte habeatur, nullamque talibus in Epiſcopos, ſeu Archiepiſcopos, vel Patriarchas, aut Primates promotis, ſeu in Cardinales, vel Romanum Pontificem aſſumptis, in ſpiritualibus, vel temporalibus adminiſtrandi facultatem tribuiſſe, aut tribuere cenſeatur; ſed omnia, & ſingula per eos quomodolibet dicta, facta, geſta, & adminiſtrata, ac inde ſecuta quæcunque viribus careant, & nullam prorſus firmitatem, nec ius alicui tribuant, ſintque ipſi ſic promoti, & aſſumpti, eo ipſo abſque aliqua deſuper facienda declaratione, omni dignitate, loco, honore, titulo, auctoritate, officio, & poteſtate priuati, liceatque omnibus & ſingulis ſic promotis, & aſſumptis, ſi à fide antea non deuiaſſent, neque hæretici fuiſſent, neque ſchiſma incurriſſent, aut excitaſſent, vel commiſiſſent.*

Subditis perſonis tam Clericis ſæcularibus, & regularibus, quam etiam laicis, nec non Cardinalibus, etiam qui electioni ipſius Pontificis anteà à fide deuij, aut hæretici, ſeu ſchiſmatici inter fuerint, ſeu alias conſenſerint, & ei obedientiam præſtiterint, eumque adorauerint, ac Caſtellanis, Præfectis, Capitaneis, & Officialibus etiam Almæ Vrbis noſtræ, & totius ſtatus Eccleſiaſtici, etiam eiſdem ſic promotis, vel aſſumptis homagio, ſeu iuramento, vel cautione obligatis, & obnoxijs ab ipſorum ſic promotorum, vel aſſumptorum obedientia, & deuotione impune quandocunque cedere, eoſque vt magos, ethnicos, publicanos, & hæreſiarchas euitare, eiſdem ſubditis perſonis fidelitati, & obedientiæ futurorum Epiſcoporum, Archiepiſcoporum, Patriarcarum Primatum, Cardinalium, & Romani Pontificis canonice intrantis, nihilominus adſtrictis remanentibus, & ad maiorem ipſorum ſic promotorum, & aſſumptorum, ſi eorum regimen, & adminiſtrationem continuare voluerint, confuſionem, contrà eoſdem ſic promotos, & aſſumptos, auxilium brachÿ ſæcularis implorare, nec propterea tales ab ipſorum ſic promotorum, & aſſumptorum fidelitate, & obedientia, præmiſſorum occaſione recedentes, tanquam tunicæ Domini ſciſſores aliquarum cenſurarum, ſeu pœnarum vltioni ſubiaceant. De hac autem conſtitutione mentionem faciunt Scortia Theorem. 185. Theſaur. in verb. ſchiſma *cap. 1. num. 5.* vbi etiam aduertit ex Cherubin. quod licet illa Conſtitutio non inueniatur publicata, tamen fuit innouata, & confirmata à Pio Quinto in ſua Conſtitutione 22. *Inter multiplices*, vnde vim habet, & robur. Addit etiam Theſau. ei non fuiſſe derogatum per Conſtitutionem *Aeterni Patris* Gregor. 15. quia ibi ſolum ſtatuitur, quod electioni Papæ obÿci non poſſunt excommunicationes, & cenſuræ. Sed pœna Conſtitutionis Pauli IV. non eſt cenſura, ſed inhabilitas.

12 Sexta conditio eſt ſcientia, quæ ſine dubio de iure diuino ad hoc vt quis legitimè, & licitè eligatur in Papam, talis, ac tanta eſt neceſſaria, quanta ſufficiat ad eum, qui eſt in terris Chriſti Vicarius, primæ Sedis Præſul Catholicæ Eccleſiæ Primas, Conciliorum Præſes, Auctor, Confirmator, Moderator, & Iudex, qui nec falli, nec fallere ſciat, ad quem in rebus fidei totus Orbis prouocare poteſt, qui eſt Depoſiti Apoſtolici ſeruator, à Chriſto traditæ doctrinæ ſummus interpres, Sacræ Scripturæ Cuſtos, & cognitor, Conditor canonum Orbis Doctor, controuerſiarum de fide Iudex, Hæreticorum vltor, Cenſor librorum, mundi arbiter, qui ſedet in Petri Sede, quæ eſt columna veritatis, & magiſtra. Et nihilominus an illiterati electio ſit de iure diuino irrita, & nulla quærit, & non ſoluit Gloſſ. *in cap. vbi periculum v. idoneo*, quam refert Gemin. §. *ceterum n. 3.* Sed cum *in cap. licet* electus à duabus partibus Cardinalium ſine exceptione admitti debeat, & vir habens vſum rationis expeditum non ſit incapax regendi alios ſaltem per miniſtros, & DD. dicunt, quod ſi puer eligatur, dum tamen habeat vſum rationis eius electio non erit inualida, vt ex Iacobat. *lib. 3. a. 1. verſ. idem de infante*, & Maiol. *de irregul. lib. 1. cap. 30. num. 13. tradit* Lauor. *tr. 4. c. 12. num. 6.* non eſt vnde dicamus electionem illiterati in Pontificem eſſe ipſo iure diuino irritam. Sed nec iure humano irrita eſt, quoniam vt docet Panorm. *d. cap. licet n. 11.* Alex. 3. ibi abſtulit impedimenta iuris humani, decernens electum à duabus partibus Cardinalium ſine exceptione habendum eſſe tanquam legitimum Papam. Hæc enim electio, quæ non habet Superiorem in terris, qui in dubio de eius valore iudicare poſſit, niſi pro quanto Concilium Generale congregetur, quod eſt valdè difficile congregare, & non niſi cum temporis diſpendioſos diuturnitate, optimè exempta fuit ab oppoſitionibus, & exceptionibus, & impedimentis iuris poſitiui, vt occaſiones ſchiſmatum tollerentur.

13 Septima conditio eſt morum ſanctitas, &

hone-

honeſtas, quæ certè de iure diuino maxima requiritur in Summo Pontifice, qui à Deo aſſumitur, vt ſit impollutus, & ſegregatus à peccatoribus tanquam ſacrorum Summus Antiſtes, Ianitor Regni Cælorum, fons Sacerdotij, Princeps Paſtorum, Religionis vertex, vindex ſcelerum, Cuſtos Canonum Eccleſiaſticæ diſciplinæ curator; Verum criminoſi viri electio in Papam nedum non eſt iure diuino ipſo iure nulla, quia poteſtas ordinis, & iuriſdictionis non præſupponit neceſſariò ad ſui exiſtentiam bonitatem vitæ, & charitatem, Turrecrem. *cap. ſi quis pecunia n.* 8. *d.* 29. Sed quia Papa criminoſus notorius ob aliud crimen, quam ob crimen hæreſis, vel ſchiſmatis in terminis Bullæ Pauli Quarti, vel ex Conſtit. Iulij Secundi ob crimen ſimoniæ in ſui electione commiſſæ, nec poteſt accuſari, aut iudicari, aut deponi, vt latiùs probo infra, vbi de exceptionibus quæ fieri poſſint, vel non poſſint contra electionem Pontificis erit ſermo. Et iure meritò nec Deus ex diuino iure, nec Eccleſia ex iure poſitiuo voluit, quod ex conditionibus perſonæ penderet valor electionis Pontificis ſuppoſito in viro vſu rationis libero, & Baptiſmo, quia cum conditiones perſonales non ſint omninò euidentes, & ſub ſenſu cadentes, & latitudinem habeant, & incertitudinem, admittant, conſultius fuit ad excludendas Eccleſiæ ſciſſuras, vt per huiuſmodi conditiones non irritaretur electio, cum alias etiam experientia comptobauerit, quod diuina prouidentia per iam mille, & ſexcentos ſeptuaginta annos ad Sedem Apoſtolicam homines vt plurimum & ferè ſemper doctiſſimos, & morum honeſtate commendabiles aſſumpſerit.

14. Octaua conditio eſt, quod eligendus ſit Cardinalis. Sed hæc conditio requiritur ex decentia, & honeſtate, non ex neceſſitate. Primam partem latè probant Turrecrem. *cap. In nomine Domini diſt.* 23. *ar.* 3. *num.* 10. & D. Anton. *par.* 2. *tit.* 21. *cap.* 2. §. 7. Tum primo quia hoc eſt generale in qualibet Eccleſia, vt Epiſcopus eligatur de gremio eius *cap. Nullus, & cap. Obitum diſt.* 61. *cap. Metropolitano diſt.* 63. & *cap. Quod ſit* 18. *qu.* 12. Tum ſecundo, quia Cardinales, qui Romano Pontifici aſſiſtunt in adminiſtratione totius Eccleſiæ pleniorem notitiam habent huius praxis Eccleſiaſticæ in diſpenſando, reſtringendo, concedendo priuilegia. Tum tertio, quia Cardinales maiorem notitiam habent iurium Eccleſiæ Romanæ, & eius priuilegiorum. Tum quarto quia Cardinalis quiſque maiorem cognitionem habet prudentiæ, experientiæ, zeli, & ſufficientiæ in agendis aliorum Cardinalium, & Prælatorum, quorum auxilio vti debet in Eccleſiæ regimine. Quinto, quia Cardinales plenius cognoſcunt Romanæ Eccleſiæ fideles ſubditos, & rebelles, ne contingat exaltare indignos, & humiliari eleuandos. Sexto, quia Cardinales magis ſunt apti, quia magis propinqui Pontificatui. Alias enim ſæpè contingere poſſet iuxta Ariſtotel. doctrinam, quod de humiliori ſtatu repente ad tam excelſum ſublcuati neſcirent ferre fortunam, nec vti tanto dominio, Cardinales vero ratione ſublimis ſtatus non terrentur Pontificia dignitate. Vndè eſt etiam, quod per ſe loquendo, & regulariter Cardinales ſunt aptiores, digniores, & vtiliores Vniuerſali Eccleſiæ, qui inueniri poſſit. Quo ſtante de iure diuino etiam eſt, vt regulariter electio non fiat licitè niſi ex illis.

15. Sed hoc non eſt de neceſſitate. Et quidem non de neceſſitate præcepti, quia vbi omnibus penſatis in promptu eſſet extra Collegium Cardinalium, qui longè melior pro Eccleſiæ gubernio eſſet, certe nullum eſſet peccatum illum eligere. Nam Nicolaus Secundus Papa, *cap. In nomine Domini*, decernit poſſe eligi Papam extra Collegium Cardinalium, ſi in eo non inueniatur idoneus. At verò, cum vt adnotanit Genuin. *cap. Vbi periculum*, §. *Cæterum num.* 3. Idoneus ad Pontificatum ſimpliciter inueniri non poſſit, ſed ſolum aſſumendus, vt idoneus qui ſecundum humanam poſſibilitatem haberi poteſt, benè ſequitur, quod minus idoneus notabiliter, & euidenter reſpectu magis idonei nõ eſt idoneus, ſed ille ſolus omnibus penſatis in indiuiduo eſt idoneus, qui in promptu eſt melior. Nec valet Dianæ inſtantia *par.* 5. *tr.* 2. *reſol.* 63. dicentis, quod *cap. In nomine Domini*, non dicitur, quod eligatur aliquis extra Collegium, niſi quando in eo non eſt eligi dignus, ſed tunc etiã ſi nullum eſſet decretum eligendus eſſet aliquis extra Collegium, quia omni iure prohibitum eſt eligi indignum. Nam Nicolaus Secundus ibi nihil noui decernit, ſed ius diuinum explicat, quod certè vult, vt infra ex profeſſo probo, vt ſemper eligatur ſimpliciter dignior, qui habetur in promptu, vt idem Nicolaus Secundus Papa decreuit in Concilio Romano, & habetur *cap. Si pecunia*, ibi, *Eligant quem digniorem, & vtiliorem Apoſtolicæ Sedi perſpexerint*. Et vt dicebatur, qui notabiliter eſt minus dignus, non eſt dignus comparatione dignioris, qui eſt in promptu, quia reſpectu Papatus nullus eſt dignus, niſi in defectum dignioris. Nec alia, quæ ibi Diana cumulat contra Sotum faciunt ad rem, quia probant quidem, quod regulariter Cardinales ſint digniores, quod eſt veriſſimum, & ex conſequẽti, quod etiam regulariter eſt neceſſe eligere Papam ex Collegio ex ratione præcepti obligantis ad eligendum meliorem. Sed non probant, quod abſolutè ſimpliciter, & per ſe neceſſe ſit neceſſitate alicuius præcepti eligere ex Collegio, & quod vbi optimus habeatur in promptu extra Collegium ſit vel minimum peccatum illum eligere.

16. Nec obſtant *cap Oportebat, & cap. Nullus diſt.* 79. Quoniam illi Canones continent legem ex honeſtate dirigentem, vt explicat Turrecrem. *d. cap. Oportebat*, & quatenus contineant præceptum, non continent ius nouum, vndè dicitur, quod oportebat, quod vnus de Presbyteris Cardinalibus ordinaretur, hic vero modus loquendi legem ſupponit, non imponit, & dicitur, ità oportuiſſe, quia ità à Petro, & eius ſucceſſoribus inſtitutum fuit. Lex verò à Petro, & alijs ſucceſſoribus inſtituta ſemper fuit eadem cum illa, quæ habetur *cap. In nomine Domini*. ſcilicet ſi in Collegio inuenitur idoneus, vt explicant Gloſſa ibi *cap. Oportebat*, & Turrecrem. *cap Nullus*. Et ita ſemper verum eſt, quod ſuppoſito quod extra

tra Collegium non ſit alius notabiliter dignior, quod quidem de raro,& ex accidenti poteſt contingere, vt patet ex dictis, eligi debet ex Collegio Cardinalium, non tamen quod ſit illicitum eligere extra Collegium, ſi extra ſit dignior,qui in promptu habeatur. Cœterum ſi canones illi continent præceptum poſitiuum à lege Diuina diſtinctum, ſequitur quod nec omnes Cardinales de Collegio, nimirum Cardinales Epiſcopi eligi poſſint, quia canones illi expreſſe tradunt Papam oportere eligi ex *Præsbyteris*, aut Diaconibus Cardinalibus. Et primus qui ex Epiſcopo aſſumptus fuit in SummumPontificem fuit Formoſus Pontifex 113. qui ab Epiſcopo Portuenſi electus eſt in Papam anno 891. cum teſte Ciaceono ante ipſum non niſi ex *Præsbytero*, aut Diacono Cardinali Pontifex eligeretur. Et ita quod non ſit neceſſe eligere *P*apam ex Collegio Cardinalium tradiderunt Gloſſ. *in c.Oportebat diſt.*79. & ibi Archid. *in cap. Nullus diſt.* 79. Anchar. *in cap.Vbi periculum nu.*1. *de elect. in* 6. & ibi Franc. §.1.*num.*11. *& in* §. *præterea num.*5. Speculat. *ibid.num.*48. Turrecrem. *cap.In nomine Domini diſt.*23. *art.*3. Geminian. ibid. *nu.*4. Hoſtien. *in cap.Licet num.*17. *de elect.*& ibi Compoſtell. *num.fin.* Io.Andr.*num.*11. D. Anton. 3. *par. tit.*21.*cap.*2. §.7. Sotus *de iuſt.l.*3.*q.*6 *art.*2. Sylu. *v.electio* 3. *num.*3. Gloſſ. *In nomine Domini, verb. gremio diſt.*23. Tuſc. *lit. E. concl.* 57. *num* 23. Caſtell. *de elect.cap.*10. Petrus Mauar. *de reſtit. lib.*2. *cap.*2.*n.*170. Et ex dicendis magis hoc conſtabit. Cocein. *in manuſcript. Gloſſem. ad Conſtitut. Greg.XV.* §. *Inſuper p.* 386. Iacobus Cohellius *de notitia Cardin. cap.*16. *prin.*1. Salon. 2.2.*q.*63. *ar.*2. Turrecr. 2.2. *tractat. de iuſt. diſp.* 22. *dub.*4. *num.* 4.

17. Nam tertio dicitur, quod electio Papæ de perſona extra Collegium eſt valida, & electus ſi aliud non obſtet eſt verus Papa. Oppoſitum quidem huius tenuit Lancell. *in templ. Iudic. l.*2. *cap.* 1. *de Pontif.* §.2. *q.*4. *num.*4. apud Dianam *d.reſol.*63. fundatus in *d.cap.Oportebat*, ſed communiſſime oppoſitum ſentiunt præter citatos DD. Panorm. *cap.Licet nu.* 11. *de elect.* Auguſt. Triumph. *de Elect.Papæ q.*3. *art.*6. Manfred. *de Cardin.dec.*265. *&* 299. Azor. *part.* 2. *l.*4. *cap.*5. *q.*6. Suarez *diſp.*10.*de fide sect.*4. *nu.fin.* Villalob. *in ſum. tom.*2. *tract.*7. *diff.*3.*num.*18. Campan. in *diuerſ. rubr.*7. *cap.*6. *num.*71. Gondiſl. *de orig.& poteſt. Cardin.num.*31. Gambara *de poteſt. Legat. à latere l.*7. *num.*151. Pelagius *de Planctu Eccleſiæ l.*2. *cap.*10. *col.*5. Carolus Sign. *de Regno Italiæ l.*9. *anno* 1059. Illercas *in Hiſtor. Pontif. p.*1. *l.*5. *cap.*11. Lauor. *tom.*1. *tit.*4. *cap.*12.*nu.*7.*&* 8. Boet. *Ep. lib.*1. *de Regalib. in benef. Eccl. n.*208. Bonac. *de elect. Pontif. contr.*1.*q.*2. §.*vnico n.* 19. Cencdus *ad Decretum collect.* 18. *num.* 1. Diana *d.par.*5. *tract.*2. *reſol.*63. Barboſ. *lib.* 1. *de iure Eccleſ num.*58.*&* 78. *& in cap. In nomine Domini nu.* . Machad.*tom.*2. *l.*4. *par.*7. *tract.* 4. *documen.*2. *num* 1. Nam & in *cap. Licet de elect.* mandatur, vt electus à duabus partibus Cardinalium habeatur vt Pontifex ſine vlla exceptione. Ex quo capite tollitur omne impedimentum, quod ſit de iure poſitiuo, vt contra electum à duabus partibus Cardinalium opponi non poſſit,vt notat ibi Panorm. *n.*4.& 11.

18. Quod adeò verum eſt, & vt etiam ſi ex laico fuerit quis à duabus partibus Cardinaliũ electus ſit valida electio, prout docuerunt Panormit. *in cap.Licet num.*11. *de elect.* Gloſſ. *in cap. Si quis pecunia, v. non apoſtolicus diſt.*79. Turrecrem. *cap.Si quis pecunia diſt.*79.*art.*3. Decius *in c. Licet nu.*9. Iacobat. *l.*3. *de Concil.art.*1. §.*Sed ſi vxoratus pag.*149. Lauor. *d. tit.*4. *cap.*12. *nu.* 10. Boet. *Epiſ. de Regalib.lib.*1. *nu.*208. *p.*137. Barboſ.*l.*1. *de iure Eccleſ cap.*1. *nu.*78. & alij DD. ſequentes, qui tenent etiam laici vxorati electionem valere, ſi alias canonicè eligeretur in Pontificem. Sic enim docent Gloſſ. *in cap.Si quis pecunia diſt.*79. Panorm. *d.cap.Licet, & cap.Conſtitutus num. vlt. de conuerſ. coniugatorum, & vxoratus num.* 1. *eod. tit.* Sylu. *v. Matrimonium* 8. *q.* 12. *dicto* 3. Trot. *de vero, & perfecto Clerico l.*2. *cap.*8. *num.* 3. Maiol. *de irregul. l.*1. *cap.*34. *num.*3. Perez *l.* 1. *Gloſſem.* 3. *verſ.In tantum tit.*1. *l.*5. *ord. pag.*23. *P*ariſ.*l.*3. *q.*18. *nu.*135. Azor. *p.*1. *l.* 13. *cap.* 14. *quæſt.* 13. Lauor. *tract.*4.*cap.*12. *num.*11. Sanchez *de matrimon. l.*7. *diſp.*38.*nu.*12. Qui etiam dicunt, quod ſi hoc factum fuiſſet vxore neſciente, ſeù abſque vxoris licentia, quod Pontifex electus non eſſet ſolutus à iuſtitia legis matrimonialis ſi vxor nollet continere quod & docuerat Gloſſ. & Turrecrem. ſupra citati. Quamuis ſi id factum fuiſſet ſciente vxore, eam poſſe cogi ad continendum tradiderunt Archid. *d.cap.Si quis pecunia diſt.* 79. Machado *d.tom.*2. *l.*4. *par.*7. *tract.*4. *docum.*2.*n.*3. Barboſ. *vbi ſupra nu.*79. Lauor. *d. num.* 11. Nec talis vxorati electionem cenſendam eſſe irritam etiam ſi Cardinales neſciuiſſent electum eſſe vxoratum, & ſi ſciuiſſent non elegiſſent, addit Bonacin. *de elect. Pontiſ. contr.* 1. *q.*2. *num.*4. ex Villadieg. *de orig. Card. num.* 33. & alijs, quos ſequitur Iacobat. *l.* 8. *ar.* 9. Et cum hi DD. ferè omnes abſolutè loquantur,& dicant laicum poſſe eligi in Pontificem, ſeu poſſe eligi aliquem extra Collegium Cardinalium ſatis ſignificant, etiam nullum eſſe in hoc peccatum, ſi alias deſit mala circumſtantia qualis eſſet verè mala, ſi extraneus eſſet notabiliter minus dignus omnibus Cardinalibus.

19. Atque ex his hac ratione concluditur intentum. Nam de iure diuino nulla eſt determinatio niſi quod eligatur omnium optimus, qui ſit in promptu. Eccleſia enim Romana vniuerſaliſſima mater totius orbis non diſcernit Latinum à Græco, & Europeum ab Aſiatico,ſed omnes ſuo ſinu complectitur. Nec vel in Euangelio, vel in Epiſtolis Apoſtolorum, vel ex Apoſtolorum traditione habetur, quod ſoli Cardinales ſint eligibiles. Sed neque hoc habetur ex aliquo canone *P*ontificio, aut Conciliari. Quia ſi Canones Stephani *P*apæ ex Concil. Romano, *cap.Oportebat, & cap.Nullus*, continent præceptum, non poſſunt eligi Cardinales Epiſcopi,quia ibi ad Præsbyteros, & Diaconos Cardinales reſtringitur electio. Et ſi dicatur, quod illis derogatum eſt à Micolao II. in alio Conc.Romano *cap.In nomine Domini diſtin.*23. iam habetur, quod nedum ex Cardinalibus, ſed ex omnibus Clericis,& Clero Rom.poteſt eligi *P*apa quoniã in eo capite non dicitur,quod eligatur Papa ex

Cardi-

Digitized by Google

Cardinalib. ſed ex gremio Eccleſiæ. Quod verò gremium Eccleſiæ Romanæ non contineat ſolos Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos Cardinales, colligitur primò quia cum *cap. nullus diſt. 61.* ſtatuatur, quod Epiſcopus eligatur de propria Eccleſia ſic dicitur. *Tunc autem alter de altera eligatur Ecleſia, ſi de ciuitatis ipſius Clero, cui eſt Epiſcopus ordinandus nullus dignus quod euenire non credimus, poterit reperiri.* Ex his enim habemus, quod idem eſt Paſtorem eligi de Eccleſia, vel de gremio Eccleſiæ, quod eſt eum eligi ex Clero Ciuitatis, & certè ſub nomine Cleri Romani non veniunt ſoli Cardinales, quia in eodem *Cap. In nomine Domini Clerus à Cardinalibus diſtinguitur, vt totum à parte ibi mox Clericos Cardinales adhibeant, ſicque reliquus Clerus, & populus ad conſenſum nouæ electionis accedunt.* In rigore igitur litterali illius capituli Papa aſſumitur de gremio Eccleſiæ Romanæ, ſi eligitur aliquis de Clero Romanæ Ciuitatis. Sed vlterius additur, quod nomen Cardinalis antiquitus ad Subdiaconos, & Clericos S. R. E. extendebatur, vt ex decreto electionis S. Gregorij VII. probaui ſupra, vnde ſine dubio omnes iſti Clerici erant, & nunc verè ſunt de gremio Eccleſiæ Romanæ, igitur quantum ſit ex vi decreti Nicolai Secundi omnes Clerici S. R. E. eligi poſſunt in Pontifices, quia omnes tales ſpectant ad Clerum, & ſunt Clerici de gremio S. R. E. Propterea dicitur, quod illi Canones continent honeſtatem, & ad legem diuinam nihil addunt, ſed eam exprimunt. & quatenus quis velit, eos continere vim legis poſitiuæ, dicitur quod illis derogatum fuit ab Alexandro III. in *cap. licet* vbi vt exponit Panorm. & communiter alij Canoniſtæ ſancitum eſt, vt qui de lege naturali, vel diuina poteſt eſſe *Papa*, is nulla exceptione alia introducta de iure poſitiuo obſtante habeatur pro vero *Papa*, ſi fuerit canonicè electus à duabus partibus Cardinalium.

20. Hinc eſt, quod nullum fundamentum habet, quod ex Archidiacono *cap. nullus diſt. 79.* tradit Iacobus Cohellius *de not. Card. cap 16. priuil. 1.* nimirum quod ſic non Cardinalis poteſt eligi in Papam quod tamen promouendus prius erit in Cardinalem, & hoc ab ipſis Cardinalibus nam nec Cardinales poſſunt creare Cardinalem, vt ex Archid. *cap. nullus diſt. 79.* & Turrecrem. ibid. Albertus de Rolatis, & Azor. probat Lauor. *var. lucubrat. tract. 3. cap. 3. n. 11.* & Hoſtien. *in cap. licet num. 26. de elect.* Specul. *in cap. vbi periculum* 14. *eod. titul. in 6.* quos refert, & ſequitur Coccin. *in manuſcript.* Gloſſem. ad Conſtitut. Gregor. XV. *ad* § *ſimiliter pag. 469.* nec eſt vnde aſſeratur hæc neceſſitas creandi eligendum in Cardinalem, vt eligatur in Papam, cum immediatè etiam ex Laico poſſit *Papa* eligi.

21. Concluditur igitur, quod in hac parte ſola lex diuina attendi debet, quia nec modo eſt nec fuit lex poſitiua ſpecialis magis obligans ad eligendum Papam ex gremio Cardinalium, quàm lex diuina obliget. Quia enim regulariter Cardinales digniores ſunt, & aptiores Pontificatui, ideò ex lege diuina Cardinales ſunt regulariter eligendi, ſed tamen caſus poterit eſſe, vt eadem lex diuina obliget ad eligendum aliquem extra Collegium, & alias ſi hoc fiat ſiue licitè, ſiuè non licitè, electio tenet ſi alias eſt canonicè electus. Sic enim, & in facto Antherus Pontificum 20. anno 232. ex monacho commorante in Sardinia electus fuit. Stephanus VII. dictus VI. anno 896. & Epiſcopo Anagnino. Ioannes X. vel alias XI. anno 914. ex Archiepiſcopo Rauennate. Ioannes XIII. anno 965. ex Epiſcopo Narnienſis. Benedictus VI. dictus VII. anno 975. Ex Epiſcopo Sutrino Ioannes XIV. anno 984. ex Epiſcopo Papienſi Gregorius V. anno 995. ex Cappellano Imperatoris, & Antiſtite V rdenſi. Sylueſter II. anno 998. ex Archiepiſcopo Rauennate. Clemens II. anno 1047. ex Cancellario Imperatoris, & Epiſcopo Bambergenſis. Damaſus II. anno 1048. ex Epiſcopo Brixieñ. & Patriarcha Aquileienſi. Leo IX. anno 1049. ex Epiſcopo Tullenſi. Victor II. anno 1055. ex Epiſcopo Ciſtatenſi. Nicolaus II. anno 1059. Ex Archiepiſcopo Florentino. Alexander II. anno 1061. ex Epiſcopo Lucenſi. Calixtus II. anno 1119. ex Archiepiſcopo Vienneſi. Eugenius tertius anno 1145. ex Abbate Monaſterij SS. Vincentij, & Anaſtaſij. Vrbanus IV. anno 1261. ex Patriarcha Hieroroſolymitano Gregorius X. anno 1271. ex Archidiacono Leodieñ. Cæleſtinus V. anno 1294. ex eremo, Clemens V. anno 1305. ex Archiepiſcopo Burdegal. Vrbanus V. anno 1362. ex Abbate Maſſilienſis, & Vrbanus VI. anno 1378. ex Archiepiſcopo Barenſi. Et ex his Petrus Moronus Eremita, nec erat in ſacris quando fuit electus, & poſtea dictus Cæleſtinus V. ſed & in Cæremoniali Romano ponitur modus ordinandi Laicum aſſumptum ad Pontificatum.

22. Nona conditio eſt, vt electus non eligatur ſimoniacè, de qua conditione ſatis in præcedentibus dictum eſt. Decima autem conditio eſt, quod eligendus ſit omnium optimus. Hæc conditio non eſt neceſſaria ad valorem electionis, ſed ex iure diuino eſt neceſſaria vt electio virtuosè habeatur ſine peccato, vt ex D. Th. 2. 2. *quæſt. 63. art. 3. & quæſt. 185. art. 31.* docent communiter DD. & is inteligi debet optimus non qui ſit, vel doctiſſimus, vel Sanctiſſimus, ſed qui conſiderato Eccleſiæ ſtatu eſt ei omnium vtiliſſimus, qui tamen in promptu habeatur. Nam qui in promptu non habetur, nec eſt vtiliſſimus. Vnde non eſt neceſſe, quod Cardinales per totum mundum inquirant optimum, quia imò tenentur quam primum poſſunt Eccleſiæ vacanti prouidere de Sponſo, ſed competenti diligentia habita tenentur illum eligere, quem optimum iudicant ad Eccleſiam regendam, vt de electione Prælatorum in communi dicunt D. Anton. *3. par. tit. 21. cap. 2.* §. 8. Franc. *in cap. vbi periculum* §. *Præterea num 5. de elect. in 6* Alban. *q. 11.* Sotus *l. 3. de iuſt. quæſt 6 art. 2. ad 5.* Sylueſ. *v. electio 3. num. 3.* Manfred. *de ſacro Colleg. dec. 20.* Rauden. *dec. Piſan. 33. num.* 10. Et ratio eſt manifeſta, cum enim vt Gemin. ex *cap. non vos diſt. 40. & 8. q. 2. c. 1. &* ex *Cler. Piſano* Io: Monach. Arch. & Io: Andr. probant ex *cap. vbi periculum de elect. in 6.* § *Cæterum num. 3.* ad Papatum non detur idoneus ſimpliciter, ſed ſo-

Digitized by Google

lũ detur idoneus in defectũ magis idonei, nullus eſt, qui ſpectata exigẽtia diuini iuris ſit idoneus, ſi eo eſt alius dignior. Et ideo in idẽ coincidunt, quod ſit neceſſe eligere dignum, & quod ſit neceſſe eligere digniorẽ ſecundo nàm in *cap. ſi quis pecunia diſt.* 79. expreſsè dicitur, quod dignior eligatur tertio quia ſi ad fugiendũ peccatũ ſufficeret eligere dignũ, vt ſic dicam ſubſtantialiter, ea ſcilicet dignitate, quæ ſufficiat ad valorem electionis, ſeu quam ad valorem electionis requirit ius poſitiuum, vt electio ſubſiſtat, ſequeretur, quod non peccarent Cardinales eligendo notorium criminoſum, & ſcandaloſum, quia talis non eſt indignus vt valide eligatur. Alia igitur eſt indignitas excludens valorem electionis, & alia eſt oppoſita honeſtati electionis, & hoc modo minus notabiliter dignus eſt indignus, quia Eccleſia, quæ non poteſt habere digniſſimum ſimpliciter, ius habet, vt ad minus habeat digniſſimum ob defectum dignioris, ſeu digniſſimum, qui ſit in promptu. Et tandem Cardinales iubentur iurare ſe eligere eum, quem iudicant eſſe eligendum ſecundùm Deum, is verò vt ſupra dictum eſt, non alius eſt, quàm vt Eccleſiæ prouideatur de meliori, qui haberi poteſt.

23. Hinc eſt nõ eſſe admittẽdũ, quod ex Manfredo refert Diana *par.* 5. *tract.* 2. *reſol.* 63. & approbat Lauor. *tract.* 4. *cap.* 12. *num.* 9. ſcilicet licere eligere dignum ex Collegio Cardinalium relicto digniori, ſed teneri Cardinales eligere notabiliter digniorem extra Collegium, vt voluit Franc. *cap. vbi periculum* §. *præterea num.* 5. Quoniam non eſt omnibus penſatis dignus Pontificatu is, qui non eſt alijs dignior. Ideo Cardinales vulnerant conſcientiam ſuam eligendo dignum omiſſo digniore. Panorm *in c. conſtit.* 2. *de appell. num.* 7. *&* 8. *&* ex *Dec. conſ.* 72. *col.* 3. Alban. *quæſt.* 11. *fin.* Cæteris autem paribus Theologum eſſe præferendum Doctori Canonũ probauit S. Anton. *par.* 3. *tit.* 21. *cap.* 2. §. 8. quem ſecutus eſt Sylueſ. *v. electio* 3. *num.* 3. Tum quia Papa præficitur Eccleſiæ, quæ fide operante per charitatem informatur. Tum quia ſcientia Theologiæ præeminens eſt, & ideò magis conueniens ſupremæ poteſtati, cum Theologia tanquam Regina alias facultates habeat vt ancillas. Tum quia Papa eſt vniuerſalis Iudex controuerſiarum fidei, & morum, & legis naturalis, & diuinæ propugnator, & explicator. Tum quia Theologus veritatem legũ ſcit a priori, & de canonum ſtatutis iudicium ferrè poteſt ex proprijs cauſis. Tum quia conuenit vt Pontifex forenſium lites non per ſe ipſum, ſed per miniſtros cognoſcat. Tamen ſemper eſt conſiderandus Eccleſiæ ſtatus, an magis indigeat Theologo, vel Canoniſta. Hoſtien. in *c.* 1. *n.* 6. *de conſanguin. & affin. & ibi Panorm. num.* 9.

24. Et ad maiorem dictorum explicationem conſiderandum eſt, quod licet diuino iure ſpectato in idem coincidant minus dignus, & non dignus ad regendam Eccleſiam tamẽ diſtinctio aliqua dari poteſt, quia indignus ſumi poteſt veluti negatiuè, & contrariè, & ſic diſtinguuntur non dignus, & indignus, & non dignus eſt, is, qui non eſt optimus, ſed indignus eſt, qui non habet requiſita à lege poſitiua. Seu indignus, & minus dignus diſtinguuntur conſiderata Eccleſiæ damno emergente, & lucro ceſſante. Vt indignus dicatur, ex quo Eccleſiæ proueniat damnum per ſubtractionem neceſſariorum, ille vero dicatur minus dignus, ſub quo Eccleſia non lucrabitur, & non proficiet. Sed quocunque modo hæc explicentur, conſtat, quod ſine peccato non poſſunt Cardinales omittere electionem illius, ſub quo notabiliter Eccleſia proficiet. vt præ illo is eligatur, ſub quo Eccleſiæ lucrum ſpirituale, aut temporale æſtimabiliter ceſſabit.

25. Quærunt etiam DD an aliquando liceat eligere minus dignum, & multi affirmant, ſed pace eorum dixerim vocem ignorant, & nomine minus digni intelligunt, vel minus ſanctum, vel minus doctum, vel quid ſimile, ſed accipiendo digniorem prout veri debet ſumi, vt dicit Eccleſiæ vtiliorem, qui ſit in promptu, & poſſit haberi nullus eſt dabilis caſus, in quo liceat eligere minus dignum, quia in omnibus caſibus recenſitis tunc alius minus dignus eſt ex præſentibus circunſtantijs dignior, qui haberi poſſit, vt ſi abſolute non poteſt concludi electio optimi maiori parte illum excludente, benè ſauet Cardinalis, qui ex ſe non excludens optimum eligit ex alijs meliorem, qui poſſit haberi. In quo tamen caſu optimi electio debet eſſe omninò deſperata. Et adhuc non neceſſitabitur Cardinalis ad eligendum minus dignum, ſed in hoc circunſtantiæ temporis attendi debent, & ſi ratione publicæ pacis, & Eccleſię vtilitatis ſit bonũ eligere minus dignũ, ille eligi debebit, ſecus ſi adhuc publica vtilitas petat, vt Eccleſiæ conſtet dari in Collegio viros, qui ab honeſtate electionis non flectuntur reſpectibus humanis. Et certè per ſe & abſolutè loquendo ex eo, quod alij nolint eligere optimum non eſt neceſſitatus Cardinalis cordatus ad eligendum minus dignum, ſed eſt in libertate, vt conſideratis circunſtantijs agat, quod ſecundum Deum ſibi videtur agendum.

26. Pariter ſi dum Cardinales perſiſtunt in electione optimi, interim non concurrentibus alijs electio protrahitur cum damno Eccleſiæ conſideranda eſt qualitas vtriuſque damni, & an ſit maioris damni cauſa delatio electionis, vel minus digni electio, & minus malũ eſt eligendũ, quod ſi ex dilatione electionis certo, & indubitate futura timetur rationabiliter maius damnũ Eccleſiæ, quam ex electione minus digni tunc minus dignus per accidens, & in facto eſt dignior, qui poſſit haberi, & poteſt, & debet eligi, ſi cæteris alijs ſit dignior.

27. Item ſi electio minus digni omnibus benè penſatis ſit neceſſaria ad impediendam electionem indigni, vel notabiliter minus digni, tunc illa electio ſic neceſſaria eſt habenda, quia tunc ille minus dignus eſt dignior.

28. Electio autem indigni ſi indignus ſumitur contrariæ nunquam eſt licita, quia eſt de iure diuino reijcienda. Et de his videri poſſunt Caiet. *v. elect.* Soto *de iuſt. c.* 3. *q.* 6. *a.* 2. B[illegible]nes. 22. *q.* 63. *n.* 2. *dub.* 3. *&* 4. [illegible] *ibi* Aragon. & Salon. *contr.* 4. Ledeſma *tr.* 7. *concl.* 7. Lauor. *de elect. cap.* 2. *n.* 58. Card. de Lugo *diſp.* 35. *n.* 30. & alij

quos retuli *in tract. de elect. cap. 30. q. 10.* vbi latè de hac materia.

De conſenſu electi.

QVÆSTIO XXXI.

1. POſt electionem neceſſarium eſſe conſenſum electi verum eſt in omni electione etiam Prælatorum inferiorum *cap. cupientes de elect. in 6.* Vnde & in electione Papæ ſeruatur. Non enim contrahitur hoc ſpirituale matrimonium ſine mutuo conſenſu Eccleſiæ, & electi. Nam electus in Papam multas contrahit obligationes, quoniam ad paſtoralem totius Eccleſiæ curam ſe obligat. Vbi vero contrahitur ex contractu obligatio, vel quaſi obligatio requiritur conſenſus ſe obligantis Caiet. *tr. 1. cap. 26.* Bonac. *q. 2. n. 9.* vbi ſubdit Eccleſiam non vacare ſi electo abſente interim poſt electionem expectatur conſenſus. Sed tamen oppoſitũ eſt verum, quia nec ſedes Apoſtolica eſt impleta ſimpliciter, nec Eccleſia habet Papam niſi in via, & parum intereſt, quod poſſit dici, quod Papa ſit conceptus, quia hoc in rigore neque eſt verum, ſed adhuc actio generantis eſt in fieri, & proles nec eſt concepta, nec genita, ſed ſimul concipitur, & naſcitur; cum poſt electionem electus conſenſit.

2. Circa huiuſmodi conſenſum autem primo eſt dubium An Cardinales poſſint præcipere electo, vt electionem, quam primum vel acceptet, vel reſpuat, ſi acceptare nolit, affirmat Bonac. *q. 2. n. 12.* quia Collegium Cardinalium habet poteſtatem in ſingulos Cardinales maximè circa ea, quæ ad electionem pertinent, vt habet *cap. Vbi periculum de elect. in 6.* & in Conſtitut. Pij Quarti *in eligendis*, & ex Lauor. tradit Diana *par. 5. tract. 2. reſolut. 9.* vbi quod non fuit intentio Põtificum denegare Collegio Cardinalium Iuriſdictionem neceſſariam circa ea, quæ retardare poſſunt negotium electionis, & ideo Collegium Cardinalium poſſet cogere electum, vt electionem acceptaret, vel vt eam reſpueret, ſi acceptare nollet.

3. Et poteſt hoc confirmari, & imo extendi ex communi illa regula iuris *ex l. 2. ff de iuriſd. omn. Iud.* quod illi cui conceditur Iuriſdictio intelliguntur conceſſa omnia, quæ ſunt neceſſaria ad eam exercendam. Cum igitur Collegio Cardinalium commiſſum ſit eligere, & prouidere Eccleſiæ de Summo Pontifice intelligitur etiam conceſſa facultas nedum ſub conditione ſed abſolute compellendi electum ad hoc, vt conſentiat electioni; & ſic Eccleſia Paſtorem habeat. Et hoc idem ratione probatur. Nam vt patet ex doctrina D. Thomæ *4. d. 29. q. 1. a. 4.* ad quartum ad bonum regimen Eccleſiæ neceſſaria eſt in Eccleſia poteſtas compellendi ad Epiſcopatus, Prælaturas, & alia Eccleſiaſtica officia recipienda, quia aliter periret Eccleſiaſticus ordo, vnde, & in ciuili Republica neceſſaria eſt poteſtas, per quam Ciues cogi poſſint ad munera publica, & præfecturas acceptandas. igitur multo magis erit in Eccleſia neceſſaria facultas cogendi electum ad Pontificatum, ſicuti multo maior eſt neceſſitas ne Eccleſia vniuerſalis maneant viduata, & Sedes Apoſtolica vacua, cum ex Pontifice veluti ex corde & capite ad omnes fideles veluti ad membra vnius corporis vigor vitæ, & operationis Eccleſiaſticæ diffundatur; hæc verò poteſtas in nullo alio poteſt eſſe collocata, quam in Collegio Cardinalium, cui negotium prouidendi Eccleſiæ de capite eſt commiſſum. Item negari non poteſt quin ſit poſſibilis caſus, quod electus ex diuino iure, & præcipuè ex lege charitatis teneatur electioni de ſe factæ ad Pontificatum conſentire, & hunc caſum regulariter, & frequentius euenire præſumi debet, cum Cardinales teneantur, & iurent ſe eligere quem ſecundum Deum eligere debere iudicant, vndè præſumi debet, quod eligant optimum ad Pontificatum, & ideò Sanctæ Eccleſiæ neceſſarium debet igitur dari in Eccleſia facultas, quæ hoc præceptum charitatis exequi faciat, vel in caſu dubio determinet, quid Eccleſiæ neceſſitas petat. Et hæc facultas propria erit Collegij Cardinalium, quibus in vacantia ſedis commiſſa eſt cura Eccleſiæ vniuerſalis.

4. E contrà autem videri poteſt, quod hic conſenſus non poſſit cadere ſub humana Iuriſdictione & præcepto. Nam præceptum de acceptando Pontificatu non poteſt exequi à ſubdito, quia dum electus conſentit electioni in eodem momento fit caput ſuper totam Eccleſiam nulli ſubditus, ſed ſupra omnem hominem exaltatus. Lex verò, & præceptum cum non habeat vim niſi reſpectu ſubditorum, non ſe extendit niſi ad opera exercenda per ſubditos. Ex quo ſequitur, quod nedum per Collegium Cardinalium, ſed nec per Pontificem anteceſſorem poteſt alicui præcipi, vt electus in Papam conſentiat electioni, nedum quia præceptum Papæ perſonale expirat morte Pontificis, ſed quia etiam ſi hoc præceptum daretur per modum legis vniuerſalis non poſſet electus ex vi talis legis obligari, quia in eo momento, in quo conſentiret electioni eſſet æqualis Pontifici præcipienti, & eius actio non poſſet eſſe ex imperio, quia par in parem non habet imperium. Et ſolum Pontifex obligare poſſet ad huiuſmodi conſenſum per aliud, ſcilicet obligando aliquem ad iurandum, quod ſi erit electus, conſentiet electioni. Confirmatur quia quod per tot ſecula etiam vergente neceſſitate non eſt factum, ſignum eſt, quod non poteſt fieri; At vero vſque modo nunquam Eccleſia præceptis compulit aliquem electum ad Pontificatum, cum tamen neceſſitatem id faciendi habuiſſet, ſi id fieri potuiſſet, cuius exemplum habemus in Victore Tertio electo in Pontificem anno 1086. qui cum nec precibus, nec inſtantijs Cardinalium, & Romani Senatus induci poſſet, vt conſentiret electioni, nedum non fuit illi hoc præceptum, ſed imo cum eum per vim raptum Pontificem conſtituiſſent poſt quatuor dies Roma diſcedens Terracinæ depoſuit Pontificatus inſignia, nec ea reaſſumpſit, donec anno 1087. victus precibus, & lacrymis in Pontificatum conſenſit, vt ex Leone Hoſtien. *tradunt* Baron *ad ann. 1086. & 1087.* & Ciacon. *in vita Victoris*. Et cum tunc ſummè neceſſaria eſſet Pontificis exiſtentia, & aſſiſtentia Guiberto Antipapa ſub nomine Clementis

Tertij Eccleſiam deuaſtante, nihilominus non præceptis, ſed precibus & lacrymis inductus fuit Victor ad hoc vt Pontificatum ſuſciperet. Propterea Card. de Lugo *reſpons. moral. l. 3. dub. 5. n. 18.* valdè in hanc ſententiam inclinat, quamuis *n. 20.* in fine nihil diffinire audeat & dicat quod in caſu occurrente iudicio Eccleſiæ acquieſceret. Suarez etiam tom. 4. *de Relig. tract. 10. lib. 2. cap. 9. n. 15.* aſſerit, quod vix moraliter poteſt fieri, vt imponatur præceptum de electione ad Papatum acceptanda etiam ſi maxima inſter neceſſitas.

5. In hac parte dicendum mihi videtur primò conſenſum hunc præſtandum electioni ad Papatum poſſe eſſe materiam præcepti humani ſi alias in Eccleſia detur Iuriſdictio ad præcipiendum. Ratio eſt quia electus non eſt Papa niſi poſt conſenſum, & ex vi conſenſus, qui prius natura antecedit Pontificatum, & in eo priori electus adhuc eſt Eccleſiæ ſubiectus, & ſubditus, & non repugnat quin obligetur, vt ex ſe Pontificatus non reſiſtat. Ideò hic etiam diſtingui debet conſenſus à diſſenſu, & reſiſtentia, & quod ſubditi eſt diſſentire, & ideo non repugnat, quod electus obligetur ad non reſiſtendum per diſſenſum, quo poſito intrat lex diuina obligans ad conſenſum, ne Eccleſia maneat perplexa, & in tali ſtatu, vt nec habeat Paſtorem, quem elegit quia ipſe non vult eſſe, nec alium poſſit ſibi eligere, quia nequit eligi alius donec electus non conſentiat, ſed reſiſtat. Electus igitur adhuc eſt ſubditus, & vt ſubditus poteſt ab habente Iuriſdictionem præceptis côpelli ad non reſiſtendum electioni, ſed illi conſentiendum.

6. Dicitur tamen ſecundo quod nec expedit, nec validè poteſt a Pontifice viuente per modum legis vniuerſaliter mandari vt electus conſentiat. Quia quod electus ſit omnium optimus imò quod non ſit indignus eſt res validè contingens. Vnde talis lex ſi daretur obligaret ad id quod contingenter eſt malum, & diuinæ legi contrarium, ideoque eſſet iniuſta lex. Et quidem cum vires proprias, & qualitates nullus melius cognoſcere valeat quam electus, ideò ratio dictat, vt conſenſus dandus electioni ſit omnino ſub libero iudicio electi, vt ipſe videat an vires ſufficientes habeat ad onus portandum, ne ex vi legis inducatur in errorem, & ſpeciè obedientiæ debiles humeros, & dorſum ſubmittat Pontificatus oneri in Eccleſiæ præiudicium. Et quia etiam ad ea, quæ minus liberè fiunt, & coactè minorem adhibent homines diligentiã, & negligentiori conatu ad ea applicantur non conuenit vt electus ad conſenſum ducatur præceptorum humanorum extrinſeca vi, ſed interiori virtutis amore, & charitatis impulſu. Item eum qui iam habet in poteſtate ſua ſummum animarum Imperium, & iam quantum ſit ex parte Eccleſiæ eſt ſuper omnes omnium Paſtor exaltatus non decet ſubdi humanis præceptis, & quaſi coactè duci, vt ſummam præcipiendi libertatem obtineat.

7. Dicitur tertio quod quantum ſit ex vi Iuriſdictionis ſi eligatur aliquis in Pontificem, aliundè ſubditus alicui, vnde in ſuo ſuperiore ſit alias ſufficiens iuriſdictio in eum poteſt ille compelli per præcepta ab illo ſuperiore ad conſentiendum electioni. Ex hoc autem poterit videri, quod Superior regularis ſuum ſubditum electum in Pontificem poſſit compellere vt electioni conſentiat; quia ei non deeſt iuriſdictio. Et hoc procedit præcipue in ſententia eorum, qui aſſerunt Prælatum Regularem poſſe compellere ſubditum ad acceptandum Epiſcopatum & præcipuè loquendo de ſummo Pontificatu, licet enim eligi aliquem Regularem ad Pontificatum ſit ſupra regulam, conſentite tamen electioni, vel diſſentire videtur maxime ſecundum cuiuſcunque ordinis regulam. Quod inde deduci videtur quod prælatorum eſt ſubditos dirigere etiam per vim coactiuam in obſeruantiam naturalis, & diuinæ legis. At vero ſic eſt, quod iuxta doctrinam *D. Thom. 2. 2. q. 185. a. 2.* electi ad Epiſcopatus, & Prælaturas multoties tenentur ex vi charitatis, & humilitatis eas Prælaturas, & curam animarum ſuſcipere. Duo igitur imò tria in hac parte cadere videntur ſub Prælatorum iuriſdictione. Primum eſt, vt vbi ex lege charitatis, vel humilitatis, vel alterius virtutis certum ſit electum teneri ad conſentiendum electioni, ſi electus renuat poſſit Prælatus eum compellere non minus ac poteſt eum compellere ne detrahat proximo, vel vim illi inferat. Secundum quod in dubio an electus teneatur ex virtute conſentire, ſuperioris eſt hoc decernere, & iudicare, & ſuperioris iudicium tenetur religioſus ſubditus ſequi & ſic ſi opus ſit Prælatus poteſt ad conſenſum eum compellere. Tertium eſt quod etiam in caſu, in quo ex lege naturali, aut diuina non obligaretur ſubditus ad conſenſum, ſi nihilominus videat ſuperior, quod melius ſit illum conſentire non eſt vnde ſubditus veſit renuere, & ſuperiori præcipienti reſiſtere. nedum quia ex lege naturæ obligamur ad agendum quod omnibus per ſatis in indiuiduo eſt melius, quia minus bonum reſpectu melioris non eſt bonum, ſed quia ſuperioris eſt in ijs quę ſunt virtutis ex neceſſitate boni cômunis Religionis inferiorem dirigere nequit vero negari quin valdè interſit bono communi tum Eccleſiæ tũ ordinarij ex quo Pontifex eſt electus, vt electioni electus conſentiat, vel non conſentiat. Sed abſolutè reſpondetur, quod Superior Regularis non poteſt compellere ſubditum ad conſentiendum electioni de ſe factæ in Epiſcopum, vel Pontificem. Ratio eſt, quia iuriſdictio Superioris Regularis eſt reſtricta, & limitata ad regulam, & ad ſtatum, quem Religioſus elegit, vt in eo perſeueraret vſque ad mortem. Et ideò Prælato non ſe ſubdidit niſi quantum ad illa, quæ ſtatum ſuæ Religionis concernunt, non verò vt poſſit compelli ad ſtatum mutandum. Ideò non poteſt ſuperior Regularis compellere ſubditum ad ſtrictiorem Religionem ingrediendam etiamſi ſubdito id eſſet melius in indiuiduo. Hinc eſt, quod intra ſtatum poteſt Superior côpellere ſubditum ad obſeruantiam legis naturalis, & diuinæ, ſed non ad hoc vt exeat à ſtatu, etiam in caſu, quòd ad id ex lege diuina teneretur, ſed ſolum poteſt monere, ſuadere, dirigere, dubia reſoluere, conſcientiam ſubditi quietam reddere, & ſimilia, ſed vt relinquat ſtatum non

poteſt ſuperior præcipere. Hinc eſt, quod compellere electum in Pontificem ad conſenſum ille ſolus poſſet, qui alias in ipſum abſolutam iuriſdictionem haberet. Et talem Superiorem dari dici poteſt, quia licet ſolius Pontificis ſit cura totius Eccleſiæ, & eorum, quæ totam reſpiciunt Eccleſiam, & Epiſcopus habeat facultatem ad ſuam Diœceſim limitatam; nihilominus habet abſolutam iuriſdictionem non ex voto ſubditorum limitatam, ſed vniuerſalem, & directè vt dirigat eos ſecundum legem Chriſti abſolutè. In caſu igitur, quod ex lege Dei electus teneretur conſentire, vel de hoc eſſet dubium, poſſet Epiſcopus ſuum ſubditum ad legis Dei obſeruantiam compellere, vt prout debet electioni conſentiret, & ille teneretur obedire.

8. Quia tamen, vt dictum eſt non decet per ſe loquendo aliquem inuitum præfici Eccleſiæ vniuerſali, & electus ſi nolit eſſe Papa ſtatim poteſt renunciare, & omne præceptum reddere inutile non expediret in caſu occurrenti, quod Superior compelleret electum ad conſenſum, niſi hoc ex circunſtantijs expedire comprobaretur. Nam & vbi electus ſit Eccleſiæ neceſſarius Diuinæ Prouidentiæ eſt vel intus ſuadere, vel etiam per ſigna exteriora oſtendere ſe velle vt conſentiat, & ad id eum ſuauiſſima ſuæ motionis efficacia illum deducere.

9. Sed dices ex *hoc* ſequi, quod Superior ſuo ſubdito electo in *P*apam poſſit etiam præcipere, quod electioni diſſentiat. In hoc enim eiuſdem rationis ſunt conſentire, & diſſentire, & vtrumque poteſt eſſe neceſſarium ex virtute, & vtile ab bonum commune Eccleſiæ, & Ordinis cuius eſt electus. At verò quod Superior tali electo non poſſit præcipere, vt diſſentiat, inde colligitur quod nec etiam Regularis electus in *P*apam non tenetur petere conſenſum, ſeu licentiam Superioris, vt ipſe conſentiat electioni de ſe factæ, prout docuerunt Syluеſ. *verſ. Votum 3. qu 4.* Suarez *tom. 3. de relig. l. 10. cap. 10. num. 8. & tom. 5. tract. 10. lib. 6. cap. 9 num. 15.* Sanchez *in ſum. lib. 7. cap. 29. num. 58.* Barboſ. *ad capit. Quam ſit neceſſarium 18. quæſt. 2. num.* . & plures apud eum, Lucarin. *de Epiſc. Regul. cap. 1. num. 78.*

10. Sed reſpondetur, quod per ſe loquendo nedum alius Superior abſolutus, ſed etiam Prælatus Regularis non ex Cardinali, aut Epiſcopo extra obedientiam conſtituto, ſed ex ſibi ſubdito electo in *P*apam poteſt præcipere ex iuſta cauſa ne diſſentiat electioni. Quia præcipere diſſenſum eſt præcipere id, quod conuenit ſecundum ſtatum, & intra ſtatum. Et ideò duplici de cauſa hoc poteſt Prælatus Regularis. Tum quia intra ſtatum Regularem poteſt procurare, & compellere ſuum ſubditum ad obſeruantiam legis naturalis, & diuinæ, quam tranſgreditur indignus conſentiendo electioni. Tum quia habet ius procurandi bonum commune Eccleſiæ, & ſui ordinis, & ideò poteſt ex parte ſua impedire damnum, quod eis ex indigni ambitu imminet. Et certè ſi Prælato conſtaret electum eſſe inſignem quondam hypocritam, ſed occultè vel hæreticum, vel ſchiſmaticum, cur non poſſet ille ex parte ſua nedum negare illi licentiam ad conſentiendum electioni, ſed præcipere vt non conſentiret, prauidens quanta mala Eccleſiæ imminerent, ſi ille eſſet papa?

11. An verò hoc expediret alia eſt quæſtio. Nam certè Prælatus illicitè, & iniuſte, & inutiliter virum inſignis virtutis, & vere dignum Pontificatu, & futurum Eccleſiæ vtilem impediret, ne electioni de ſe factæ conſentiret. At vero ſi electus vel eſſet hypocrita, vel aliunde indignus, vel etiam vir non eximiæ virtutis, & ſanctitatis, quem factum expectare poſſet Prælatus ex ſuo præcepto? Ille etenim ſpreto præcepto conſentiret, & ſuo conſenſu ſe Pontificem Prælato ſuperiorem faceret, & forſan tunc Prælatus ſubditum ambitione fatuus irritaret, vt magis licet etiam iniuſte Prælatum, & Ordinem eius perſequeretur, vnde moraliter dari non poteſt caſus, in quo huiuſmodi præceptum expediat. Quia quo electus eſſet peior, & præceptum eſſet ſpectata re abſolute magis neceſſarium, eo eſſet magis inutile, & ab electo contemneretur.

12. Ad id verò, quod de neceſſitate petendi licentiam dicebatur poſſet primo reſponderi negando ſequelam, quia non eſt eadem ratio poſſe aliquid fieri ſine licentia, & illud poſſe fieri diſſentiente Prælato, & vnum ſine alio inueniri poteſt. Sic enim de iure antiquo poterant Epiſcopi ſeruatis alijs ſolemnitatibus alienare res Eccleſiæ ſine petita licentia Papæ, nec tamen id facere poterant *P*apa diſſentiente. Sic poſſet bene contingere, quod electus in Pontificem poſſet electioni conſentire non petita licentia Superioris, & tamen licite id facere non poſſet ſuperiore diſſentiente. Sed reſpondetur, quod Regularis intra Ordinem manens non poteſt licite, & virtuoſe conſentire electioni in *P*ontificē de ſe factæ ſine licentia Superioris ſaltem præſumpta, & tacita. Bene verum eſt, quod in hoc caſu hæc neceſſitas non eſt ex vi alicuius Canonis Eccleſiaſtici, & ſic *cap. Quam ſit neceſſarium 18. q. 2. & cap. Si Religioſus, & cap. Quorundam de elect. in 6.* non comprehendunt caſum electionis Religioſi in Pontificem, ſed loquuntur de electione ad Epiſcopatum, & ad Prælaturas inferiores extra Ordinem. Regula enim eſt, quod ſancita de electione ad Epiſcopatus, & Prælaturas non afficiunt electionem *P*apæ, quæ ob ſui eminentiam ſpecialibus, & ſibi proprijs legibus regitur. Vnde ſi regularis electioni de ſe factæ in Pontificem conſentiat ſine licentia ſui Superioris non per hoc electio eſt nulla, vel nullus conſenſus, vel ille ſubditur pœnis in illis canonibus latis. Et pro hac parte bene DD. ſupra citati *num. 9.* dixerunt non eſſe neceſſariam licentiam Superioris ad conſentiendum electioni in Pontificem, quæ eſt neceſſaria ad conſentiendum electioni in Epiſcopum. Vnde eſt, quod meritò ab eiſdem DD. reijciuntur. Gloſſ. *cap. Quam ſit, v. ad ordinandum 18. qu. 2.* & Bonif. *cap. final. num. 30. & 31. de elect.* Qui dixerunt Monachū, qui ſuæ electioni in Pontificem conſenſit ſine licentia Abbatis, teneri ad monaſterium redire, & ad hoc compellendum à ſe ipſo; quia talis ab electo datus conſenſus validus eſt, & ipſe poſt conſenſum eſt liber ab omni ſubiectione ad Prælatos ſui Ordinis.

Sed

13. Sed ſpectato iure diuino ſtatui Religioſo intrinſeco, & ex vi voti obedientiæ prouenientc dicendum eſt Religioſum intrà ordinem manentem non poſſe licitè ſine licentia Superioris conſentire electioni de ſe factæ in Pontificem. Quod enim dicitur excelſo quia ſcilicet in ea traditione, qua Religioſus ſe tradit Religioni, intelligi poteſt conditio melioris, & altioris ſtatus ſpectantis ad bonum commune Eccleſiæ, & eo magis quia per electionem ad Pontificatum non ſubtrahitur perſona Religioſi, ſed illi manet altiori modo coniuncta; Et quod ſubditur, quia ſcilicet etiam votum obedientiæ ſit conditionatum hac conditione niſi impediat tranſitũ ad altiorem ſtatum, non probant intentum, quia ex vi voti obedientiæ Religioſus ſubdit arbitriũ ſuum, & iudicium iudicio, & arbitrio Superioris, quod maximè neceſſarium, & verum eſt reſpectu eorum quæ vniuerſale bonum Religionis, & Eccleſiæ concernunt. Non quia vbi conſtet de vtilitate actus poſſit ſemper ſubditus impediri per ſuperiorem, ſed quia tenetur ſubditus iudicium Superioris humiliter reuereri. Sic Religioſus petita, & non obtenta Superioris licentia poteſt ad Religionem manifeſtè perfectiorem tranſire, & tamen propter humilitatem debet licentiam Superioris petere, vt docet D. Th. 2.2. *quæſt.* 189. *art.* 8. Hoc verò maximè verum eſt vbi in exitu ab ordine attenditur non intereſſe ſalutis exeuntis principaliter, ſed bonum vniuerſale Eccleſiæ, & ordinis, cuius prouidentia propriè ſpectat ad Prælatum, ideo ex vi ſtatus Religioſi, & voti obedientiæ licet in caſu manifeſtæ dignitatis electi, & vtilitatis Eccleſiæ, electus in Pontificem inuito Prælato poſſet petita licentia, & non obtenta conſentire electioni nedum validè, ſed licitè, quia rationabile videtur quod ex vi traditionis Religioſæ, & profeſſionis Regularis non ſe obliget Religioſus in præiudicium tranſitus altiſſimi ad ſtatum Pontificalem, tamen ex reuerentia humilis obedientiæ hoc licitè non poteſt fieri ſine petita licentia Superioris, cuius præcipuè eſt cognoſcere an hic tranſitus expediat nedum perſonæ, ſed Ordini.

14. Et addendum eſt, quod nec etiam eſt eadem ratio de tranſitu ad altiorem Religionẽ, & de tranſitu ad Pontificatũ. Nam ibi principaliter agitur de priuato intereſſe Religioſi, cuius ipſe Religioſus eſt Iudex ſatis competens, & proportionatus, & de quo ſine præſumptione poteſt ferrè iudicium. Sed in tranſitu ad Pontificatum agitur principaliter de eo quod ſpectat ad bonum vniuerſalem, & de dignitate proportionata ad altiſſimum officium Paſtoris Eccleſiæ, cuius electus non eſt iudex proportionatus, & in quo de facili poteſt ille decipi, & præſumptuosè, & præcipitanter iudicare. Et licet cenſeri poſſet vocatus à Deo ex quo à Sacro Collegio Cardinalium eſt electus, nihilominus & poſſunt plura de viro intra Clauſtra viuente latuiſſe ſacrum Collegium, quæ peruia ſunt Prælato. Et iudicium illud quod non iam ad Electores, ſed ad electum ſpectat, an ſibi conueniat conſentire, eſt tale in quo electus poteſt de facili decipi nedum in præiudicium animæ ſuæ, ſed totius ſui ordinis, & Eccleſiæ. Ratio igitur vult, vt hoc iudicium ſubdatur iudicio ſui Superioris, & quod inferior non niſi ex obedientia tali, ac tanto oneri humeros ſupponat. Nam quia ſine licentia validè non conſentiat, nec quia ſi conſtet de honeſtate conſenſus non poſſit licitè conſentire petita, & non obtenta licentia, ſed quia iuſtum eſt, vt hic conſenſus non detur ignorante Superiore, vt quatenus opus ſit poſſit ille de talis conſenſus honeſtate, & exercitio iudicare. Et propterea quod Religioſus electioni ſuæ ad Pontificatum non poſſit ſine licentia Superioris ſui conſentire dixerunt Gloſſ. *c. quam ſit* verb. *ad ordinandum* 18. *quæſt.* 2. Io: Andr. *c. Ioannes n.* 18. *de regul. Abb. cap. fin. num.* 3. *de voto c.* 18. quod Dei timorem *num.* 2. *de ſtat. Monach.* Dominicus *cap.* 2. *num.* 2. d. 58. Franc. *c. ſi Religioſus in princ. ante num.* 1. *notab.* 1. *de elect. in* 6. Berous *c. Rainutius num* 38 2. *de teſtam.* Bonif. *Clem. fin. n.* 30. *&* 31. *de elect.* Rochus *de Iurep. v. honorificum quæſt.* 4. *num.* 13. Lamber. eod. tit. *lib.* 2. *par.* 1. *quæſt.* 7. *art.* 19. *num.* 22. Faber *in definitionibus* Sen. Sabaud. *tit.* 1. *lib.* 1. *tit.* 3. *de Episc. & Cler. defin.* 33. Bertachin. *in ſuo repert. v. licentia in fine.* Villadieg. *de orig. & dign. Card. quæſt.* 5. *n.* 33. habetur *tom.* 13. *tract. par.* 2. Roſella *Summ. verſ. Monachus num.* 6. Sylu. *verſ. Religio* 7. *quæſt.* 9. Greg. Lopez *l.* 22. *v. Eccleſias tit.* 7. *p.* 1. Gratiis *in ſuis deciſ.* 2. *par. lib.* 3. *cap.* 20. *num.* 1. Manuel. *qq. reg. tom* 1. *quæſt.* 34. *art.* 5. *initio* Emm. Sà, *Summ. verb. Religio num.* 63.

15. Verum quidem eſt, quod vbi conſtet de honeſtate conſenſus licentia Superioris de facili præſumi poteſt, & ſic ſi Prælatus non adſit poteſt electus conſentire. Vel etiam vbi de dicti conſenſus honeſtate conſtet, non erit niſi valde leuis in obedientia ſi ſine contemptu non petita licentia conſentiat electus, cum rectitudo actus ſit manifeſta, & Prælatus iuſtè inuitus eſſe non poſſit, vnde & præſumi poteſt licentia tacita Superioris. Sed vbi res ſit dubia & ſuperior præcipiendo prohiberet conſenſum nõ poſſet ſubditus ſine culpa mortali conſentire, & ſine iudicio Superioris ſe, & ordinem, & Eccleſiam periculo grauis damni exponere.

16. Nihilominus ad quæſt. dicitur quarto quod Collegium Cardinalium non poteſt præceptis compellere electum ad hoc vt conſentiat electioni de ſe factæ ad Pontificatum. Ratio eſt, quia Collegium ex quo elegit functum eſt plene officio ſuo. Iura enim Collegio Cardinalium electionem actiuam commiſerunt, vnde eis competit iuriſdictio quantum ad ea, quæ neceſſaria ſunt ad electionem cito, & legitimè habendam, vt patet ex *cap. Vbi periculum*, & Collegium Cardinalium ex Conſtit. *Pij IV.* eſt executor Conſtitutionis illius, Conſtitut. verò Greg. XV. executores ſunt Cardinales capita Ordinum, ſed in illis Conſtitutionibus nihil decernitur de ijs, quæ legitimam electionem conſequuntur, nec de perſona electi, niſi pro quanto ſi non legitimè electus intrudat ſe in Papatum Eccleſiæ, tribuitur, & datur Cardinalibus facultas iuſtæ defenſionis, iuxtà ſancita per ſacros Canones.
Nam vt probo infra. Nec Collegio Cardinalium competit eſſe iudicem intruſi, ſed Cardina-

dinalibus, & Eccleſiæ conceditur ius iuſtæ defenſionis, & facultas excipiendi etiam de facto, vt explicatum eſt etiam in eijciendo intruſum, ſi nullitas eius electionis ſi notoria, ſed legitimus Iudex intruſi eſt Concilium Generale, vt expreſsè decernitur in Concilio Conſtant. *ſeſſ.* 39. Cardinales igitur poſtquam elegerunt functi ſunt officio ſuo, quod eſt actiuè eligere, & quod eligere conſumatur in vltimo actu poſt Scrutinij, qui eſt ſchedularum combuſtio, vt clare patet ex Rituali electionis, in quo poſt ſchedularum combuſtionem nihil aliud præcipitur, ſed electio pro completa habetur. Et non poteſt non haberi niſi vt completa cum poſteà à Collegio petitur cōſenſus electi, quæ petitio, & qui conſenſus locum habere non poteſt niſi electione completa, & perfecta, & ſic conſenſus electi eſt extra electionem actiuam, vnde nec aliorum Prælatorum electione electores poſſunt compellere electum, vt conſentiat electioni motiua ergo ſupra *n.* 3. allata non concludunt, quia ex nullo iure probant, quod vel Cardinalibus extra ea quæ ſpectant ad actiuam electionem ſit data Iuriſdictio niſi pro imminenti neceſſitate alienius damni non patiētis moram, & pro interim. Quod verò electus conſentiat non eſt quid temporale tranſiens, ſed eſt res perpetua, & non eſt id vnde immineat præſentaneum periculum Eccleſiæ, cum ſtatim per Collegium poſſit eligi alius. Et non eſt negotium quod rationabiliter potuerit committi Collegio Cardinalium, Quia nec omninò, vt dictum eſt, decet Pontificem Romanum inuitum præfici. Et quia ſi electus conſentiret, & ſtatim renunciaret, quod facere poſſet, inane fuiſſet præceptum. Vnde eſt, quod huiuſmodi præceptum non expedit. Et quod vſque modo in tot Eccleſiæ neceſſitatibus Eccleſia nunquam per præcepta renuentes accipere Pontificatum compullerit eſt ſignum euidens, quod hoc fieri nec decet, nec poteſt.

17. Dicitur tamen quinto, quod Collegium Cardinalium licet non poſſit compellere electum determinatè, & abſolutè, vt conſentiat, poteſt tamen illi præfigere tempus competens, in quo ad ſui libitum, vel conſentiat, vel diſſentiat, quia intereſt vniuerſalis Eccleſiæ, vt Sedes Apoſtolica vacua diù non remaneat, & ex vi decreti Concilij Lugdunenſis, & aliarum Conſtitutionum Pontificum Collegij Cardinalium eſt ea facere, quæ ad hoc vt Eccleſia Paſtorem quàm citius habeat, neceſſaria ſunt. In quo tamen prudentia, & æquitate opus eſſet, vt ſpectatis omnibus tempus congruum aſſignaretur, ne electus haberet iuſtam cauſam conquerendi de breuitate termini, & ſic ab eo appellandi.

Quæ exceptiones dari poſſint contra electionem Papæ.

QVÆSTIO XXXII.

1 EXceptio eſt actionis, aut intentionis excluſio. Panorm. in rubr. de except. *n.* 1. Eſt verò duplex ſecundum eundem Panorm. ibid. & *cap. ſuper eo num.* 2. *de elect.* & *cap. ſi quis contra num.* 3. *de foro competenti*, alia ſcilicet iudicialis, & propriè dicta, alia extraiudicialis, & impropria. Prima ſupponit litem, & actorem, & eſt actionis excluſio, vt habeatur *ex l.* 1. *&* 2. *ff. de except.* Vnde propria eſt rei in iudicium vocati ab actore, & ab eo ſtimulati, & huic ex parte actoris competit replicatio, quæ eſt exceptionis excluſio *l.* 2. *ff. de except.* Sed exceptio extraiudicialis, & impropria non ſupponit iudicium, neque actorem, ſed ſupponit in aliquo intentionem aliquid obtinendi, vel illud retinendi, & conſeruandi, vnde diffinitur, vt ſit intentionis excluſio. Quæ maximum locum habet in electionibus, cum aliquis excipiendo impedit, ne aliquis eligatur, vel ne electus confirmetur, vel confirmatus conſacretur. Illa igitur exceptio propriè dicta eſt actionis, ſed iſta eſt intentionis excluſio. Eſt verò conſiderabile diſcrimen, quod inter huiuſmodi exceptiones ponit Panorm. *d. cap. ſuper eo num.* 2. *de elect.* nam prima vltra repulſionem regulariter nihil operatur. Sufficit enim excipienti ſi repellat actorem, & impediat actionem. Sed ſecunda habet vim quandam accuſationis, & actionis, & qui excipit quodammodo eſt actor, vnde eſt, quod hæc exceptio aliquando appellatur accuſatio, *vt in Auth. de Sanct. Epiſcop. in* §. *ſi quis autem electum.*

2 Dicitur igitur primò, quod contra electionem, & electum in Papam non datur exceptio iudicialis, & propriè dicta, quia electus nihil agit contra aliquem, nec in aliquod iudicium vocat, vt contra eum reus poſſit excipere, & cū ab agendo repellere. Sed imò ipſe electus ſtatim ac conſentit electioni eſt Pontifex potens adminiſtrare Pontificatum *cap. In nomine Domini diſt.* 23. *& cap. ſi quis pecunia diſt.* 79. Quamobrem ſi illius electio coram Concilio Generali impugnetur, potius illi conueniet replicatio, quæ eſt actionis excluſio. Quamuis nec propriè hæc illi conueniat, quia verus Papa non habet, vt in iudicio ſit propriè pars, quę ex æquo cum actore concurrat, ſed ſemper eſt ſuperior verus, ſi eſt verus Papa, vel præſumptus, aut a ſua obedientia reputatus. Solum igitur remanet videndum qualiter contra electionem Papæ, & Papam electum dari poſſit exceptio extraiudicialis.

3 Baldus *in cap. licet n.* 4. *de elect.* ponderans textum illum præcipientem admitti electum in Papam à duabus partibus Cardinalium ſine exceptione, ait textum illum non indigere gloſſa, nec excipi debere hæreſim, quæ electo in Papam poteſt opponi, quia illud propriè non eſt excipere, ſed nullum eſſe, quod quidem verum eſt pro hac parte, quod contra electionem Papæ ſolum poteſt opponi de nullitate. Cum enim electio hæc non indigeat confirmatione, ſed validè electus ſtatim ac conſentit electioni pleniſſimam poteſtatem ſuper Eccleſiam à Chriſto obtineat *cap. in nomine Domini diſt.* 23. *&* ibi *Gloſſ. verſ. diſpenſandi*, & ibi Arcbid. *num.* 19. Bellarm. *num.* 7. *v.* 12. Gemin. *num.* 16. 17. Turrecrem. *num.* 10. 21. 22. Card. Alex. *n.* 24. ideò ad effectum excludendi electum à Papatu inutiliter opponitur, quidquid electionem eius non reddit nullam, licet ante electionem omnes defectus etiam non irritantes opponi poſſint ad perſuadendam excluſio-

cluſionem indigni, non tamen ad effectum, vt irrita ſit electio, ſi non obſtante aliquo tali defectu fiat electio. Et ita ſola oppoſitio nullitatis poteſt dari contra Papę electionem ad effectum excludendi electum à Pontificatu, quæ oppoſitio ſi non eſt propriè exceptio, nulla propriè exceptio dari poteſt contra Pontificis electionem. Verum quia nec exceptio extraiudicialis eſt propriè exceptio; & intra huiuſmodi exceptiones numeratur exceptio nullitatis, vt per Panorm. in Clement. *prim. num.* 78. de re iudicata, loquendo enim pluribus dicitur contra Papæ electionem dari poſſe vnicam exceptionem nullitatis.

4 Vt verò videatur de quo excipi poſſit contra electionem Papæ diſtinguendum eſt, quia Papæ electio poteſt eſſe nulla, vel ex parte eligẽtium, vel ex parte electi, vel ex parte electionis. Ex parte eligentium poteſt excipi actualis furor, vel amentia tempore electionis, vel quod Cardinalis aliquis non ſit Diaconus, & neque ſit priuilegiatus, vel quod non eſt legitimus Cardinalis Panorm. *in cap. licet de elect. num.* 10. Iacobat. *l.* 4. *à* 4. *§. tertio caſu pag.* 201. Azor. *par.* 2. *l.* 4. *c.* 5. *q.* 8. *verſ. quę res Inſuper* Io: à S. Thom. 2. 2. *q.* 1. *diſp.* 2. *art.* 2. Verum eſt, quod ſi dempto huiuſmodi Cardinali, vel pluribus legitimum ſuffragium non habentibus adhuc electus eſt nominatus à duabus partibus Cardinalium in Conclaui præſentium, ceſſat omnis exceptio *cap. licet de elect.* Talis enim electus cum ſit electus à duabus partibus Cardinalium nihil intereſt, quod alij ſint, vel non ſint legitimi vocales. Iacobat. *loco citat.* Ex parte eligentium dari etiam poteſt exceptio defectus libertatis prouenientis ex vi, vel metu Cardinalibus illato. Nam electionem factam per vim, & metum eſſe nullam decretum fuit per Concil. Conſtant. *vt ſupra quæſt.* 20. viſum fuit. Sed & vlterius aduerti debet, quod cum habens titulum coloratum ſtante communi errore, & tolerantia validè agat cum agit ex publico officio, ſi vitium electoris non opponatur ante electionem, ſed ipſe habens titulum ſaltem coloratum nullo reclamante eligat, validè eligit, & poſt electionem non eſt tempus amplius excipiendi contra illum.

5 Ex parte verò electi excipi poſſunt defectus, qui de iure naturali, vel diuino irritam reddunt electionem Panorm. *in cap. licet num.* 11. *de elect. Azor. p.* 2. *l.* 4. *cap.* 5. Lauor. *cap.* 6. *num.* 34. Io: à S. Thoma 2. 2. *diſp.* 2. *à* 2. Iacobat. *vbi ſupra.* Et ſic poteſt dari exceptio furoris, vel amentiæ Panorm. *vbi ſupra.* Nauar. *cap. ſi quando except.* 10. *num.* 4. & ſimilium defectuum naturalium, de quibus non eſt cur fiat exacta quæſtio, vt v. g. ſi electus ſit hermaphroditus, mutus, ſurdus &c. quia, vt ait Baldus *in cap. licet num.* 7. *de elect.* non eſt habenda quæſtio de his ambagibus, & ineptijs; Cardinales enim non ſunt, nec erunt tam fatui, vt huiuſmodi genera hominum promoueant, & aliàs ſi defectus non reddit perſonam incapacem ſimpliciter poteſtatis paſtoralis, ſicut eſt incapax fœmina, & non tollit vſum rationis, & conſenſum electi, non irritat ipſo facto ex lege naturali, vel diuina electionem, Iacobat. *l.* 3. *à* 1. *pag.* 150. §. *De hermaphrodito.*

6 Ex defectibus verò moralibus poteſt contra electum dari exceptio hæreſis. Panorm. *in d. cap. licet*, & ibi Palans *num.* 4. Barboſ. *num.* 12 Io: à S. Thom. 2. 2. *diſp.* 2. *a.* 2 Turrecrem *cap. Si quis pecunia diſt.* 79. Nauar. *vbi ſupra* Azor. *d. cap.* 5. *q.* 7. Theſaur. *in v. Conclaue cap.* 4. Lauor. *tit.* 4. *cap.* 6. *num.* 35. & alij communiter. Quod tamen ſpectato iure antiquo debet cum limitatione intelligi. Nam ſi electus hæreſim deteſtetur non poteſt illi dari hæc exceptio, quia nec hæreticus eſt deponendus à Pontificatu, niſi ſit pertinax & incorrigibilis, & vt dictum eſt *quæſt.* 30. electio hæretici non eſt de iure diuino ipſo facto irrita, licet ſit irritanda, ſi electus nolit corrigi. Vnde ad talem electionem irritandam, neceſſaria eſt Eccleſiæ ſententia. Valet tamen ſemper exceptio vt irritetur electio, ſi electus inueniatur incorrigibilis. Verum ſpectato iure nouo Conſtitut. 19 Pauli IV. *Cum ex Apoſtolatus*, innouatæ à Pio V. de qua ſupra dictum eſt, poteſt contra electionem Papæ dari exceptio hęreſis, & ſchiſmatis, quia iuxta illas conſtitutiones irrita eſt electio illius, quem apparuerit aliquando fuiſſe hæreticum, vel ſchiſmaticum. Et itaut etiamſi tales electi ſint in poſſeſſione ſuæ adminiſtrationis, liceat Clero, & populo ab eiuſdem obedientia diſcedere, ſi apparuerit illos aliquando fuiſſe, vel hæreticos, vel ſchiſmaticos.

7 De crimine ſimoniæ fuit olim controuerſia apud antiquos, meritò tamen multi negarunt contra electum à duabus partibus Cardinalium poſſe dari exceptionem ſimoniæ, quoniam electio ſimoniaca non eſt de iure diuino nulla, & alias *ex cap. licet de elect.* omnis exceptio ex iure poſitiuo proueniens eſt ablata, vt dixit Panorm. *ad d. cap. licet.* Et propterea non habere locum exceptionem ſimoniæ contrà electum à duabus partibus Cardinalium tenuerunt Turrecrem. *ad d. cap. ſi pecunia diſt.* 79. & ibi Gloſſ. *v. non Apoſtolicus*, ſed & non obſtante Conſtitutione Iulij II. *Cum tam diuino*, hanc eandem exceptionem nunc non habere locum tenent illi, qui ſupra *qu.* 21. dixerunt eam Iulij II. Conſtitutionem non eſſe in vſu in tanto rigore, vt ſimoniaca electio ſit ipſo iure nulla. Nihilominus contrà electum à duabus partibus Cardinalium poſſe hodie dari exceptionem ſimoniæ docuerunt Caiet. v. excõmunicatio *cap.* 24. Alban. *q.* 15. Iacobat. *l.* 4. *c.* 4. *§. ex his concludit.* Reodan. *tract. de ſimon. par.* 2. *c.* 34. *num.* 15. Azor. *par.* 2. *l.* 4. *c.* 5. *q.* 7. Sanchez *lib.* 2. *opus. cap.* 3. *dub.* 104. *num.* 12. Barboſ. *in cap. licet de elect. num.* Vgolin. *de ſimon. tab.* 1. *cap.* 48. §. 2. *n.* 9. Scortia *in ſelect. Theor* 135. Theſaur. *v. ſimonia cap.* 7.

8 At de omnibus alijs criminibus loquendo non defuere antiquitus qui dicerent Papam pro crimine notorio poſſe deponi, contrà quos neruosè diſputarunt Caiet. *tom. primo opus. tract.* 1. *cap.* 27. Turrecrem. *cap. ſi quis pecunia diſt.* 79. & in ſumma de Eccl. *l.* 2. *cap.* 93. & 98. D. Antonin. *par.* 3. *tit.* 22. *cap.* 4. §. 3. Iacobat. *l.* 9. *a.* 12. Auguſt. de Ancona *q.* 5. Suarez *diſp.* 10. *de fide ſect.* 6. *nu.* 14. Io. à S. Th. 2. 2. *à qu.* 1. *ad* 7. *diſp.* 2. *a.* 3. *§. Sed inquires.* Neque enim Papæ poteſtas à bonitate vitæ dependet, vt ſupra probatum eſt, ideo de horum DD. mente, & aliorum quos referò infra dicitur, quod

nullus

nullius alterius criminis, quam hæreſis ſchiſmatis, & ſimoniæ poteſt dari exceptio contra alias canonicè electum in Papam, quia nullo iure conſtat ex huiuſmodi criminibus electionem Papæ reddi irritam, & ſemper vrget decretum Concilij Lateran. *in cap. licet*, vt electus canonicè nulla obſtante exceptione habeatur tanquam verus Papa. Et ità hoc docuerunt Panorm. *in d. cap. licet.* Azor. *par.* 2. *l.* 4. *c.* 5. *q.* 7. Iacobat. *l.* 4. *a.* 9. *nu.* 3. Gambar. *in Extrauag.* Iulij II. *nu.* 164. *&* ex Soprano Bonac. *de elect. Pont. contr.* 1. *q.* 2. *§. vnico v.* 18.

9. Sed ſicut huiuſmodi criminum, ſic excommunicationis, aut Cenſuræ cuiuslibet exceptio contrà electionem Papæ non poteſt opponi, Cum ex Conſtitut. Pij Quarti *In eligendis*, & Gregor. XV. *Aeternis Patris*, nulla excommunicatio, aut Cenſura impediat vſum vocis, aut actiuæ, aut paſſiuæ in electione Papæ. Pariter nulla poteſt ei opponi irregularitas, ſeu inhabilitas, quæ ſit iuris poſitiui, & ideo quod electio eius, qui eſt in corpore vitiatus, aut alio ſimili modo inhabilis ſit valida, licet peccent Cardinales ſi talem eligant, docet Iacobat. *l.* 3. *a.* 1 *pag.* 150. *§. quod autem.*

10. Ex parte verò formæ opponi poſſunt electioni Papæ omnes, & ſoli illi defectus, ex quibus electio eſt ipſo iure nulla, vt ſi electio facta fuiſſet viuente Pontifice Iacobat. *l.* 3. *a.* 1. *pag.* 149. *ed.* 2. & prout ſunt illi qui continentur in Conſtitut. Gregor. XV. *Aeterni Patris §. Quod ſi electio*, vt ſi huiuſmodi electio alibi celebrata fuerit quàm in Conclaui.

11. Sed his ſtantibus inquirendum remanet qualiter contrà electionem Papæ excipi poſſit. Nam dupliciter poteſt excipi contra aliquem, ſcilicet primò de iure obijciendo nullitates, vt coram Iudice competente probandas, interim autem non præſtando illi obedientiam, nõ tamen eſt deijciendo, ſed in ſua poſſeſſione eum relinquendo, vſquequo coram Concilio cauſa Papatus ſit definita, & de electionis valore vel nullitate pronunciatum, & huiuſmodi exceptio poteſt vocari exceptio de iure, ſed non omninò de facto, quia non ſpoliatur intruſus via facti, & talis eſt exceptio, quæ ſecundum decretum Concil. Conſtant. *ſeſſ.* 39. dari poteſt contra electionem Papæ ſi præſumatur facta per metum. Ibi enim Concilium non remouet electum, aut ſuſpendit ab adminiſtratione Papatus, niſi pro tempore celebrationis Concilij, in quo non vult, quod electus præſideat, ſed pro tunc eius adminiſtrationem ſuſpendit. Cæterùm expreſsè prohibet, ne interim alia electio habeatur, & permittit electum in ſui obedientia, & poſſeſſione manere. Et hoc modo quælibet nullitas poteſt electioni Pontificis opponi excipiendo, etiamſi ipſa ſit occulta, & non notoria, dum tamen opponentes credant eam poſſe probare, quod iurare debebunt, ſicut de opponentibus metum decernit Concilium Conſtant. & ſicut de opponentibus alijs electionibus, & electis decretum fuit *in cap. Vt circa de elect. in* 6.

12. Sed alia eſt exceptio, quæ eſt de iure, & de facto, quia nedùm per excipientes opponitur aliqua nullitas contra electionem, vel electum, ſed negatur omninò obedientia electo, & vbi ille velit perſiſtere in Papatu pro poſſe etiam vi, & per potentiam brachij ſecularij de ſede deijcitur, & alius Papa eligitur. Et hæc eſt exceptio, de qua antiqui DD. Dubitarunt an poſſit dari contrà electionem Papæ. Nam vt aduertit Card. Iacobat. *l.* 4. *de Concil. ar.* 4. *verſ. & cum DD. pag.* mihi 242. *litt. E. cum DD. in cap. licet de elect.* dicunt, quod contrà electionem Papæ non poteſt excipi, ſed debet Papa nulliter electus accuſari, mens eorum eſt, quod in illis caſibus non debet impediri ab adminiſtratione ſine Concilio, quia accuſari non poteſt niſi apud Concilium *cap. ſi Papa diſt.* 40. *& cap. in fidei de hæret. in* 6. Quod ſi Concilium eſſet congregatum coram illo excipi poſſet, & concilium ſine alia accuſatione procedere poſſet. Et illæ exceptiones, quæ dictæ ſunt exceptiones de iure cum vt dictum eſt habeant vim actionis, & accuſationis, cum hæc ſit vis accuſationis extraiudicialis, quæ datur contra electionem, ideo dùm Doctores dixerunt in aliquibus caſibus non poſſe dari exceptionem, ſed tunc poſſe ſolum nulliter electum accuſari, voluerunt, quod tunc non poſſit excipi de iure, & facto, ſed ſolum de iure ſic accuſando, & per hoc accuſatum prouocando ad Concilium, vt per illud declaretur an exceptiones ſint validæ electo interim admiſſo, & in ſua adminiſtratione manente, ſi ſumus in tempore excipiendi, vel nec de iure, ſed propriè accuſando, ſi amplius non habeat locum exceptio.

13. Dicitur igitur, quod vbi nullitas quæcunq; & ex quacunque cauſa veniat eſt notoria contra electionem Papæ, dum eſt tempus excipiendi poteſt excipi, & de iure, & de facto electum ſi pacificè nolit de ſede deſcendere etiam vi, & per potentiam brachij ſecularis eijciendo, & de ſede deijciendo, & alium Papam validè eligẽdo. Hanc concluſionem negarunt ex antiquis aliqui, vbi ſit ſermo de exceptione metus, vel hæreſis, vel ſimoniæ, & ſenſerunt, quod contra electum receptum à duabus partibus Cardinalium in iſtis caſibus non poſſit excipi. Quod tenuit Card. Iacobat. *l.* 3. *de Concil. a.* 1. *v. de exceptione*, pag. mihi 152. & 153. Et pro hac ſententia pag. mihi 148. *v. ſed quid ſi Papa* refert Alanũ, Vincent. Innocent. Compoſtell. Io. Andr. Anton. Card. Panorm. Anchar. Io. de Imola, Card. & Henriq. Boich. volentes contra electum à duabus partibus Cardinalium, & receptum vel in poſſeſſione Papatus exiſtentem non poſſe excipi de crimine hæreſis, ſed illum poſſe accuſari. Idem tenuit Iacobat. *lib.* 4. *ar.* 4 *v. Ex hic concludit pag. mihi* 236. *lit. D.* Sed Innoc. Io. Andr. & Compoſtella abſolute voluerunt, quod contra electionẽ Papæ non poſſit abſolute excipi de crimine hæreſis, licet ille poſſit accuſari, quia electus ex ſola electione acquirit ius in re, ideo exceptio non eſt proportionata, quia datur contra petentem, electus autem in Papam nihil petit, cum ex electione acquirat plenum ius, vnde conſentiendo electioni iam poſſidet. Sed Panorm. ante poſſeſſionem Papatus admittit poſſe excipi, non tamen poſt poſſeſſionem, poſtquam admittit poſſe dari exceptiones etiam defectuum, quæ ex iure na-

re na-

re naturæ reddunt nullam electionem, vt quod electus ſit mulier, vel furioſus, vel infans.

14. Sed quia alia ex quæſtio de quando poſſit dari exceptio, an ſcilicet quando electus eſt iam receptus, vel antequam recipiatur, & alia eſt quæſtio abſolutè per quam quæritur qualis exceptio dari poſsit. Nunc examinatur hæc ſecunda quæſtio, & de ea loquitur concluſio, quæ eſt communis Canoniſtarum, & DD. & non habet difficultatem; nam primo loquendo de nullitatibus, quæ ſunt ex parte formæ, quia nimirum electus eſt intruſus non electus ex concordi & legitima electione duarum partium Cardinalium, eum poſſe, & debere eijci, & alium legitime eligi habetur ex *cap. In nomine Domini d. 23.* & ex *cap. Si pecunia diſt. 79.* & licet nunc plura ſint de forma electionis Papæ, quæ non erant tempore Concilij Lateranenſi ſub Nicolao Secundo, quando conditi fuerunt illi canones, tamen contra omnem electum non ſeruata forma canonica poteſt de iure, & facto excipi, quia talis non eſt electus ex concordi conſenſu electorum, qui non eſt electus ſaltem à duabus partibus Cardinalium in Conclaui exiſtentium, & ſeruata canonica forma eligentium. Nam, & in Conſtitutione *Aeterni Patris Greg XV. §. Quod ſi electio*, habetur quod electus non ſeruata forma ibi ſtatuta tanquam Apoſtaticus habeatur, & ſub pœna excommunicationis prohibetur illi obedientiam præſtare. Igitur nedum poteſt, ſed tali electo debet denegari obedientia, & alius eligi qui ſit legitimus Papa nullo alio expectato iudicio. Et certè inconueniens maximum eſſet, ſi vbi Cardinalibus notoriè conſtat de nullitate electionis ex parte formæ non poſſent ad nouam electionem procedere non expectato Concilij iudicio, & decreto, vel etiam non præmiſſo proceſſu, & iuris ordine ſeruato, & nulliter electo audito. Nam & imò in dicta Conſtitutione *Aeterni Patris*, & in Cæremoniali præcipitur Cardinalibus, vt bis in die ſeruata forma canonica eligant.

15. De crimine verò hæreſis, vel ſchiſmatis adeſt Conſtitutio 19. Pauli IV. *Cum ex Apoſtolatus*, quæ dat facultatem recedendi ab obedientia eius, de quo apparuerit eum aliquando fuiſſe hæreticum, vel ſchiſmaticum. Et de crimine ſimoniæ hoc idem ſtatuitur per Iulium Secundum, & datur Cardinalibus facultas, & ſpoliandi intruſum, & alium eligendi, vt pluries eſt probatum. Et idem dicendum de omni nullitate notoria, quia in notorijs non eſt opus iudice, vt benè docuit Turrecremat. *cap. Si duo diſt. 79.*

16. De alia verò quæſtione loquendo, quando ſcilicet contra Papæ electionem poſſit excipi præcipuè hac exceptione iuris, & facti loquendo, videri poſſet, quod non ſit habenda conſideratio an Papa electus ſit, vel non ſit receptus, ſit vel non ſit in poſſeſſione adminiſtrandi Pontificatum, ſed quod etiam contra receptum poſſit excipi. Tum quia in præfatis Conſtitutionibus expreſsè cauetur, quod Papa ſic nulliter electus etiam poſt receptionem, & inthronizationem, & adminiſtrationem poſſit eijci, Tum quia *cap. In nomine Domini diſt. 23. & cap. Si quis pecunia diſt. 79.* & in Conſtitutione *Aeterni Patris Greg. XV.* præcipitur abſolutè, quod intruſus non habeatur vt Apoſtolicus, ſed Apoſtaticus, & quod ei non obediatur. Tum quia vt bene in hoc ponderarunt Innoc. & qui illum ſequuntur receptio, ſeu poſſeſſio in materia Papatus eſt parum conſiderabilis, cum electus in eo actu, in quo conſenſit electioni, ſi eſt legitimè electus ſtatim habeat à Deo, & poſſideat pleniſſimam auctoritatem ſupra totam Eccleſiam, vnde habet poteſtatem ab omni receptione, & conſenſu Eccleſiæ independentem, per quam poteſt præcipere, & cogere Eccleſiam vt ſe recipiat, & ſibi obediat. Et propterea vbi ſit notorium, quod Papa ſit nulliter electus etiam poſtquam fuit receptus, & poſtquam adminiſtrauit, & ab illiſmet qui eum receperunt poteſt illi obedientia denegari, & poteſt ille etiam vi expelli, & hoc eſt dicere, quod nedum poteſt accuſari, ſed contra eius electionem, & iure, & facto poteſt excipi.

17. Nihilominus dicitur primò, quod contra receptum nedum à Cardinalibus, ſed à tota Eccleſia pacificè, & ſine oppoſitione nulla prorſus poteſt dari exceptio, ſed ſolum ſi cognoſcatur eſſe actu hæreticus poteſt accuſari, vt ſi ſit incorrigibilis deponatur. Loquentes de crimine hæreſis hanc conclusionem docuerunt Alanus, Vincent. Innoc. Compoſtell. Io Andr. Butrius, Card. Panorm. Anchar. Imola *in c. Licet de elect.* quos refert ſimul cum Egidio Card. Iacobat. *l. 3. de Concil. art. 1. §. Sed quid ſi Papa, pag. mihi* 148. & ex duplici capite veritas eius pendet. Quia nullitas electionis Papæ vel eſt de iure Diuino, vel de iure poſitiuo. De illa ſi adeſſet poſſet ſemper excipi, quia electio taliter nulla, nunquam conualeſcit. Sed dico talem nullitatem eſſe impoſſibilem dari, ſeu daram vnquam eſſe, ſi electus cannonicè in facie Eccleſiæ ſit communiter ab Eccleſia receptus. Quia Eccleſia; quæ recipit Papam, vt ſuæ fidei regulam infallibilem nunquam errabit recipiendo in Pontificē, vel fatuum, vel infantem, vel fœminam, vel non baptizatum, & vbi in his moralem adhibuerit diligentiam, quam ſemper adhibebit Chriſtus illi aſſiſtet, vt non erret. Quia enim ad hoc vt Eccleſia ſit certa quod non poſſit à Pontifice decipi, debet etiam eſſe certa, quod Papa ſit legitimus, & habeat infallibilem aſſiſtentiam Spiritus Sancti, ideo debet dari in terra Iudex, qui infallibiliter poſſit decernere, quod electus in Papam eſt verus Papa. At verò hic Iudex non eſt niſi Eccleſia ipſa cui Chriſtus electionē Pontificis commiſit, ideoque & iudicium certum per quod ſciatur electionem fuiſſe legitimam, ſiue hoc iudicet Eccleſia iudicialiter per Concilium, ſiue extraiudicialiter per communem, & pacificam Pontificis receptionem. Non quod fideliū conſenſus Eccleſię, & acceptatio ſit electio, vel vi ſua non electum poſſit eligere, quia facultas eligendi competit ſolis Cardinalibus. Nec quia fidelium conſenſus, aut acceptatio ſit veluti confirmatio electionis, quia electio Papæ non indiget confirmatione. Nec quia electionis valor dependeat à conſenſu, & acceptatione populorum. Quia imò ſtatim ex vi electionis factæ à Cardinalibus ſi ſit canonicè electus eſt verus Pa-

X pa,

pa, & plenam habet auctoritatem *cap. In nomine Domini diſt.* 23. *cap Si quis pecunia diſtin.* 63. Sed quia hic fidelium conſenſus eſt effectus infallibilis validæ electionis,& ideo eius valorem probat à poſteriori infallibiliter. Vnde contra talem electionem ſit acceptatam non debet admitti exceptio, & oppoſitio, ſicut neque admittitur contra ſententiam, quæ tranſijt in iudicatum, ſeu cuius iuſtitia eſt iam certa,& notoria.

19. Neque obſtat ſi dicatur ex ſupra probatis, quod cum nullitas inducta ex iure poſitiuo non ſit talis in conſcientia, ſed electus ſit verus *Papa*, licet deponibilis conſtito de defectu, vel perſonæ, vel electionis, ideo ſtat quod Eccleſiæ conſenſus infallibile ſit indicium valoris electionis, quam habet in foro conſcientiæ, & Dei, ſed amouibiliter, vnde cum hoc ſtet, quod poſſit dari exceptio contra electionem, vt electio in foro externo irritetur. Nam dicitur, quod etiã ante totius Eccleſiæ conſenſum electio *Papæ* facta in facie Eccleſiæ eſt eo modo valida. Sed cõſenſus Eccleſiæ eſt infallibilis notificatio, quod electio ſit valida ſimpliciter. Quia & ad Eccleſiæ neceſſaria eſt fides certa, quod electus ſimpliciter ſit verus *Papa*, & quod geſta per eum ſunt infallibilia, quantum ad ea in quibus *Papa* non poteſt errare, & ad hanc fidem neceſſarium eſt, & conducit hoc Eccleſiæ iudicium. Nam ſi *Papæ* electio ſit dubia iudicium de illius valore non poteſt ſpectare ad Papam electum, quia ille ſtante illo dubio non poteſt obligare eccleſiam.

20. *P*ertinebit igitur ad Eccleſiam ipſam, cum non ſit dabilis alius, cui hoc iudicium tribui poſſit. Eadem igitur ratione qua dicimus, quod licet *P*ontifex antecedenter ad Canonizationem Sanctorum innitatur fallibilibus proceſſibus, quibus poteſt ſubeſſe falſum,tamen in actu canonizationis inſtinctu Spiritus Sancti infallibili ducitur. Sic licet iudicium electionis *Papæ* in ſuo fieri pendeat à fallibilibus principijs, tamen ipſa actualis Eccleſiæ receptio eſt ex infallibili inſtinctu Spiritus Sancti. Ideo ſic Eccleſia regitur, quod nunquam accepit, nec recipiet incapacem Papatus ex iure diuino, nec recipit,nec recipiet niſi verum *P*ontificem, & ita quod Eccleſia in recipiendo *P*ontificem non poſſit errare tenuerunt Granin. *tom.* 3. *l.* 4. *contr.* 4. *diffic.* 3. Io. à S.Thom. 2.2. *à q.* 1. *vſq.ad* 7. *diſp.* 2. *a.* 2. & alij Theologi, ſentientes de fide eſſe, quod *P*ontifex in facie Eccleſiæ canonice electus, & vt talis ab Eccleſia receptus credatur verus Papa ſucceſſor B. Petri habens plenitudinem poteſtatis in Dei Eccleſiam. Addo vero ex eodem Io. à S. Thoma, hanc Eccleſiæ acceptionem fieri primo per concordem electionem ſaltem duarum partium Cardinalium nullo eorum excipiente, aut opponente, & quod publicatio per quam ab vno Cardinali nomine omnium electio publicatur populo eſt veluti diffinitiua declaratio huius legitimæ electionis, quæ veluti confirmatur,& cõpletur cum à reliquis Prælatis, & populo Romano acceptatur electus, & ſucceſſiue ab alijs Prælatis extra Romam exiſtentibus admittitur, & à nullo fidelium contradicitur.

21. Sed loquendo de nullitatibus, quæ non ſunt de iure naturæ, ſeu diuino, alias eſt ratio concluſionis, quia ſcilicet leges irritantes electionem Papæ non compræhendunt hunc caſum in quantum ſit poſſibilis. Nam in multis caſibus in particulari non eſt poſſibile moraliter, vt quod à Cardinalibus recipiatur is, qui ab illis intrà Conclaue exiſtentibus non eſt electus nullo eorum obſtante, & nulla parte Eccleſiæ reclamante. Et quatenus violentia tanta eſſet durante violentia electio conualeſcere non poſſet, & hæc receptio non eſſet libera, ideoque non eſſet veluti legitima confirmatio electionis, & ceſſante metu tunc liceret vnicuique contrà talem ſic violenter intruſum proteſtari, nec deeſſet qui id faceret. Ideo ſi nullitas ſit vel ex defectu eligentium, vel ex defectu electionis vix moraliter eſt poſſibilis caſus, quod electio ſit deficiens ab eccleſiæ libere, & pacifice nullo reclamante,quia huiuſmodi nullitas vix poteſt reperiri, quæ non ſit notoria, & certa in quo caſu Spiritu Sancto eccleſiam dirigente indubitate fiet, vt aliquis tali electioni ſe opponat, & electum non recipiat.

22. Si vero aliqua huiuſmodi nullitas ſit occulta vnum de duobus dicendum eſſet, vel quod Deo dirigente defectus manifeſtabitur, vel quod lex poſitiua irritans electionem non compræhẽdit hunc caſum, & hoc ſecundum rationabiliter dicitur, leges enim irritantes electionem Papæ, ſi non fiant ſub hac, vel illa forma, habent pro ſine libertatem electionis Pontificis, & præcipue eius ſecuritatem, & vt ſchiſmata vitentur. At vero vbi *P*apa in facie Eccleſię apparenter eligitur ſeruata canonica forma, & Pontifex electus ab Eccleſia recipitur nulla eſt hic coactio, & periculum ſchiſmatis,imo periculum eſt ſchiſmatis, ſi poſt receptionem aliqua notitia defectus ſuperueniente, quis vellet contrà talem electum excipere, & illius electionem impugnare, & ſic electum deijcere. Quamobrem in caſu ſimili deficit contrarie finis legis irritantis, vnde lex non compræhendit talem caſum. Addo, quod cum Eccleſiæ vniuerſalis pacifica, & libera receptio ſit veluti declaratio valoris electionis infallibilis ſi talis electus eſſet ab Eccleſia pacifice receptus ex hoc deduceretur talem defectum non irritaſſe electionem. Quia Eccleſia in recipiendo Pontifice non poteſt errare. Et alias ſi ſemel admitteretur, quod Eccleſia in recipiendo Pontifice poſſet errare nulla eſſet certitudo legitimi Papatus in Eccleſia,& de quolibet Pontifice dubitari poſſet, vel an eſſet non baptizatus, vel ex alia cauſa occulta non Papa legitimus. Et ſi dicatur quod hæc certitudo poſſet adeſſe, quod dum aliquis ſedet in ſede receptus. Deus illi aſſiſtat, vt Eccleſiam regat, & quod Deus ſupplet quidquid opus eſt, vt actio ſic ſedentis ſit valida. Bene inſtat Ioan. à S.Thoma 2.2. *art.* 1. *queſt. ad* 7. *diſp.* 2. *art.* 2. §. *Tertio probatur*, quod dum negatur vna certitudo aſſertur alia non magis certa. Nam hic ſunt duæ iſtæ propoſitiones, ſcilicet Pontifex pacifice à tota Eccleſia receptus eſt verus Pontifex, et hæc alia, ſcilicet Pontifex receptus ab Eccleſia habet aſſiſtentiam Spiritus Sancti, vt non poſſit inualide agere. Vnde vero aſſeritur, quod hæc ſecunda propoſitio ſit

magis

magis certa quam prima? Et ſi conceditur hoc aliud quod Spiritus Sanctus non aſſiſtit Eccleſiæ vt non erret in receptione Papæ, ſed poſſit habere Papam falſum pro vero Papa quanta poſtea certitudine deducitur, quod *Papę* falſo aſſiſtat Spiritus Sanctus, vt non erret? Nonne conuenientius dicitur, et dici debet, quod Spiritus Sanctus Eccleſiam regit, vt Papam falſum non recipiat, et quod in Sede Petri nullum Papam pacifice ſedere permittat.

23. Et ſi iterum dicitur, quod poteſt eſſe Papa verus, ſed deponibilis, ſicuti eſt talis omnis Papa ſi velit eſſe hæreticus incorrigibilis. Et quod Eccleſiæ receptio ſufficit, quod ſit ſignum infallibile, quod electus ſit verus Papa, non tamen, quod ſit Papa non deponibilis, conſtito de defectu irritãte electionem ex vi iuris poſitiui. Iterum reſpondetur, & dicitur primo, quod non omnes admittunt, quod nulliter electus ex defectu formæ canonicæ, aut perſonæ ſit verus Papa in conſcientia, ſed multi hoc negant, vnde hoc non eſt omnino certum, cum tamen fide certum eſſe debeat, quod electus ab Eccleſia receptus ſit verus Papa. Tum ſecundo, quia lites in æternum non debent durare, quod ſi vis præſcriptionis tanta eſt, vt faciat ſuum, quod non erat, & leges volunt, quod contra ſententiam, quæ tranſijt in iudicatum non detur appellatio, & oppoſitio, debebit ne Eccleſia in æternum eſſe ſubdita litibus, & eius Pontifiex ſubditus violentiæ Potentum, vt toties quoties Papa pro Domo Dei contra Principes murus ſteterit inflexibilis poſſint Principes ſub prætextu nullitatis electionis Papam perſequi? minimè quidem, ſed Eccleſiæ acceptatio ſumi debet tanquam omnimoda, & publica declaratio valoris electionis, contra, quem non valeat aliã oppoſitio, & Eccleſia quiete poſſit viuere ſub ſuo Paſtore, & *Papa* ſine timore *Potentum* poſſit viriliter agere, & Iuriſdictionem Eccleſiæ tueri, & vitia arguere, & corrigere. Vnde omninò dicendum eſt, quod leges Eccleſiaſticæ irritantes electionem Papæ non compræhẽdunt hunc caſum electionis, cuius defectus ita fuerit occultus, vt eo non obſtante Papa fuerit tanquam legitimus à tota Eccleſia receptus. Vnde non dicitur, quod electio nulla conualidetur, ex acceptatione Eccleſiæ, ſed quod per nullam legem poſitiuam electio ſit occulte deficiens, & acceptata ab Eccleſia, & approbata eſt irrita, & nulla. Quia hoc requirit Eccleſiæ pax, & ſecuritas, & tranquillitas.

24. Addo, quod ſi nullitas electionis ſit ex defectu electi hæc prouenire poteſt, vel ex defectu ſimoniæ, vel ex defectu hæreſis, aut ſchiſmatis. De defectu autem ſimoniæ loquendo ſupra *q.* 21. probatum eſt, quod lex *Iulij* Secundi non comprehendit hunc caſum, in quo Pontifex electus ob occultam ſimoniam ſit etiam nullo obſtante receptus, quia illa lex ſupponit exceptionem datam contra electionem ab aliquo ex Cardinalibus præſentibus electioni. Et imò non concedit omnibus fidelibus ſed ſolis Cardinalibus, qui ſe tali electioni opponere voluerint, vt poſſint contra intruſum inuocare auxilium brachij ſecularis, nunquam verò conceſſit, quod in quocunque tempore excipi poſſit, vel opponi tali electioni, ſed imò hanc oppoſitionem concedit ſolis Cardinalibus, qui interfuerunt electioni. Et quia vt dictum eſt præciſa Conſtitutione hac Iulij II. contra electum in Papam non poteſt excipi de ſimonia, & hanc exceptionem Iulius II. concedit ſolũ Cardinalibus præſentibus electioni, benè colligitur, quod hæc exceptio alijs non competit, & quod ad hoc vt electio cenſenda ſit nulla, neceſſe eſt, vt hæc exceptio detur tempore electionis ſi fieri poteſt, vel ſi tunc ob metum non poſſit dari, detur antecedenter ad Eccleſiæ iudicium non verò poſtquam Eccleſia iam pacifice recepit Pontificem. Et in omni caſu dicendum eſt, quod ſi electio patiatur hunc defectum, vel Deo dirigente defectus non manebit occultus, nec deficiet, qui in tempore ſe opponat, ne Eccleſia erret in recipiendo Papam nullum, vel ſi poſt Eccleſiæ receptionem hic defectus appareat, ſignum ſit, quod electio ex tali defectu in ſimili caſu non eſt nulla.

25. In caſu autem hæreſis adeſt difficultas ex Conſtitut. 19. Pauli IV. ex qua habetur, quod ſi etiam quocunque tempore poſtquam Papa fuit communiter ab omnibus receptus inueniatur, eum aliquando fuiſſe ante ſuam electionem hæreticum, aut ſchiſmaticum, electio ipſa habeatur, vt nulla, & geſta per illum, vt irrita.

26. Sed ſi illius Conſtitutionis eſt ſenſus, quod non obſtante, quod Papa fuerit receptus à tota, & vniuerſali Eccleſia, adhuc eius electio nedum coram Deo, ſed & coram Eccleſia poteſt eſſe nulla, ſi poſt quodcunque tempus appareat electum aliquando fuiſſe hæreticum, vel ſchiſmaticum, & ita vt pro nullis habenda ſint tam electio, quam geſta per talem *Papam*, & adeò vt ab eius obedientia liceat recedere, & illum euitare, vt hæreſiarcham, imò & ſi inuocato brachio ſeculari opus ſit violẽter deijcere. Quoniam alia ex parte, quod eſt poſſibile aliter ſe habere, aut quod poteſt apparere, non eſſe id quod apparet eſſe nec eſt certum, nec poteſt eſſe obiectum infallibilis fidei, ſequitur per euidentem conſequentiam, quod nedum certum non erit vllo vnquam tempore, quod hæc perſona ſit legitimus Papa in Eccleſia, & quod in Dei Eccleſia ſit Papa verus, ſed neque quod geſta per Papam ſint legitima, & vera, & valida, & quod Sancti Canonizati ſint tales, & quod ea, quæ docet, & decernit eſſe de fide ſint talia, quia nec de aliquo *Pontifice* eſt certum, quod non fuerit, vel quod non poſſit apparere, quod fuerit hæreticus, vel ſchiſmaticus nec valet ſi quis recurrat ad certitudinem, vel impoſſibilitatem moralem, tum quia nec moraliter eſt impoſſibile, quod aliquis Papa fuerit hæreticus aut ſchiſmaticus ante ſui promotionem, & quod hoc poſſit apparere; tum quia ad hoc vt aliquid non ſit certum taliter, vt ſit obiectum fidei, ſufficit, quod per potentiam logicam, ſeu metaphyſicam poſſit aliter ſe haberi, & quod poſſit contingere, quod Eccleſia erret in recipiẽdo Papam, & quod poſſit ſtare, quod Papa ab vniuerſali Eccleſia receptus poſſit eſſe Papa non verus, ſed talis cui non aſſiſtat infallibiliter Spiritus Sanctus, vnde eius geſta poſſunt eſſe reuocabilia, & declarabilia fuiſſe ipſo iure nulla. Et ſic tota Religionis,

& fidei certitudo perit in Eccleſia Dei.

27. Vnum igitur de duobus eſt dicendum, vel ſcilicet, quod ſtante ſenſu prædicto talis Conſtitutionis, Deus ità diriget electores, & Eccleſiam, vt vel non eligetur vnquam qui fuit hæreticus, ant ſchiſmaticus, aut electi manifeſtabitur defectus ne recipiatur ſine oppoſitione, & contradictione à tota Eccleſia. Et ſic quod Concluſio poſita ſubſiſtit, nec conta Papam electum, & à tota Eccleſia receptum poteſt dari exceptio iſta de hæreſi, vel ſchiſmate præterito, ſeu de nullitate ſuæ electionis. Sed imò talis exceptio ſtatim habenda eſt pro ſalſa, & repugnante infallibilitati quam haber Eccleſia, & haberi debet de validitate electionis à ſe approbatæ. Et quamuis dicant poſſe Papam accuſari de hæreſi præſenti, quod ego poſſibile non credo, quia credo Deum nunquam permiſſurum quod detur Papa hæreticus, ſicut vſque modo nunquam datus fuit, vt bene probant Grauin. *tom. 4. contr. 7. §. 3. pag.* 318. & Bzouius *in Pontifical. Rom. cap. 26.* non tamen propter hoc poſſet dari de nullitate electionis Papæ, ſed bene poſſet agi ad hoc vt Papa alias verus, et legitimus deponeretur, ſi vellet eſſe incorrigibilis. Itaq; contra Papam à tota Eccleſia receptum non poteſt habere locum valida exceptio de nullitate electionis.

28. Vel dicendum eſt (& ſic eſt prorſus rationabile) quod dictæ Conſtitutionis non eſt ille ſenſus, qui ſuppoſitus fuit, ſed quod in illa parte Conſtitut. ſcilicet: *Nec per ſuſceptionem muneris conſecrationis, aut ſubſecutam regiminis, & adminiſtrationis poſſeſſionem, ſeu quaſi, vel ipſius Romani Pontificis inthronizationem, aut adorationem, ſeu ei præſtitam ab omnibus obedientiam, & & cuiuſuis temporis in præmiſſis curſum conualuiſſe dici, aut conualeſcere poſſit, illud verbum ab omnibus* non reſpicit totam Eccleſiam, ſed totum Collegium Cardinalium, aut Romanos præſentes. Nam ſi voluiſſet intelligi de tota Eccleſia id clarius expreſſiſſet, ſicuti verè exprimendum fuiſſet, & quia non eſt veriſimile quod Pontifex voluerit reddere dubium hunc articulum, ſcilicet infallibilitatem Eccleſiæ recipiendo Pontificem, imò infallibilitatem aſſiſtentiæ Spiritus Sancti ei, qui vt Papam ſine Eccleſiæ contradictione ſe gerit, & de rebus fidei, & Religionis ex cathedra decernit, cum ex hoc dependeat certitudo fidei Eccleſiæ, quæ pro regula fidei infallibili debet habere Pontificem. Tum quia cum nomen *omnes* habere poſſit reſtrictiorem, & ampliorem ſignificationem in hac lege pœnali facta in odium hæreſis, & quæ amplè intellecta non eſt Eccleſiæ ſauorabilis, ſed cedere poteſt in damnum maximum fidelium, & fidei, & periculum ſchiſmatum, & hæreſum, debet accipi ſtrictiſſime & ſic ſatis eſt ſi reſpiciat Collegium Cardinalium, & ſit ſenſus quod per omnium Cardinalium conſenſum electio præſata non conualeſcat pee cuiuſcunque temporis curſum.

29. Addo, quod cum in ea Conſtitutione decernatur, quod geſta per Papam talem ſint reſcindenda, & nulla declaranda mens Pontificis eſt, quod huiuſmodi Papa, qui ſemel fuit hæreticus ſi hoc appareat non habuerit aſſiſtentiam Spiritus Sancti, & quod geſta eius ſint reſcindenda. Igitur ſi etiam mens Pontificis dicatur eſſe quod hæc apparentia, & quod ex ea ſequitur poſſit habere locum etiam poſtquam Papa fuit receptus à tota Eccleſia, ſequitur, per neceſſariam conſequentiam, quod mens Pontificis fuerit, quod Papa electus, & receptus poſſit eſſe talis de quo appareat quod non habuit aſſiſtentiam Spiritus Sancti, & quod fallibiliter ea quæ geſſit, geſſerit, & quod Eccleſia errauerit, & habuerit Papam ſalſum pro vero, & ſic quod exiſtentia Papatus in Eccleſia ſit fallibilis & incerta. Quæ quia abſurda ſunt, omninò igitur eſt vitanda huiuſmodi interpretatio, & dicendum eſt, quod clauſula illa. *Si vllo vnquam tempore apparuerit*, debet intelligi de tempore habili ad diſputandum de exiſtentia Papatus in electo, quod eſt tempus præcedens communem Eccleſiæ conſenſum, & receptionem, & ſic eſt neceſſe vt hæreſis vel ſchiſma ſaltem apparere incæperit taliter, vt impediat receptionem electi in Papam, & in tempore congruo facta fuerit aliqua oppoſitio de hæreſi, vel ſchiſmate. Quo ſuppoſito poſteà electio non conualeſcat neque ex longitudine temporis, neque ex omnium Cardinalium conſenſu. Sed ſi hæreſis appareat electio iudicanda ſit nulla. Sed poſt receptionem nulla iam ſit admittenda oppoſiti, aut exceptio, quia tunc non eſt amplius tempus habile ad ponendum in dubium electionem Papatùs. Addo quod cum non fidelium, ſed ſolum Cardinalium ſit eligere Papam, conſenſus fidelium non eſt ille, ex quo conualeſcere poſſit electio, ſed hic eſt conſenſus Cardinalium, & ideò quando dicitur, quod electio eius qui apparuerit fuiſſe hæreticum non conualeſcat ex conſenſu omnium loquitur de conſenſu Cardinalium, non verò de conſenſu omnium fidelium, qui non eſt conualidatio electionis, ſed declaratio infallibilis valoris illius poſtquam cauſa Papatus non eſt reuocanda in dubium.

30. Dicitur ſecundo quod antequam Papa ſit pacifice receptus ab Eccleſia poteſt excipi contra eius electionem, tam de iure, quam de iure, & facto. Et tunc habet locum doctrina Gratian. *cap. Deus ergo, §. patet 3. qu. 1.* quod Papa poteſt ſpoliari etiam ſi fuerit in poſſeſſione, nec debet reſtitui. Sed hic triplex caſûs diſtingui debet. *Primus* eſt ſi nullitas ſit notoria. Secundus ſi nullitas licet in rigore non ſit notoria eſt tamen certa, & indubitata. Tertius ſi nullitas eſt ſolum probabilis. Quia vero in vacantia Papatus, vt Gratianus aduertit Eccleſia non habet ſuperiorem, qui iuridice de cauſa cognoſcet, quia licet Concilium Generale ſit Iudex huius cauſæ, tamen Concilium non niſi poſt longum tempus, & cum difficultate congregatur, & vt ex Panorm. *in cap. licet de elect.* aduertit Iacobat. *l. 3. a. 1. §. ſed iſtud. pag.* 45. impoſſibile dicitur, quod ſine magna difficultate non habetur, ideò tunc habet Eccleſia, vt contra intruſum quantum licere poteſt etiam via facti procedat.

31. In Primo ergo caſu vbi intruſio ſit notoria,

toria, nedum licet excipere de iure, & negare obedientiam intruſo, & illum vt excommunicatum, & hæreſiarcam euitare, ſed more belli prius intruſo admonito, vt de ſede deſcendat, ſi id non faciat poſſunt Cardinales opponentes, & alij fideles illum perſequi, & vi eijcere, & ſpoliare, vt expreſſe habetur *cap. ſi quis pecunia diſt.* 79 & ex Conſtitutione Pauli IV. & Iulij II. & eſt indubitatum, & certum. Sic Conſtantinus Totonis Ducis Nepeſini frater ex laico per vim intruſus & ſine electione Cardinaliũ ordinatus poſt annum à Chriſtophoro *Primicerio*, & Sergio Saccllario eius filio eiectus eſt, & canonice electus fuit Stephanus IV. Baron. & Bzou. ad annum 768. Ciaconus in vita Stephani IV. Chriſtophorus etiam Cardinalis tituli S. Laurentij in Damaſo detruſo Leone V. legitimo *Pontifice* Sedem Apoſtolicam inuaſit, ſed poſt ſeptem menſes expulſus fuit, quamuis ab alio ſedem inuadente, qui fuit Sergius III. quem Eccleſia ſuſtinuit vſquequo poſt tres annos defunctus eſt, Baron. & Bzou. ad annum 907. Solum aduerto quod optimum erit vniuerſaliter ſeruare, quod in caſu ſimoniacæ intruſi dixit Iulius II. qui quidem in §. *licet*, & in §. *ad cuius* diſtinguit inter non recipere Pontificem intruſum, & illum habere vt excommunicatum, aut hæreticum ex vna parte, & intruſum violenter ſpoliare ex alia parte, nam prima duo conceſſit omnibus fidelibus, ſed tertium Cardinalibus. Quia in caſu intruſi laicorum non eſt eſſe primos duces belli, ſed ſubditos, qui ad inſtantiam *C*ardinalium, quorum inter eſt prouidentia, & gubernatio Eccleſiæ in Vacantia Pontificatus, & *C*oncilij debent bellum gerere, & ità optimus ordo ſeruabitur, ſi laici duci ſe ſinant ab Eccleſiaſticis, & ad eorum directionem, & inſtantiam contra Papam intruſum ſe moueant nec etiam ab eius obedientia recedant, niſi Clero, & eorum *P*aſtoribus recedentibus, quia in rebus fidei, & Religionis Laicorum eſt duci, & dirigi, non verò ducere, & regere alios. Et intruſo ob prætenſam ſimoniam hoc conſiderando quod eſto electio ſimoniaca ſit declarata nulla ipſo facto, hoc debet obſeruari, quod ſoli *C*ardinales præſentes electioni poſſunt excipere de ſimoniaca electione, quia cum hæc exceptio non ſit de iure naturæ, & alias ſit excluſa per Concilium Lateranen. *in cap. licet de elect.* ſolum conuenit ijs, quibus illam concedit Iulius II. qui illam concedit ſolis Cardinalibus præſentibus electioni.

32. Quamobrẽ vbi iſti non excipiant, non eſt vnde alius excipere velit, vel in aliquo electum à duabus partibus Cardinalium moleſtare ſub prætextu ſimoniæ. Quia cui non eſt conceſſa exceptio contra electionem, multo magis eſt prohibitum negare obedientiam electo, vel eum vitare. Et ideò quod omnibus fidelibus concedit Iulius II. *in §. liceatq;* ſuſcipere debet interpretationẽ, & limitationẽ accipere ab eo quod prius dixerat concedens Cardinalibus præſentibus electioni poſſe excipere de ſimonia, & non alijs. Et in §. *ad cuius* ſolum Cardinalibus ſuppoſita eorum exceptione, et oppoſitione concedit poſſe implorare auxilium brachij ſecularis. Et ſic ſolum ſuppoſita exceptione Cardinalium, & ad eorum implorationẽ poſſunt laici, vel alij electum ſimoniacè etiam notorium ſpoliare Papatu.

33. In ſecundo caſu non poteſt quidem tam defacili euenire, vt nullitas electionis Papæ ſit certa, euidens, & indubia ſi non ſit notoria, ſi tamen ita contingat, poteſt contra Papæ electionem excipi de iure, & aliquo modo de facto, & in terminis Concilij Conſtant. ſcilicet non recipiendo electum, nec præſtando illi obedientiam, & non communicando cum illo, ſed habendo illum vt hæreſiarcham. Concluſionem hanc habet Panorm. *cap. Licet n. 11. de elect.* & eſt DD. admittentium dari contra electionem Papæ exceptionem de hæreſi. Hæc enim exceptio ad minus eſt exercita recuſatio, & non acceptatio electi in Pontificem, & non communicatio cum illo, quia habere aliquem, qui ſe gerit tanquam Pontificem, vt non *P*ontificem eſt ſimul habere illum, vt Apoſtaticum, & excommunicatum. Et probatur vlterius. Nam primo loquendo de ſimonia huiuſmodi exceptio expreſſe conceditur ibi; *Sed etiam contradictum ſit electum, vel aſſumptum de ſimoniaca labe à quocumque Cardinali, qui eidem electioni interfuerit opponi, & excipi poſſit, ſicut de vera, & indubitata hæreſi.* Vbi igitur ſimonia ſit certa, & indubitata locum habet exceptio contra electionem *P*apæ ſic ſimoniacam. Et pariter locum habent, quæ in §. *liceatque* omnibus conceduntur, ſcilicet non reddere obedientiam tali electo, & poſſe habere illum vt hereſiarcham excommunicato non cõmunicando cum illo. Et ex eodem loco, & verbis habetur, quod eodem modo poteſt excipi de crimine hæreſis, quia ſuppoſuit Iulius II. quod de vera, & indubitata hæreſi poſſit excipi contra electum in Papam, & ex hoc decernit poſſe excipi de ſimonia. Verum quidem eſt, quod vbi loquimur in terminis Conſtitut. 19. Pauli IV. licet ad hoc vt electio habeatur vt nulla ſit neceſſarium, quod hæreſis, vel ſchiſma ſit notorium, quia in ea requiritur, quod hæreſis appareat Eccleſiæ, quod non ſit, niſi hæreſis ſit notoria, vt dictum eſt ſupra. Tamen loquendo de exceptione de iure, & non omnino de facto, & ad effectum, vt in iudicio appareat etiam de hæreſi præterita, vel ſchiſmate poteſt ſupradicto modo excipi nolendo illum recipere, ſi ſaltem hæreſis ſit certa. In terminis etiam Conſtitutionis Gregor. XV. *Aeterni Patris* vbi nullitas electionis ex parte formæ ſit vera, & indubitata locum habere poteſt hæc exceptio, quia ibi præcipitur, quod electus non ſeruata forma dictæ Conſtitutionis ſit, & habeatur vt Apoſtaticus. Vnde hoc confirmatur nam ibi excommunicantur nedum intruſus, ſed eius eligentes, fautores, & complices, vnde prohibetur, vt illi detur obedientia, cum non poſſit negari eum eſſe fautorem, aut etiam complicem intruſionis in Papatum, qui Papę intruſo obedit, quod etiam prohibetur *cap. In nomine Domini* reſpectu eius, qui fuerit electus forma *d. cap. Non ſeruata*, & in Conſtitutione Iulij II. *Cum tam diuino* pariter præcipitur, quod electus ſimoniacè habeatur vt Apoſtaticus. Vnde vbi ſit certum electum eſſe

intru-

intruſum, nedum poſſunt, ſed tenentur fideles negare obedientiam tali intruſo, & habere illum vt Apoſtaticum.

34. Ampliatur hoc, vt liceat etiam ijs, qui illi obedientiam præſtiterunt ab eius obedientia recedere. Nam in terminis Conſtitutionis Iulij II. hoc illis conceditur in §. *liceatque* & in terminis Conſtitut. Greg. XV hoc illis præcipitur ſub pœna excommunicationis cum illius intruſi fautores excommunicentur, quod fit etiam *cap. In nomine Domini d. 23.* Quamobrem qui prius tali intruſo obediuit tenetur ab eius obedientia diſcedere, ne in fautoria, aut delicti complicitate, vel ſequacitate perſeueret. Et hic propterea aduertendum diſcrimen, quod in terminis Conſtitutionis Iulij II. conceditur facultas excipiendi, & recedendi ab obedientia intruſi per ſimoniam, & habendi illum vt Apoſtaticum. Sed non præcipitur hoc ſub aliqua pœna, niſi quod ſub pœna excommunicationis præcipitur Cardinalibus, ne faciant contra dictam Conſtitutionem vnde ipſi eligendo ſimoniace ſunt excommunicati, & etiam non habendo ſic electum, vt Apoſtaticum, ſed in terminis *cap. In nomine Domini* & Conſtitut. Gregor. XV. fauctores complices, auctores, & ſequaces intruſi contra dd. Conſtitutiones ſunt excommunicati.

35. Dicitur tamen quod extra caſum notorij quantuncumque nullitas electionis Papæ ſit certa, non licet excipere omnino de factò intruſum priuando poſſeſſione, quam habet, & eum vi eijciendo, & expellendo, & compellendo ei adhærentes, ad hoc vt ab eius obedientia recedant. Sed in terminis Concil. Conſtant decernentis qualiter ex prætextu metus excipi poſſit contra electionē *Papæ*, debet expectari ſententia Concilij Generalis Concluſionem hanc tenuerunt communiter antiqui Canoniſtæ *in cap. Licet de elect.* volentes contra hæreticum hoc modo poſſidentem non dari exceptionem, ſed illum debere accuſari, quos refert, & ſequitur Iacobat. *l. de Concil. a.* 1. Probatur autem primo, quia hoc fidelibus in hoc caſu non eſt conceſſum, & alias de iure communi poſſeſſor non poteſt via facti expoliari. Quod enim hoc non ſit conceſſum apparet. Nam in terminis Conſtitutionis Greg. XV. præcipitur quidem, quod nullus intruſo faueat, ſed non dicitur, quod intruſus violenter eijciatur, nec datur facultas nouum Pontificem eligendi. In terminis verò *cap. Si quis pecunia* mandatur intruſum expelli, ſed cum ibi ſit ſermo de non electo, ſed intruſo violenter, & notorie ſine concordi electione Cardinalium eſt etiam ſermo de intruſo notorio, ſicut & de eo loquitur idem Rom. Concil. *cap. In nomine Domini diſt. 23.* Iacobat. *l. 3. a. 1. §. ſed videtur pap.* 144. In caſu etiam notorij procedit diſpoſitio Conſtit. 19. Pauli IV. loquentis de eo, qui apparuerit fuiſſe hæreticus, vel ſchiſmaticus ante electionem. De intruſo etiam per metum loquens Concilium Conſtant. aperte prohibet procedi ad aliam electionem, & vult electum manuteneri in ſua poſſeſſione vſque ad Concilium, pro cuius tempore eius Iuriſdictionem ſuſpendit. Et ita exemplo, & ſimilitudine huius diſpoſitionis Concilij ſine dubio hic eſt modus tutus procedendi, & amplectendus in ſimilibus occaſionibus fugiendo violentias, bella, homicidia, & damna irreparabilia, quæ ſecum ferunt violentiæ, & bellicæ hoſtilitates.

36. Nec obſtat quod Iulius II. in Conſtitutione *Cum tam diuino, ad cuius* concedat Cardinalibus implorare auxilium brachij ſecularis ad excludendum, & deijciendum ſimoniacè intruſum, & loquitur in caſu veræ, & indubitatæ ſimoniæ, quia in hoc caſu conceſſit Cardinalibus vt poſſint contra electum excipere, & ſucceſſiue fidelibus, vt poſſint ab eius obedientia diſcedere. Et confirmatur, quia cum ſimonia ſit crimen, quod mente principaliter committitur, cum conſiſtat in pacto, ſine quo non eſt ſimonia vix dari poſſet caſus, in quo Conſtitutio Iulij Secundi haberet locum ſi ſolùm in caſu notorij poſſet contra electum excipi de facto, ipſumque etiam vi eijci, ſi opus ſit. Tertio quia Gratian. in §. *ſolet 1. q.* 5. docet quod *Papa* intruſus poteſt vi expoliari, & non debet reſtitui, quarto quia ratio Gratiani, quod ſcilicet in caſu electionis Papæ non datur Superior ad quem habeatur recurſus, oſtendit quod in eo caſu Eccleſia ſe habet ſicut Princeps Supremus, qui quidem in caſu certo ſecundum communem DD. ſententiam, ſi aliter Princeps admonitus nolit reddere ſibi quod debet, poteſt illi bellum inferre, vt tradit Suarez *diſp. 13. de char. ſect. 6. n.* 2. & docent Molina *p. 1. de iuſt. diſp.* 103. Vaſquez *p. 2. d. 64. cap.* 3. Salas *p. 2. tract. 8. diſp. vnica ſect. 13. n.* 123. Palaus *de conſcient. diſp. 208. dub. 17. n.* 1002. Poterunt igitur Cardinales de facto intruſum ſimoniacè vi expellere, ſi admonitus nolit recedere quando ſimonia ſit certa, & indubitata.

37. Nam ad iſta reſpondetur ordine retrogrado incipiendo ab hoc vltimo, & illud retorquendo. Quia Collegium Cardinalium non eſt iudex ſicuti eſt Princeps Supremus imo nec Eccleſia in vacantia Papatus eſt propriè Iudex, niſi vt congregata in legitimo Concilio. Et ſic verum eſt, quod Concilium Generale ſi intruſus contra eius ſententiam velet perſiſtere in Papatu poteſt illum vi deijcere. Sed Eccleſia non congregata in Concilio habet, vt contra intruſum procedat ſolum via exceptionis, & facti. Ideo non poteſt intruſum ſpoliare extra caſum notorij, quia nullus eſt ſpoliandus non ſeruato ordine Iuris, eo quod poſſidet. Ad tertium dicitur Gratianum expreſſè ibi loqui in caſu notorij, quia loquitur in caſu intruſi, ſine legitima electione Cardinalium, cum modo ſit ſermo de eo, qui alias canonicè eſt electus à duabus partibus Cardinalium, & ſolum prætextu ſimoniæ contrà eum excipitur. Ad primum, & ſecundum dicitur quod ad ſummum probare videntur, quod in intruſo per ſimoniā poſſit vbi ſimonia eſt indubitata vi ſpoliari intruſus. Neque ex hoc poteſt inferri idem licere in alijs caſibus, quia vbi exceptio non valet iure diuino, ſed ſolum ex vi iuris humani, cum alias ex ſtatuto Cōcil. Lateran. *in cap. licet* prohibita ſit omnis exceptio contrà electum à duabus partibus Cardinalium tantùm præcisè, & non amplius ex iure poſitiuo poteſt excipi, quantum eſt conceſſum

dero-

derogando illi Concilio, nec licet de caſu ad caſum hoc extendere. Quamobrem cum alias in caſu metus à Concil. Conſtant. prohibeatur ſpoliatio intruſi alias canonicè electi, potius huic exemplo eſt ſtandum, & iuxtà ibidem ſancita eſt excipiendum, cum alias *cap. In nomine Domini d. 23. & cap. ſi quis pecunia diſt.* 79. & Conſtit. Pauli IV. loquatur in caſu notorij, & Conſtit. Greg. XV. non det hanc ſacultatem expoliandi intruſum. Quamuis, & in caſu dictæ Conſtitutionis vix dari poſſit intruſus ex non ſeruata illius forma, qui non ſit pluſquam notorius, & poſſit de facto, & debeat ſpoliari. Quamobrem quod extra caſum notoriæ nullitatis non poſſit Papa intruſus de facto extra Generale Conciliū ſpoliari Papatu, probat multis citatis Card. Iacobat. *l. 3. de Concil. art. 1. §. Quinimo ſi Papa, & ſeq. pag. mihi* 143. vbi refert ſententiam Io: de Fano aſſerentis Cardinales, & Prælatos, qui non expectata ſententia Concilij receſſerunt ab obedientia Vrbani VI. commiſiſſe ſchiſma, & de hoc eodem puncto tractans idem Iacobat. *l. 4. art.* 4. in eadem ſententia perſiſtit, quod ſcilicet extra caſum notorij non poſſit intruſus poſſidens expoliari.

38. Sed nihilominus dicitur, quod nec in caſu ſimoniæ non notoriæ poteſt non expectato iudicio Concilij expelli Papa à poſſeſſione, quia licet Iulius II. conceſſerit dari poſſe exceptionē in caſu veræ, & indubitatæ ſimoniæ, tunc loquutus eſt de exceptione de iure. Sed quando dat facultatem inuocandi brachium ſeculare ad eijciendum intruſum loquitur ſeruato eo quod iuris eſt in hoc puncto, & iuxtà terminos aliarum decretalium, quæ hoc admittunt ſolum in caſu notoriæ nullitatis, in quo non eſt opus iudice. Sed vbi non eſt notorium delictum non poteſt ſine iudice damnari delinquens tollendo vi id, quod ille poſſidet. Vnde extra caſum notorij ſeruanda eſt praxis ſtatuta à Concil. Conſtantien. & expectandum iudicium Concilij.

39. Hinc ſequitur quod extra caſum notorij non licet Cardinalibus deuenire ad ſecundam electionem via facti ante Concilij decretum irritans electionem priorem. Nam non licet in Eccleſia eſſe duo capita, & duos Paſtores & duos Summos Pontifices igitur vbi vnus adeſt, niſi liceat illum ſpoliare Papatu, non licet alium introducere. Cum igitur extra caſum notorij non liceat via facti intruſum reijcere, nec licet alium eligere. Vnde ſi alius eligatur primus eſt in poſſeſſione manutenendus. Aegid. autem *in cap. licet*, quem refert Card. Iacobat. *l. 4. art. 4. pag.* 257. & ſequitur Lauor. arbitratur etiam in caſu hæreſis, ſi contigerit Cardinales elegiſſe hæreticum, & electum recepiſſe, & per annum illi obediuiſſe, & poſteà detecto errore etiam notoriè ab eius obediētia receſſiſſe, quod adhuc manutenendus ſit prior electus in poſſeſſione donec cauſa per Concilium fuerit cognita. Verum dicitur, quod ſi prior Papa eſt ſine oppoſitione receptus ab Eccleſia ſecundo electus eſt omninò ſchiſmaticus, Antequam verò primus ſit ab vniuerſali Eccleſia receptus in caſu notorij ſicut ille poteſt etiam vi ſpoliari ità alius poteſt eligi non obſtante quacunque longitudine temporis, ſed extra caſum notorij prior ſic debet in ſua poſſeſſione manuteneri, quod non debet violenter expelli, ſed tunc tam contra primum, quam contrà alios electos debet ſeruari decretum Concil. Conſtant. *ſeſſ.* 39.

40. An verò in hoc caſu alterius electio ſit nulla certum eſt quod in caſu metus ſecunda electio eſt ipſo iure nulla ex decreto Concilij Conſtant. & ſpectato iure communi in *cap. conſideraumus, & cap. auditis de elect.* ità vniuerſaliter dicendum eſſet. Sed quia electio Papæ non ſubeſt legibus de elect. in cōmuni decernentibus, & aliàs Cōcil. Cōſtant. timens periculū ſchiſmatis, & pluriū electionū ad Papatū omnes electos manuteneret in poſſeſſione, & ſolum tempore Concilij ſuſpendit eorum iuriſdictionem, hinc habetur quod extra caſum metus electio poſterioris non eſt ex hoc ipſo iure nulla, ſed imò eſt valida iudicanda, ſi alias contingat priorem declarari nullam, & ſecunda ſine alio defectu ſubſiſtat.

41. In tertio autem caſu vbi nullitas inducta de iure poſitiuo electionis Papæ non eſt nec notoria, nec certa, ſed ſolum probabilis dicitur quod ſi non eſt certa, & indubitata quantuncunque aliàs ſit probabilis, probabilior, & probabiliſſima non licet contra electionem Papæ excipere, nec aliquo modo ab eius obedientia diſcedere, ſi Papa ſit electus à duabus partibus Cardinalium. Ratio eſt, quia nulla lex poſitiua, quæ induxit nullitatem contrà electum à duabus partibus Cardinaliū in caſu dubio præualet contrà legem Alex. III. in Concil. Lateran. contentam in *cap. licet*, & præcipientem electum à duabus partibus Cardinalium debere haberi vt verum Papam nulla exceptione obſtante. Leges inter poſteriores derogantes legi priori ſtrictiſſimè interpretandæ ſunt, vt quantum fieri poteſt vitetur legum correctio, quæ maximè vitanda eſt, *c. cum expediat de electione in 6* Rom. *conſ.* 40. ex quo Tuſc. *litt. C. concl.* 1036 deducit, quod vbi lex poſterior derogans priori poteſt conciliari, id debet fieri, ideò non eſt cenſendum quod in caſu dubio per poſteriores leges ſit præiudicatum illi legi conſiliari. Et eò magis, quod aliter eſſet aperta ampliſſima via ſchiſmatibus, & bellis Eccleſiam deuaſtantibus, & de facili redderetur dubia electio ad Pontificatum, cum tamen, vt omnis occaſio ſchiſmatum tollatur, & non ſit vnde dubitari poſſit An *Papa* ſit legitimus Alex. III. in Concil. Lateran. voluerit, vt contrà electum à duabus partibus Cardinalium nulla detur exceptio.

42. Et hoc magis apparet verum, quia iuxtà Conſtitut. Iulij II. exceptio ſimoniæ non poteſt dari niſi ſit verà, & indubitata, & ex eadem Conſtitutione habetur hoc eſſe dicendum de exceptione hæreſis. Vnde hoc idem eſt dicendum etiam in terminis Conſtit. Gregor. XV. vt ſcilicet locum non habeat vbi nullitas non eſt certa, & indubitata. Nam licet defectus formæ inficiat electionem ipſam, & non electus iuxtà formam ibi ſtatutam dici poſſit non electus legitimè à duabus partibus Cardinalium tamen Concil. Lateran. non requirit niſi naturalem conſenſum duarum partium Cardinalium ſub quacunque forma datum, & vult, quod eo exi-

ſtente

Digitized by Google

ſtente nulla exceptio valeat, nulla ſcilicet exceptio in iure poſitiuo fundata, vt benè explicat Panorm. *in cap. licet de elect. num.* 11. ideo vndecunque, & quacunque ex parte ius poſitiuũ induxerit aliquam nullitatem contra electionẽ Papæ ſi de hoc plene, & pleniſſimè non conſtat poſſeſſio ſemper ſtat pro lege priori Concil. Lateran. & omnis exceptio eſt reijcienda ſi non ſit indubitata, & id circo nec Concilium Generale electi à duabus partibus Cardinalium ex ſimonia non certa, & indubitata poteſt electionem nullam declarare. Et in caſu hæreſis vbi electus probaretur ſuſpectus de hæreſi taliter, quod eſſet neceſſe vt Papa ipſe ſe purgaret coram Eccleſia, ſicut feciſſe Symachum Papam in Concil. Rom. 115. Epiſcoporum anno 500. narrant Annales Eccleſias. Papa hoc ſufficienter faceret ad hunc effectum, ſi rectam fidei confeſſionem Eccleſiæ præberet. Sed vbi electus fidem rectam proteſtaretur & confiteretur ex ſuſpicione hæreſis non poſſet priuari Papatu, & in terminis Conſtitutionis Pauli IV. non ex ſuſpicione hæreſis, ſed ſi notoriè appareat, quod electus fuerit aliquando hæreticus eius electio non ſubſiſtit. Vbi igitur nullitas inducta à iure poſitiuo ſit dubia licet probabilis nulla exceptio valet contra electionem Papæ. Vndè ſi vel hæreſis, aut ſimonia, aut metus non eſt certus nullus eſt locus exceptioni.

43. Vbi tamen nullitas ſit ex defectu naturalis conſenſus duarum partium Cardinalium quia exceptio in hoc caſu non eſt prohibita *in cap. Licet*, vt Panorm. ibid. habet, vnde hic caſus remanet decidendus ex iure communi, & ita vbi verè remaneret dubium, an quis fuiſſet electus ex naturali conſenſu duarum partium Cardinalium non poſſet electus haberi, vt Papa certus poſſet exceptio hæc dari contra electionem Papæ, vt habet Panorm. *in cap. licet*. Sed ante iudicium Concilij Generalis non poſſet ſpoliari Papatu, nec alius Papa eligi.

44. Sed nunquid in hoc vel ſimilibus caſibus, in quibus de iure poteſt excipi contra electionem Papæ poteſt electus vi impediri ne accipiat poſſeſſionem adminiſtrationis Papatus. Reſpondetur eum poſſe impediri negatiuè ei non obediendo, & etiam vi ei reſiſtendo ſi vim faceret, quia ſuperior dubius qui non eſt in poſſeſſione non poteſt obligare ad ſui obedientiam, vt bene tradunt Io. à S. Thom. *par.* 2. *q.* 18. *diſp.* 12. *art.* 4. *Quod ſi lex*, & Ildephonſus Baptiſta *de conſcient. diſp.* 209. *dub.* 5. *num.* 1135. & ſi vim faciat vim vi repellere licet *cap. Significaſti el* 2. *de homic. cap. Si verò de ſent. excomm. cap. Dilecto eod. tit. in* 6. Sed non licet vi impedire, vt ne præcipiat, vel ne ei præcipienti obediatur ab illis, qui volunt illi obedire. Quia Papa ex vi electionis poſſidet ius præcipiendi. Et ideo niſi ſimus in caſu, in quo liceat vi eum expoliare Papatu non poteſt impediri ne Papatum adminiſtret, cum illis qui illum volunt recipere. Et ſic non poteſt impediri, quin etiam ex parte Eccleſiæ poſſeſſionem accipiat reſpectu eorum qui volunt in Papam recipere.

Quis ſit legitimus Iudex intruſi.

QVÆSTIO XXXIII.

1. LAurorius *variar. elucubr. tract.* 3. *cap.* 3. *n.* 32. arbitratur quod Cardinales poſſint etiã iudicare Papam intruſum, dum ipſi vacant electioni legitimæ, quia hoc concernit negotium ipſius electionis, & ab alio iudicari non poteſt, & citat pro hac ſententia Turrecrem. 3. *q.* 1. §. *patet n.* 1. & inſuper ait, quod ad hoc faciunt, quæ habet Sylu. *v. electio* 2. *n.* 2. Iacobus vero Cohellius *in lib.* cui titulus *Notitia Cardinalatus cap.* 16. *priuil.* 24. concludit quod licet Cardinales per ſe ipſos non valerent deponere intruſum in Papatu ex priuilegio tamen, & conceſſione Concil. Lateranenſi ſub Nicolao Secundo, & Conſtitut. Iulij II. *Cum tam diuino*, id poſſunt; ſed è contra Turrecremat. loco citato falſo relatus à Lauor. Cardinalibus tale iudicium denegat, ſed inquit, inſurgit quæſtio nunquid tunc Cardinales poſſent eſſe Iudices intruſi. Reſpondetur quod non, & ratio eſt ſecundum hoc, quod Cardinales licet obtineant vices Metrapolitani in confirmatione, & conſecratione Papæ, vt in *cap. In nomine Domini diſt.* 23. non tamen in iudicij poteſtate, niſi cum Papa deuiaret à fide. Sylu. etiam *ver. Electio* 3. *nu.* 2. cenſet, quod dubia emergentia in Eccleſia Sede vacante determinanda ſunt per Concilium. Communis etiam ſententia eſt, quod Papam hæreticum incorrigibilem inuentum non Cardinales, ſed Concilium iudicat, & poteſtate miniſteriali quam habet eum hæreticum declarando, fit vt Papa depoſitus ſit à Papatu. Caiet. *tom.* 1. *opuſc. tract.* 1. *cap.* 20. & 21. Suarez *de fide diſp.* 10. *ſect.* 6. Io. à S. Thom. 2. 2. *à q.* 1. *vſque ad* 7. *diſp.* 2. *ar.* 3. §. *reſtat ſecunda difficultas*, & communiter Theologi.

2. Quapropter admiſſo quidem, quod Collegium Cardinalium Sede vacante ſit ſupremus executor conſtitutionum Pontificum, & quod ſimul cum alijs fidelibus reſpectiuè habeat ius naturalis defenſionis contra intruſum, quod eſt id, quod vt ex infra adducendis apparet, eis conceditur per ſanctos Canones leges contra intruſum ferentes. Dicitur quod vbi negotium iudice indigeat Collegium Cardinalium non eſt iudex competens, vt iudicialiter cauſam intruſi cognoſcat eamque ſententialiter decernat, & intruſum condemnet. Et qui Eccleſiam vniuerſalem ſua iuriſdictione poſſit compellere, & obligare ad reijciendum intruſum, & illi obediendum. Gloſſ. *in cap. Si duo, ver. contra fas, diſt.* 79. Turrecrem. *vbi ſupr. & in d. cap. Si duo num.* 3. Ratio eſt, quia ſine iuriſdictione non eſt Iudex, & ſine iuriſdictione Papali, aut vniuerſali Eccleſiæ non poteſt quis iudicare de cauſa Papatus, quæ eſt toti Eccleſiæ communiſſima. Vacante verò Sede Collegium Cardinalium neque in hoc vniuerſalem Eccleſiam repræſentat, neque (niſi in quibuſdam caſibus expreſsis) poteſt vti iuriſdictione Papali in Eccleſiam, & Eccleſiæ fideles. Panorm. *cap. Currite num.* 13. *de re iudic.* Sic enim habetur primò in *cap. Vbi periculum*, §.

ſacro,

Digitized by Google

ſacro, & in Clem. *Ne Romani*, ibi. *Irritum nihilominus, & inane decernentes quidquid poteſtatis, aut iuriſdictionis ad Romanum dum viuit Pontificem pertinentis, niſi quatenus in Conſtitutione prædicta præmittitur, cætus ipſe duxerit, eadem vacante Eccleſia exercendum. Et in Conſtitutione Pij IV. In eligendis, 9. Sed is autem vacatione durante, Collegium Cardinalium in ijs, quæ ad Pontificem Maximum dũ viueret, pertinebant, nullam omninò poteſtatem, aut iuriſdictionem habeat; neque gratiam, neque iuſtitiam faciendi, aut factam per Pontificem mortuum executioni demandandi, ſed ea omnia futuro Pontifici reſeruare teneatur.*

3. Quamuis enim Cardinales ſint Papæ aſſiſtentes, & itaut dicantur conſtituere vnum corpus cum Papa, iuriſdictio tamen in Eccleſiam ſolius eſt Papæ, vt docet Panorm. *in capit. Quæſiuit* de his, quæ fiunt à maiori parte capit. *nu.* 3. & eo mortuo non per hoc tranſit ad Collegium Cardinalium. Vnus enim eſt Chriſti Vicarius, qui eſt Pontifex Romanus. Quia claues datæ ſunt Petro tantum, & ſucceſſoribus, vt habet Anacletus Papa *in cap. In nouo diſt.* 21. & ipſe eſt, qui tenet vices Chriſti, *cap. Ad Apoſtolicæ de re iudic. in* 6. Igitur poteſtas ſpiritualis, quæ in Pontifice eſt, vt in Chriſti Vicario non reſidet in Collegio Cardinalium, aliter dicendum eſſet contra Euangelium, & Canones omnes, quod Chriſtus duos inſtituerit Vicarios, & eorum vnus qui eſſet Collegium modò ſic, modo non ſit Chriſti Vicarius, ſed electo Pontifice decidat à Vicariatu, quem recuperet Pontifice mortuo, quæ abſurda ſunt, & non admittenda. Et quamuis dici ſoleat, quod mortuo Prælato tota iuriſdictio reſidet penès Collegium, *cap. his quo de maior. & obed. & cap. Cum olim eod. tit. in* 6. Et quod Sedes Apoſtolica nunquam moritur *can. liberti* 12. *q.* 2. *cap. Si gratioſè de reſcript. in* 6. tamen hoc eſt verum, quia ſemper Eccleſia habet caput proprium, quod eſt Chriſtus *cap.* 1. *&* 2. *diſt.* 22. Non quia Collegium Cardinalium poſſit vti iuriſdictione Papali Sede vacante niſi in terminis ſibi conceſſis in *d. cap. Vbi periculum*, aut aliqua alia Conſtitutione Pontificia. Gloſſ. *in cap.* 1. *De ſchiſmat. v. Sede vacante*, cum hoc ſit expreſsè illi interdictum per Sacros Canones. Per quos tamen Collegijs Cathedralium inferiorũ mortuo Epiſcopo conceſſa eſt iuriſdictio Epiſcopalis ſubordinata tamen Summo Pontifici, & ſecundum limitationes ab eo præſcriptas. Exercitium itaque iuriſdictionis Papalis non dari in vacantia Pontificatus ex Turrecrem. *lib.* 2. *de poteſt. Eccleſ. cap.* 79. & Auguſt. Triumph. *q.* 3. *ar.* 9. probat Barboſa *ad cap. Quodcunque n.* 24. *q.* 5. *nu.* 2. §. 4. & 10. & ex Io. Andr. Sylu. *v. electio* 3. *q.* 3. Sanchez *l.* 2. *in decal. cap.* 10. *nu.* 44. Lauor. *tract.* 3. *cap.* 3. *nu.* 2. & idem Barboſ. *ad Clem. ne Romani de elect.* Coccin. *in manuſcript. Gloſſem. ad Conſtitut. Greg. XV.* §. *matura pag.* 112. Quomodo etiam vacante Sede deſit, vel non deſit vſus Clauium videre eſt apud Bellarm. *contr.* 3. *lib.* 1. *c.* 10. *obiect.* 5. & apud Canum *de locis l.* 4. *cap. vlt. ad* 12. Cum ergo Collegium Papali iuriſdictione vti non poſſit vacante Papatu, illamque non habeat, non eſt vnde tanquam Eccleſiæ iudex velit intruſum in Papatum iudicare, & tanquam totius Eccleſiæ Iudex Eccleſiam ad intruſum prætenſum, vel admittendum, vel reijciendum obligare, & cauſam Papatus diffinitiuè concludere, & terminare. Sed hoc eſt proprium vniuerſalis Eccleſiæ, quam in hac parte non repræſentant Cardinales vbi agitur de coniunctione Papatus ad hãc vel illam perſonam, vt bene tradit Caiet. *tom.* 1. *opuſc. tract.* 1. *cap.* 21. Alban. *de poteſt. Papæ & Concil. in princ. à num.* 9. Sed Concilij Generalis eſt huiuſmodi cauſam decernere, vt communiter Theologi docent. Imò ſatis expreſsè eſt definitum in Concil. Conſtant. *ſeſſ.* 39. Poſſent tamen Cardinales Concilium vocare iuxta ſancita in eodem Concil. Conſtant. & conceſſa à Iulio II. in Conſtitutione. *Cum tam diuino in* 9. *& inſuper*.

4 Eſt etiam aduertendum quod licet contra Collegium Cardinalium ſi Papalem iuriſdictionem vſurpet Sede vacante per Gregor. X. in *cap. Vbi periculum*, & per Clem. *Ne Romani*, & per Conſtit. Pij IV. non ſit impoſita cenſura excommunicationis. Tamen in Clement. *ne Romani* decernitur nullum, & irritum quidquid in contrarium factum fuerit. Et hæc non eſt nullitas iuris poſitiui, ſed eſt nullitas iuris diuini & naturalis, ex qua nullum eſt quod attentatur à non habente poteſtatem agendi. Quia Cardinales nec à Chriſto habent Papalem iuriſdictionẽ, ſed eam habent ab Eccleſia, quæ etiam prohibet ne illam vſurpent. Vnde Collegium Papalem iuriſdictionem vſurpando nedum peccaret contra legem poſitiuam id prohibentem, ſed contra legem diuinam, quæ contulit eam Pontifici tantum. Et nihilominus dici etiam poteſt, & debet, quod Collegium ſi vſurpet Iuriſdictionem Papalem incidat in *Canonem* 17. Bullæ Cœnæ latum contra vſurpantes Iuriſdictiones, & bona Eccleſiaſtica.

5. Sed & euidenti ratione hoc probatur. Nã vel intruſus à nullo Cardinalium eſt electus, vel eſt electus ab aliquo Cardinalium ſiue iſti ſint minor pars, ſiue duæ tertiæ partes, ſiue totum Collegium. In primo caſu intruſio adeò eſt notoria, vt nullo indigeat iudice, ſed executore, vnde iuxtà leges, quas infrà refero talis eſt de facto eijciendus, & optimum Cardinalium conſilium eſſet in eo caſu, vt ſtatim aliquem legitimè eligerent, qui quidem tanquam certus, & indubitatus iudex poſſet in intruſum animaduertere, & illum iudicare, & punire. Imò ex hoc apparet quod non fuit conueniens, vt reſpectu huius intruſi delegaretur iudex aliquis. Nedum enim hic iudex non eſſet neceſſarius, ſed ſi negotium ſine neceſſitate reduceretur in iudiciũ impediret non parum; & retardaret veri Pontificis electionem conceſſa interim intruſo audientia. Ideò expreſsè in *cap. In nomine Domini diſt.* 23. præcipitur ne ſic intruſo concedatur audientia. Et præcipuè non fuit conueniens, quod hoc iudicium concederetur Cardinalibus, ne ſub hoc prætextu in longum traherent veri Pontificis electionem. Vnde *cap. ſi quis pecunia diſt.* 79. præcipitur, & quod intruſus ſtatim eijciatur, & nouus Pontifex eligatur. In caſu autem quod intruſus ſit electus ab aliquo, vel etiam ab omnibus

Digitized by Google

bus Cardinalibus, iam Cardinalium Collegium non poteſt eſſe iudex competens, quia eſt pars ſiue elegerit, ſiue non elegerit, cum lis ſit de valore electionis, & meritis eius. Et ſic qui elegerunt intruſum ſiue verum, ſiue prætenſum ſunt pars ſtans pro valore electionis, de qua non eſt confidendum, quod ſit iudicatura pro nullitate, ſicut neque de parte quæ non elegit, quod ſit iudicatura pro validitate. Non eſt ergo vnde dicatur, quod Collegium Cardinalium ſit iudex intruſi. Sed bene tamen quantum opus eſt proniſum fuit Eccleſiæ dando illijs iuſtæ defenſionis de facto iuxta dicta ſupra *quæſt.* 32. & infra dicenda.

6 Sed in contrarium poteſt abduci *cap. ſi quis pecunia* 79. *diſt.* continens decretum eiuſdem Nicolai II. Papæ in Concil. Romano, in quo concedit facultatem excommunicandi intruſum ibi *Liceatque Cardinalibus Epiſcopis, cum Religioſis, & Deum timentibus Clericis, & Laicis innaſorem etiam cum anathemate, & humano auxilio, ac ſtudio à Sede Apoſtolica repellere.* Excommunicare enim eſt de lege iuriſdictionis, *cap. dilectus de offic. ordinarij, & cap. quanto,* & ibi Gloſſ. *de conſuetud. & cap. tranſmiſſam*, & ibi Gloſſ. *de elect.* & requirit cauſæ cognitionem vt dicitur poſt Gloſſ. *in cap. de nouit. de offic. legat.* Iacobat. *de Concil. lib.* 3. *a* 1. Ideo Gloſſ. *in d. cap.* ſi quis pecunia hoc aduertens, & ex hoc opponens textui, quaſi textus laicis etiam concedat facultatem excommunicandi, reſpondet prædicta verba textus debere intelligi cum diſtributione ordinata, vt anathematizare intruſum competat Clericis, laicis verò eum vi eijcere.

7. Sed miſſo quod Card. Iacobat. *vbi ſupra pag. mihi* 145 voluit textum illum poſſe intelligi, vt loquatur de Concilio, quod conſtet ex Clericis, & laicis Deum timentibus. Puto enim textum illum loqui prout communiter intelligitur de Cardinalibus, & Clericis Romanæ Eccleſiæ, & Romano populo, qui omnes tunc ſuo modo concurrebant ad electionem Papæ. Aduerto tamen primò ex eadem Gloſſ. & Card. Iacobat. *l.* 3. *a.* 1. paulò ante *tit de except. hereſ. &* Panorm. *in cap. licet* 11. *de elect.* quod ibi non eſt ſermo de omni intruſo, licet enim videatur loqui de ſimoniacè electo, tamen vt benè aduertit Gloſſ. *in v. Apoſtolicus* loquitur de eo qui ſimonia, vel gratia humana violenter ſine concordi Cardinalium eligentium electione eſt intruſus, vt patet ex illis verbis. *Si quis pecunia, vel gratia humana, vel populari, ſeu militari tumultu ſine concordi, & canonica electione, ac benedictione Cardinalium, Epiſcoporum, ac deinde ſequentium Ordinum Religioſorum Clericorum, fuerit Apoſtolicæ Sedi inthronizatus.* Et ſic textus ille loquitur de ſolo violenter intruſo, qui à concordi duarum partium Cardinalium conſenſu non fuit electus. Sed hoc ſuppoſito dicitur quod longè melius textum illum intellexit Card. Iacobat. *d. l.* 3. *à* 1. *pag. mihi* 146. dicens textum non dicere quod Cardinales ſint Iudices illius intruſi, vel quod habeant iudiciariam cognitionem ſuper iure intruſi, ſed Cardinalibus & Clericis, & Laicis dat facultatem eum eijciendi omni conatu, ex quo eſt ſine concordi electione violenter intruſus, & ideò nedum Cardinales, (textus enim verè, & expreſsè de omnibus loquitur) ſed Clerici, & Laici Deum timentes poſſunt intruſum hunc anathematizare ideſt habere illum pro anathematizato. Quod teſte Iacobat. idem videtur voluiſſe Card. *in Clem.* 2. *§. irritum de elect.* & ità anathematizare ſumitur exercitè, & executiuè, vt eſt idem, quod habere pro anathematizato. Obijci poteſt ſecundò quoniam textus ibi dat facultatem nedum deijciendi à Papatu intruſum, ſed etiam nouum Papam eligendi, quam certe facultatem dat Pius IV. contra ſimoniacè electum, concedens nedum ijs, qui non elegerunt eum hanc facultatem, ſed ijs etiam qui ſimoniacè elegerunt, vt ſi requiſiti pœniteant, poſſint cum alijs nouum Pontificem eligere. At verò hæc electio non poteſt intelligi, vt fiat de facto, ſed vt fiat medio iudicis legitimi cognitione. Tum primò quia ſi electio fieret de facto, eiectus tanquam ſpoliatus prius à Concilio Iudice in hac cauſa eſſet reſtituendus, quam accuſaretur ab aduerſarijs, per textũ ſingularem in *cap. nos ſi incompetenter*, *in §. Item Symmachus* 2. *q.* 7. et facit, quod dicitur *in cap.* 1. *§. ſolet de reſtitut. ſpol. in* 6. ſic enim Symmachus Papa fuit à Concilio reſtitutus. Tũ ſecundo quia vna electione facta non poteſt haberi ſecunda, niſi priori iuridicè caſſata, vnde non poſſent Cardinales ad ſecundam electionem procedere, niſi prius cognitio iudicialiter an intruſus ſit legitimè electus,

8. Ad primam obiectionem reſpondet Grat. *cap. Deus ergo, §. patet* 3 *q.* 1. hoc eſſe peculiare in Papa intruſo per violentiam ſine electione, vt de facto poſſit deijci ab iniuſta poſſeſſione, ne debeat reſtitui. Addit verò Gratiano rationem, quia Papa non habet Superiorem, & ideò permittitur, vt ſi quis per violentiam ſit intruſus via facti eijciatur, & non ſit reſtituendus. Hæc autem ratio multam habet difficultatem, tum quia Concilium in his caſibus licet non ſit ſupra Papam legitimum, eſt tamen ſupra Papã violenter intruſum, & eſt ſupra Eccleſiam, vt poſſit eam compellere ad recipiendum Papam legitime electum, vel ad non dandam obedientiam intruſo. Tum quia ſi hæc ratio valeret multò magis probaret, quod non intruſus, & de facto deiectus non eſſet reſtituendus in poſſeſſionem, quia ille verè nullum habet ſuperiorem. Ideò multi multa habent circa hanc Gratiani concluſionem, & rationem. Sed quidquid ſit de doctrina vniuerſali, an notorius poſſidens ſine titulo colorato poſſit ſpoliari, & non debeatur ei reſtitutio, de qua quæſtione videndi ſunt Doctores ſcribentes ſuper *capit. In litteris, cap. ex parte, de reſtitut. ſpoliat.* dicitur, quod in noſtro caſu non habetur difficultas, quia lex concedit, vt notorius intruſus in Papatum via facti eijci poſſit abſque eo quod audiri debeat. Sic enim vbi quis ſit ſine electione concordi per violentiam intruſus, conceſſit Nicolaus II. *cap. ſi quis pecunia diſt.* 79. Et de eo, quem eſt notorium eſſe, vel fuiſſe hæreticum, vel ſchiſmaticum Paulus IV. in ſupracitata Conſtitutione *Cum ex Apoſtolatus*, & de eo, quem euidenter conſtat eſſe ſimoniacè electum Iulius II. in Conſtitutione, *Cum tam diuino*. Ratio

tio

tio etiam quam reddit Gratiann s eſt bona ſanè intellecta, vt dicatur ideo hoc conceſſum non, quia ſimpliciter non adſit ſuperior Papa intruſo vel quia non adſit iudex in Eccleſia, qui poſſit iudicare cauſã intruſionis, ſedquia hic iudex qui eſt Conciliũ generale nõ poteſt cõmodè haberi, & quod commodè haberi non poteſt, dicitur haberi nõ poſſe Panor. *in c. licet de elect.* Quia enim cum magna difficultate congregatur Concilium, & non niſi poſt multum tempus, & interim Eccleſia non ſine maximo ſui damno non poteſt ſuſtinere intruſum notorium, ideò Pontifices iuſtè ordinarunt, vt Papa notoriè intruſus via facti deijci poſſit, & quod Cardinales poſſint ad nouam electionem procedere. Nec obſtat *cap. Conſiderauimus de elect.* quia electio Papæ communibus legibus de elect non ſubditur, & hoc in iure eſt permiſſum, vt excluſo notoriè intruſo nouus Pontifex eligatur.

9 Ideò magis principalis aſſertio probatur quia Collegio Cardinalium hoc iudicium intruſi cum non conueniat, quia ſit illi expreſsè conceſſiũ, quia hæc expreſſa conceſſio non apparet, nec dici poteſt, quod illi conueniat conſecutiuè vel ex quo habet iuriſdictionem reſpectu eorum, quæ concernunt electionem, vel ex ſtatutis in *Cap. vbi periculum de elect. in 6.* Quia ram quantum ad electionem, quàm quantum ad contenta *in* d. *cap.* non tàm conceditur Collegio Cardinalium iuriſdictio, quàm executio, & iuxtà defenſio. Conceditur enim illis, vt ſub certa forma eligant in hoc mentem Canonum exequendo, ſeu quod bona Eccleſiæ defendant, ſeu quod imminentibus periculis occurrant. Quæ executionem important, & non important iuriſdictionem niſi ex conſequenti, & quatenus opus ſit ad illa exequenda, quæ illis commiſſa ſunt. Inter quæ non poteſt computari iudicium intruſi, quia & hoc extra electionem eſt. Nam Cardinales eligendo actiuè functi ſunt officio ſuo. Et vt probatum eſt ſi elegerunt, vel aliqui elegerunt, & alij non; nullus eorum eſt competens iudex talis cauſæ. Iudicium verò de intruſo non eſt competens remedium ad damna Eccleſiæ reparanda, ſed facto opus eſt, & non iudicio, ſi intruſio ſit notoria. Non poteſt verò eſſe non notoria niſi quia intruſus apparenter ſit ab aliquibus Cardinalibus ideſt à duabus partibus electus. In quo caſu ad fugienda mala ex intruſione prouenientia ineptiſſimum, & contrarium remedium eſſet quod Cardinales eſſent iudices intruſi, vt eſt explicatum.

10. Bonum quoq; adiungere mihi videtur id quod ex Card. Bellamer. refert idem *Card.* Iacobat. *ibid. verſ.* Vnde Aegidius *pag. mihi* 145. quod. ſcilicet contra huiuſmodi notoriè intruſum, & non electum per concordem duarum partium Cardinalium electionem iuridicè poſſet procedere ille ſuperior, qui ante electionem erat ſuperior electi, ſi ipſe electus alium, quàm Papam Superiorẽ habeat ratione ordinis, vel domicilij, vel delicti, & ſi ex priuilegio alium Superiorem non habeat etiam ratione delicti, ceſſat priuilegium in caſu iſto notoriè intruſi, & illum ordinarium in cuius Diœceſi delictum huius occupationis, ſeu vſurpationis exercebit, vel moram trahet, aut reperietur pro Superiore habebit. Sed ſi in Diœceſi, ſeu ſpeciali diſtrictu Vrbis Romæ, & non alibi hoc delictum committit, & originem, domicilium, & moram trahit, nullum quo ad iudicialia cenſetur ſuperiorem habere, ſed hoc non obſtante. in caſu iſto quilibet Catholicus Chriſtianus poteſt tali occupatori, ſeu Vſurpatori bellum indicere, ipſum ab occupatione, & vſurpatione huiuſmodi de facto, & manu militari expellendo.

An verò ad expellendum via facti intruſum ſemper neceſſarium ſit nullitatem eſſe notoriam dictum eſt quæſtione antecedenti.

Quæ ſunt pœnæ latæ contra intruſum in Pontificatum.

QVAESTIO XXXIV.

1. INtruſus eſt qui vel non electus, vel nulliter electus ſedem Apoſtolicam occupat, & Papatum adminiſtrat. Hic verò primò videndum eſt, qualiter in conſcientia peccet qui nulliter electus conſentit electioni, & Papatum gerit. Bordon. *in deciſ. Miſcell. deciſ.* 153. diſtinguit. Nam ſi defectus eſt ex parte electi, & manifeſtus, tenetur, inquit Pontifex nulliter electus in conſcientia renunciare, quia dignitatem vſurpatam non poteſt retinere cum tanto aliorum ſcandalo, & proprio mortali peccato. Sed ſi nullitas non eſt manifeſta, quia defectus electi eſt occultus, in eo caſu putat eum perſeuerare poſſe in officio, & præcipuè ſi defectus inducens nullitatem prouenit ab alij ſine culpa. Tum quia nemo cum maximo ſui dedecore tenetur renunciare dignitati quam inualidè retinet. Tum quia valdè probabilis eſt ſententia Innoc. & aliorum qui dicunt electionem eſſe validam in conſcientia, ſi in ea ſit ſeruata forma naturalis, quem etiam tenent Panorm. *cap. quia plerique de immunit.* Iaſon. *in l. nemo poteſt in l.* 8. *num.* 2. *de legat.* 1. Felin. *in cap.* 1. *de Conſtitut. num.* 39. Megall. 22. *l.* 2. *cap.* 7. *num.* 56. Rodriq. *tom.* 1. *quæſt.* 27. *art.* 10. Sà *verb. electio num.* 5. Nauarr. *conſ.* 9. *de elect.* Valer. *de diff. vtriuſq for. interni* 8. *num.* 1. & alij plures, Tum quia ab huiuſmodi ceſſiones excitantur diſſentiones & ſcãdala per Orbem. Tum quia ſicut Eccleſia ſupplet defectum Iuriſdictionis quando adeſt communis error, ità hoc facit Deus ſupplendo nullitatem electionis.

2. In hac quæſtione mihi diſtinguendum videtur, nam nullitas electionis, vel eſt pœna, vel eſt medium ab Eccleſia aſſumptum ad vitanda ſchiſmata, & ad pacem & augumentum Eccleſiæ ordinatum. Nullitas electionis Papæ pœna eſt, quam in odium hæreſis, & ſchiſmatis tulit Paulus IV. Conſtitut. ſua 19. & in odium ſimoniæ, Iulius II. in Conſtitut. *Cum tam diuino.* Ob nullum enim aliud crimen electi, electio Papæ eſt ipſo facto nulla, ſed de huiuſmodi nullitate dico, quod cum ſit pœna non magis obligat, quam aliæ leges pœnales, quæ non obligant in conſcientia ante declaratoriam prout probaui in *tract. de elect. cap.* 25. *quæſt.* 51. *art.*

Digitized by Google

num. 624. quampluribus DD. pro ea ſententia citatis. In præſenti tamen caſu ſicut, & in alijs ſimilibus tria tempora, & caſus magis particulares diſtingui debent, ſcilicet tempus tolerantiæ, tempus litis ante declaratoriam, & tempus declaratoriæ. Nam ſi criminoſus eſt toleratus, quantumcunque ſit notorius non tenetur in conſcientia dimittere Papatum, quia eſt verè *P*apa, & iure Papatum poſſidet ſicut hæreticus notorius non tenetur propria bona, quibus in pœnam priuatus eſt ſponte āte declaratoriam fiſco conſignare. Sed poſt declaratoriam ſine dubio tenetur Papatui cedere, & pœnam ſubire. Tempore vero litis, ſi eſt certus, & ſibi conſcius de delicto non licet ſibi contra iuſtè opponentes ſe in iudicio iuſto vi, fraude vel malis artibus defendere, quia ex eius parte lis, & bellum eſt iniuſtum. Et ſi crimen ſit notorium, aut reſpectiue certum, & indubitatum, vnde locum habeat ius dd. Conſtitutionum, quæ dant veniam Eccleſiæ diſcedendi ab obedientia Pontificis ſic intruſi, imò, & reſpectiuè eum deijciendi, & vi expellendi á Papatu, ſine dubio ille tenetur in illis caſibus obedire dd. Conſtitutionibus, & nec Eccleſiam à ſui obedientia recedentem ad ſibi obediendum compellere, nec vi, vel malis artibus ſe contrà Eccleſiam defendere, etiam ſi prius fuerit pacifice à *C*ardinalibus, vel á Clero Romano receptus quia tunc Eccleſia in terminis dictarum Conſtitutionum iuſtè recedit ab eius obedientia. Et ipſe legi danti Eccleſiæ auctoritatem recedendi ab ipſo teneatur obedire. Cum enim hoc priuilegium habeat Eccleſia in caſibus dd. Conſtitutionum, vt explicatum fuit *q. 32.* ...... vt non expectata declaratoria criminis, vbi crimen ſit notorium, vel certum & indubitatum poſſit de facto vel recedere ab obedientia electi, vel reſpectiue eum eijcere, & habere pro excommunicato, hoc etiam electus dictis criminibus maculatus pati debet in conſcientia, nec poteſt Eccleſiæ iniuſtum bellum inferre, & contra eam iniuſte ſe defendere. Si tamen delictum eſſet occultum, quia tunc Eccleſia non poteſt eum de facto ante iudicium deijcere, poſſet electus ſe medijs iuſtis contrà violentiam ſe defendere. Et ſi delictum in iudicio non probaretur, poſſet ſe defendere iuſtè, ne in vi talis proceſſus iniuſtè damnaretur, ſicut & ſe via iuſta defendere poſſet cōtrà omnem violentiam iniuſtè ſibi illatam & omnem iniuſtitiam, quæ in modo formandi proceſſum, vel aliter qualitercunque ſibi eſſet illata.

3. Sed ſi nullitas non ſit pœna, ſed Eccleſiæ fauor, maior eſſe poteſt difficultas. Et nihilominus conſideratur, quod nullitas, quæ eſt ex defectu eligentium quia ſcilicet non habent legitimam poteſtatem eligendi eſt de iure diuino, vnde obligat intruſum in conſcientia ad cedendum Papatui. Ideo vbi quis non ſit electus á concordi nominatione legitimorum electorum, vt definitur *cap. ſi quis pecuniæ diſt.* 79. eſt verè intruſus, & Eccleſia ab eo poteſt recedere, & alium eligere, & ipſe in conſcientia tenetur cedere Papatui, quia electio eius iure diuino nulla eſt. Conſiderandum verò eſt, quod in hoc caſu nullitas electionis non poteſt eſſe occulta. Nam qui elegerunt, vel non habuerunt titulum Cardinalatus ſaltem coloratum, vel habuerunt. Si non habuerunt electio eſt pluſquam notoriè nulla in omni foro. Et electus ſi Papatum vſurpet eſt notoriè intruſus, & ſine alio iudicio via facti expellendus. Sed ſi electores habebant tempore electionis titulum Cardinalatus, & electoris vel eis fuit ante electionem oppoſitus defectus aliquis, ob quem non haberent verè facultatem eligendi, & tunc nullitas ſi quæ ſequitur ex talium electione non eſt occulta, ſed publicè in iudicium deducta. Sed ſi ante electionem nihil contra tales electores fuit oppoſitum, electio non eſt nulla etiam ſi poſt electionem compertum ſit eos non fuiſſe legitimos vocales, quia geſta nomine officij publici ab habente titulum officij coloratum ſuppoſito communi errore, & tolerantia ſuſtinentur, & valida ſunt *l. Barbarius ff. de offic. prat. &* *Infantis 3. a. 7. &* patet per tradita à Sanchez *lib. 3. de matrim. diſp. 22.* per totam. Solum poſſet eſſe difficultas ſi ex electoribus aliquis fuiſſet Cardinalis intruſus, & non à Pontifice factus, quia ad hoc, vt geſta per habentem titulum coloratum ſint valida neceſſe eſt, vt talis à legitimo ſuperiore habuerit titulum licet tunc ſufficiat etiamſi in rei veritate nulliter ex aliquo defectu. Sed quidquid ſit de hac queſtione hic caſus eſt moraliter impoſſibilis, quia non eſt poſſibile, vt Collegium Cardinalium admittat inter Cardinales eum de quo per acta authentica non conſtet quòd fuerit à Pontifice aſſumptus, Cardinales enim non creantur in occulto, ſed publicè in Conſiſtorio nominantur, Nec ab alio quam à Papa creatur.

4. Sed hoc in propoſito conſiderandum eſt, An ſcilicet certum ſit electionem ex defectu eligentium fuiſſe nullam, vel ſit dubium. Nam ſi id eſt certum etiamſi nullitas ſit occultiſſima tenetur electus non recipere Papatum, & receptum relinquere, quia cum hæc nullitas ſit de iure diuino, ſic nulliter electus non eſt Papa, & ſibi vſurpat Papatum, & eſt verè intruſus ſubditus pœnis contra intruſum latis, ſi ſedem aſcendat. Sed & ſi nullitas ſit dubia idem dicendum eſt, quia non licet vſurpare quod dubium eſt an ſit ſuum, vt magis infrà explico. Verum difficillimum eſt quod ex defectu eligentium electio *P*apæ ſit nulla, Tum quia ad eam non admittuntur niſi *C*ardinales qui ſunt certi, & manifeſti, & alias ſuppoſito Cardinalatu per cenſuras nullas impediuntur quin validè eligāt. Tum quia vbi electus habeat duas partes legitimorum vocalium non intereſt, an ex alijs aliqui fuerint inhabiles. Et addo quod cum de iure naturæ non ſit, quod ad valorem electionis ſit neceſſarius conſenſus duarum partium, ſed ſufficiat conſenſus maioris partis, non eſſet nulla ex iure naturæ electio quæ eſſet ex maiori parte Cardinalium, licet non à duabus partibus ſic enim cum fuerint electi Zinzinus *P*ræsbiter Cardinalis, & Eugenius Secundus Archipresbyter tit. S. Sabinæ, ſed iſte à maiori parte, ille à minori, Eugenij electio præualuit, & Zinzinus poſt aliquot dies coactus abdicauit. Ciaconus in vita Eugenij Secundi. Addo quod cum in hac parte

te

ut Collegium Cardinalium poſſit cognoſcere, & decernere de legitimitate vocalium, & alias Cardinales ſi ſint Diaconi ſaltem, & non priuati actuali vſu rationis ſint legitimi vocales, moraliter non eſt poſſibilis caſus, in quo ante electionem detur de nullitate alicuius ſuffragij, & quod Collegium Cardinalium nō decernat quid tunc ſit agendum, ſed vocalem dubium ad electionem admittat. Vnde impoſſibilis moraliter eſt caſus, vt electus à duabus partibus Cardinalium ſit de iure naturæ dubius de valore ſuæ electionis ex defectu eligentium.

5. Sed ſi nullitas eſt ex defectu formæ eligendi, hæc in electione *Papæ*, vel non eſt, vel vt plurimum eſt valdè notoria, vt ſi electio non ſit facta in Conclaui, vel non Conclaui clauſo, vel non per ſchedulas ſecretas, vel per compromiſſum diſſentiente aliquo, vel ex defectu alicuius ex enumeratis *in* §. *Quod ſi electio* Conſtit. *Aeterni Patris Gregor. XV*. Et quia vno ex his defectibus exiſtente tenentur Cardinales ad aliam electionem procedere, vix eſt inter huiuſmodi caſus, in quo non ſit manifeſtum quod ſic nulliter electo nec licet in conſcientia electioni conſentire, ſeu Papatum aſſumere. Sed diſtinguendum eſt in hac parte. Nam vel nullitas ipſo facto eſt de iure naturæ, vel de iure poſitiuo. Si nullitas eſt de iure naturæ, ſeu diuino, non poteſt electus conſentire electioni nec adminiſtrare Papatum, quia non eſt Papa, & alienum rapit ſacrilegus, ſi Pontificiam poteſtatem vſurpat, & ſic peccat contra iuſtitiam, & Religionem, & omnibus pœnis latis contrà intruſum eſt ſubiectus.

6. Extenditur hoc vt ſit verū nedū ſi electus ſit certus de nullitate, ſed etiam ſi ſit dubius. Quia non bonæ, ſed malæ fidei poſſeſſor eſt, qui dubius an res etiam ſi à nullo alio poſſeſſa ſit ſua, eam ſibi vſurpat. Sotus *lib.* 4. *de iuſt. q.* 5. *a. vlt.* propè finem, & alij plures, quos referunt, & ſequuntur Sanchez *lib.* 2. *ſum. cap.* 23. *à n.* 122. *&* Card. de Lugo *de iuſt. diſp.* 7. *ſect.* 3. *&* Boſſius *de conſcient. dubia p.* 2. *tit.* 1. *n.* 1837. Quod eo magis eſt verum, vbi res eſt indiuiſibilis, & aut eam totam, aut nihil de eá poſſideri licet ſicuti eſt Pontificatus. Iniuſtus igitur, & temere, ſacrilegus eſſet qui dubius an electio ſua ſit de iure naturæ, & diuino valida electioni illi abſolutè conſentiret, & in adminiſtrationem. Pontificatus ſe intruderet. Quamuis ſi abſtinendo ab adminiſtratione Pontificatus electioni ſic dubia ſub conditione conſentiret, & iure ſuo licet dubio vti vellet, & illud defendere per viam iuſtitiæ, illique non cedere, non eſſet iniuſtus, aut ſacrilegus, poſſet tamen eſſe, vt peccare contrà religionem, charitatem, vel etiam contra legem poſitiuam pro quanto nullitas contra legem poſitiuam eſſet certa, illaque iuxta dicenda obligaret in conſcientia.

7. Extenditur ſecundo vt aſſertio vera ſit etiam in dubio poſitiuo, quia ſcilicet electionem eſſe nullam de iure naturæ, & diuino ſit probabile, licet etiam probabile ſit, quod ſit valida. Ratio eſt quia cum nullitatem, quæ eſt de iure naturæ, & diuino Eccleſia ſupplere non poſſit, & ignorantia quantumcuque inuincibilis, aut quæcunque bona fides illa ſanare non valeat, non licet in huiuſmodi ſaltèm ſine maxima neceſſitate amplecti opinionem probabilem relicta tuta, & ſecura, vt in materia ſacramentorum tradunt DD. vt videre eſt apud Sotū 4. *d.* 9. *q.* 1. *a.* 2. *ad tertiam* Victor. *q.* 59. *de Eucar.* Barthol. de Ledeſma *de Sacrament. in gener. dub.* 5. Ildephonſus *de conſe. contr.* 208. *dub.* 12. Suarez. *tom.* 3. *in* 3. *p. diſp.* 18. *ſect.* 2. *& diſp.* 45. *ſect.* 1. *& diſp.* 60. *ſect.* 1. Boſſ. *tom.* 2. *de conſcientia probabili à nu.* 317. Leander de S. Sacramento *de Sacram. diſp.* 1. *q.* 12. Et in propoſito noſtro non ſine magna iniuria Religionis, & Eccleſiæ electus dubius de valore naturali electionis, licet probabiliter iudicaret electionem eſſe validam ſedem Apoſtolicam aſcenderet exponens ſe, & Eccleſiam periculo habendi non verum Pontificem, & vt per eum gubernaretur, qui nullam gubernandi haberet poteſtatem. Nec ſuffragatur ſi dicatur nullum hic adeſſe periculum, quia Deus suppliret nullitatem electionis, & Pontifici aſſiſteret, vt inualidè non operaretur. Nam non poteſt negari quod non ſit inſignis temeritas velle ponere Eccleſiam in eo periculo, & ſtatu, vt regatur per Papam non verum, & neceſſitetur diuina prouidentia aſſiſtere falso Pontifici in Eccleſiæ beneficium.

8. Extenditur tertio vt aſſertio vera ſit etiā ſi nullitas huiuſmodi certa, vel dubia ſit occulta, & occultiſſima. Quia nullitas hæc ſubſtantiam electionis attingit, & ex vitalis electionis, vel nullam habet facultatem electus, vel dubiam, nec debet eam, quam non poteſt conſequi attentare, vel ponere ſe, & Eccleſiam in periculo viuendi ſine capite, & Paſtore. Nec valet dicere, quod cum maximo præiudicio ſui honoris non tenetur Prælatus vel recuſare Prælaturam, vel illi renunciare. Nam quid quid ſit de huiuſmodi aſſerti veritate reſpectu electionis inferiorum Prælatorum non poteſt tale aſſertū admitti in electione Papæ, quia ſi Papa falſus ſit Eccleſia ſimpliciter eſt ſine Paſtore, nec habet Prælatum ſuperiorem, qui illam cum legitima facultate regat, & nullitatem inferioris Prælaturæ ſupplere valeat. Et ideò Eccleſiam regi per Papam falſum eſt præiudicium vniuerſale adeò magnum, & ingens, quod præponderat omni priuato damno, quod recipere poſſit electus. Et eo magis quod non deficiunt infiniti prætextus, ſub quibus electus ſine ſui magno præiudicio poteſt non conſentire electioni, vel poſt conſenſum Pontificatui renunciare.

9. Verum quidem eſt, quod requiſita de iure naturali, & diuino ad valorem electionis ſunt, & in numero pauca, & in qualitate vel communia, vel notoria, vt difficilimum ſit electionem Papæ eſſe ipſo facto ex iure naturæ nullam. Nam ad valorem eius ex parte electi ſufficit, quod ſit vir vſu rationis prædictus, & baptizatus. Et ex parte formæ eligendi quod electio ſit à concordi conſenſu Cardinalium metus vero ex iure naturali non irritat electionem, quia factum per metum eſt ſimpliciter liberum, vt docet D. Th. *p.* 2. *q.* 6. *a.* 6. & communiter DD. & coacta voluntas eſt voluntas, vt habetur

cap.

Digitized by Google

cap. merito 15. *q.* 1. *& cap. diſplicet* 23. *q.* 4. *& cap. vides ead. cauſa q.* 6. *& cap. maiores de baptiſmo* §. *item quæritur*. Et nec ad valorem naturalem electionis, & aliorum geſtorum per Collegium eſt neceſſariȧ concordia duarum partium, ſed ad ſummum requiritur concordia maioris partis. Et ex parte eligentium ſufficit, quod ſint Cardinales Diaconi, & vſu libertatis præditi. Et quia difficilimum eſt, quod vel iſtæ qualitates non adſint, vel non notoriè abſint, ſi adſint ideò difficilimum eſt, quod electio facta ex concordia duarum partium Cardinalium ſit nulla de iure naturæ, vel dubia, vel nullitas non ſit manifeſta, vel notoria.

10. Sed ſi nullitas ſit ſolum ex lege poſitiua illam irritante iuxta ſententiam ſuprà queſt... receptam, dicendum primò eſt, quod vbi nullus ſit contradictor legitimus non peccat nulliter ſic electus, alias idoneus, vbi alias ſibi conſtet de valore naturali electionis, ſi electioni conſentiat, & Pontificatus adminiſtrationem recipiat, & retineat. Quod docent DD. ibidē citati. Et ratio eſt, quia cum talis electio ſit ſecundum ſubſtantiam valida, & lex poſitiua irritans non obliget ad ſui executionem in conſcientia niſi cauſa nullitatis ſit in iudicio manifeſta, & declarata, contra nullam legem facit electus ſi nullo contradicente, & nullitate occulta manente vtitur iure ſuo, & Pontificatum recipit, & retinet.

11. Sed ſi electione patiente aliquem defectum nullitatis adſit legitimus contradictor, qui nullitatem in iudicium deducat, diſtinguendum eſt. Nam vel nullitas eſt electo certa, & indubitata, vel eſt dubia. Si nullitas illi ſit certa vel debeat haberi pro certa infraſcripta dicenda ſunt Primum quod non licet electo præceptis, & cenſuris, & pœnis obligare legitime contradicentes ad ſui obedientiam, quia qui legitimè excipiunt, & contradicunt electioni habent ius non recipiendi electum tanquam verum Pontificem, ideo iniuſtus, & ſacrilegus eſt electus, ſi eos ad ſe recipiendum compellit. Item non poteſt per vim, & fraudem, aut per aliam ſimilem iniuſtam, & malam artem impedire contradictores ne cauſam nullitatis modo iuſto coram competente iudice proſequantur. Qui enim legitimè contra electionem excipiunt poſſunt agere in iudicio ad hoc vt actio nulla declaretur, & decernatur. Item in caſibus, in quibus licet ex vi ſacrorum canonum, vel ab obedientia recepti recedere, vel reſpectiuè in caſu notorij electum nolentem de ſede deſcēdere vi deijcere tenetur electus in conſcientia obedire, & iniuſtus, & ſacrilegus eſt, ſi per vim, vel fraudem, vel aliam ſimilem iniuſtam artem ſe defendat contra eos, qui vel ab eius obedientia recedunt, vel reſpectiuè eum eijciunt. Sed in hoc caſu tanquam ſi nullitas eſſet iudicialiter declarata, tenetur in conſcientia relinquere Papatum, & Eccleſiæ contra eum via facti procedenti, & eijcienti obedire, aliter contra eam iniuſtum bellum gerit. Et in hoc caſu notorij ſufficit, quod Eccleſia ipſa illi nullitatem denunciet. Nam ex hoc in conſcientia tenetur Papatum dimittere, & Eccleſiæ obedire, & relinquere, quod Cardinales alium *P*ontificem eligant, & eum electum, vt verum *P*ontificem adorare.

12. Secundum eſt, quod nihilominus extra caſum in quo poteſt via facti ab Eccleſia deijci, & deijciatur a Papatu nullo expectato ſolemni iudicio, non eſt iniuſtus electus ſi electioni conſentiat, & liberè ſibi volētes obedire ſub ſui obedientia recipiat. Quia vſquequo nullitas eius eſt occulta & nō legitimè declarata lex irritans electionē non obligat eū in cōſcientia ad dimittēdū Papatū, quamuis non poſſit via iniuſta contra legitimè cōtradicentes ſe defendere, & quia hoc manifeſtum priuilegium habet Eccleſia, vt in caſu notorij more iudicis Supremi agat de facto ad excluſionem intruſi, ad hoc vt electus teneatur dimittere ſtatim Papatum ſufficiet notorietas facti, & denunciatio Eccleſiæ nolentis cum tanquam notoriè nulliter electum *P*ontificem eſſe.

13. Tertium, quod in hoc caſu indubitatę nullitatis etiam extra caſum notorij, & in caſu vbi nullitas indigeat cognoſci per Concilium, benè contingere poteſt, quod ex Religionis, & charitatis præcepto, ſtatim electus teneatur cedere liti, & nec conſentire electioni, vel ſi conſentit Papatui recepto renunciare. Quod manifeſtiſſimum eſt in caſu in quo nullitas ſit adeo manifeſta, vt indubitanter in iudicio ſit probanda, in hoc enim caſu, & contra virtutem Religionis, & contra virtutem charitatis tam erga Eccleſiam quam erga ſe ipſum, & ſuos ageret, ſi non cedendo liti vellet compellere Eccleſiam ad congregandum Concilium, & ad viuendum interim ſine certo, & indubitato Pontifice cūm maximo detrimento, & ſcandalo, ſine alia ſpe, niſi ſuæ damnationis, & ſuorum. Electus ergo nulliter ob aliquem defectum à lege poſitiua prohibitum non tam debet inſpicere iuſtitiam, quam habet ex eo quod ſua electio ſit ſecundum ſubſtantiam de iure naturæ non inualida, quam Religionis, & charitatis debitum, & omnibus benè penſatis attendere debet, vt faciat, id quod bonum commune exigit etiam ſi in aliquale præiudicium ſui intereſſe. Vnde etiamſi adeſſet ſibi aliqua probabilis ſpes, quod nullitas manſura eſſet occulta, nihilominus conſiderare deberet an ipſius conſcientiæ qui Pontificatum non niſi ad vtilitatem Eccleſiæ ſuſcipere deberet intereſſet ob aliquam ſui alicuius iuris incertam ſpem permittere Eccleſiæ incommoda in congregando Concilio Generali, & eiuſdem Eccleſiæ damna, & ſciſſuram non ſanandam, niſi per Concilium. Vnde licet in rigore iuris ſic electus videatur ſatisfacere legi poſitiuæ irritanti electionem, ſi contra illam iniuſtè non ſe defendat, ſed paratus ſit illi obedire, ſi nullitas manifeſta fiat, & declaretur tamen videndum remanet an ſatisfaciat Religioni, & charitati.

14. Sed ſi nullitas electionis ſit dubia, & maximè ſi validitas ſit probabilis, non peccat electus ſi ſub conditione quantum ſit ex valore ſui iuris conſentiat, & libere ſibi obedientes recipit, & legitime contradicentes non iniuſtè vexat, aut impedit, ſed cauſam ſuam via iuris proſequitur.

Digitized by Google

quitur. Sic enim, & vbi quis præſumatur electus per metum, ſiuè vbi plures ſint electi Concil. Conſtant. *ſeſſ.* 39. permittit electum, vel electos manere in ſua obedientia, donec lis terminetur per Concilium Generalem, cuius tempore eorum iuriſdictionem ſuſpendit.

15. Sed quid dicendum ſi electus per malas artes ſe defenderit, & impedierit ne nullitas in iudicio apparere poſſet, vel declararetur. Tenetur ne tunc renunciare Papatui. Certum eſt, quod vbi per vim, vel fraudem, vel aliam ſimilem iniuſtitiam violaſſet aliquorum iuſtitiam teneretur illis ſatisfacere pro iniuria. Sed an teneretur eeuere Papatui pendet reſolutio ab ea quæſtione. An ſe defendens iniuſtis medijs ne damnetur teneatur in conſcientia ſubire pœnam in qua damnatus fuiſſet. Quod alij affirmant, alij negant prout videre eſt apud Sanchez *li.* 10. *de matrim. diſp.* 8. *num.* 14. *& lib.* 2. *ſum. cap.* 22. *num.* 22.

16. Verum ſi defectus electionis ſit ex parte electi multipliciter contingere poteſt, quod etiamſi electio non ſit nulla ipſo iure, tamen ipſe peccet conſentiendo electioni. Et quidem duplici ratione peccare poteſt. Primo per accidẽs inducendo, vel quocunque modo cooperando electioni malæ de ſe habendæ, vel habitæ, quia tunc cooperaretur peccato eligentium. Ideò vbi electores peccarent eligendo, vel contra ius diuinum, vel contra ius poſitiuum, etiam ſi electio ſubſiſteret peccaret tamen electus, vel electores indncendo, vel cooperando eorum facto malo, ſeu malæ electioni. Secundò per ſe conſentiendo electioni, ſi eſſet vel non baptizatus, vel hæreticus pertinax, vel ex ignorantia, aut prauis habitibus, & malis conditionibus indignus, & inhabilis vel phyſicè, vel moraliter ad ſanctè regendam Eccleſiam. Et poſſet eſſe talis inhabilitas, vt teneretur etiam Papatui renunciare. Vbi tamen Papa electus ſit habilis ſi velit ad regendam Eccleſiam præciſa cooperatione, ſeu inductione eligentium ad malam electionem, ex eo præcisè quod electio eius ſit contra ius poſitiuum non peccat conſentiendo, niſi iuxta doctrinam ſupra traditam in caſu nullitatis electionis. Nam alias quantumcumque peccauerint electores eligendo, facta iam electione, ſi alias ipſe electus non ſit indignus, vtitur iure ſuo, dum electioni conſentit. Et quia vbi ex iure naturali, & diuino non ſit indignus, quæcunque alia inhabilitas inducta à lege poſitiua eſt pœna, vt patet de inhabilitatibus inductis à Pio IV. & Paulo IV. contra ſimoniacos, & hæreticos, & huiuſmodi pœnæ non obligant in conſcientia ante declaratoriam, ſequitur quod huiuſmodi ob cauſas non ſit in conſcientia illicitum electo conſentire electioni niſi in caſibus ſuperius explicatis,

17. Ne itaque nulliter electus in præiudicium Eccleſiæ ſe intrudat graues pœnæ impoſitæ ſunt, ſed quia ex multis cauſis poteſt eſſe, quod electio ſit nulla, & nulliter electus ea nullitate non obſtante intrudatur, optimum eſſe recenſere ſpeciales leges, quæ contra hunc, vel alium modum intruſionis latæ fuerunt. Itaque Nicolaus II. Papa in Concilio Romano contra eum, qui abſque canonica electione Cardinalium per pecuniam, vel gratiam humanam, vel popularẽ, aut militarem tumultum intruditur ſequentes pœnas tulit. Prima vt habeatur tanquam Apoſtaticus. Secundo, quod excommonicatione, & etiam auxilio brachij ſecularis ſit repellendus, & alius eligendus canonicè, ſic enim habetur *cap. Si quis pecunia, vel gratia humana, vel populari, ſeù militari tumultu, ſine concordi, & canonica electione, ac benedictione Cardinalium Epiſcoporum, ac deindè ſequentium ordinum religioſorum Clericorum fuerit Apoſtolicæ Sedi inthronizatus, non Apoſtolicus, ſed Apoſtaticus habeatur, liceatque Cardinalibus Epiſcopis cum Religioſis, & Deum timentibus Clericis, & Laicis inuaſorem etiam cum anathemate, & humano auxilio, & ſtudio à Sede Apoſtolica repellere, & quem dignum iudicauerint præponere. Quod ſi hoc intra Vrbem perficere nequiuerint noſtra auctoritate Apoſtolica congregati in loco, qui eis placuerit eligant, quem digniorem, & vtiliorem Apoſtolicæ ſedi perſpexerint, conceſſa ei auctoritate regendi, & diſponendi res, & vtilitatem S.R.E. ſecundum quod ei melius videbitur iuxta qualitatem temporis, quaſi iam omninò inthronizatus ſit.* Et hoc conſiderauit Lauor. *cap* 6. *nu.* 43.

18. Contra intruſum verò ex non ſeruata forma *cap. In nomine Domini,* quæ erat, vt prius Cardinales Epiſcopi eligerent, deindè Clerici Cardinales adhiberentur ad eligendum, & poſtea reliqui Cleri, & populi conſenſus accederet. Contra, inquam, intruſum, qui non ſeruata præfata forma, quaſi per ſeditionem, vel præſumptionem, aut quolibet ingenio electus, aut etiam ordinatus, ſeu inthronizatus fuiſſet primo lata fuit excommunicatio nulli reſeruata. Secũdo quod haberetur tanquam Antichriſtus inuaſor, & deſtructor totius Chriſtianitatis. Tertio, quod nulla ei ſuper hoc concederetur audientia. Quarto quod ab omni gradu Eccleſiaſtico deponeretur, & contra ei adhærentes, vel eum defendentes ſtatutum eſt, vt pari ſententia damnarentur. Et contra illam decretalem temerantes, vel attentantes confundere Eccleſiam Romanam contra dictum ſtatutum primo decreta eſt excommunicatio, & aliæ maledictiones ſubiunctæ, prout habetur in *cap. In nomine Domini, diſt.* 23. §. *Quod ſi quis contra hoc decretum noſtrum Synodali ſententia promulgatum quaſi per ſeditionem, vel præſumptionem, aut quolibet ingenio electus, aut etiam ordidatus, ſeu inthronizatus fuerit, auctoritate diuina, & SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli perpetuò anathemate cum ſuis auctoribus, & fautoribus, & ſequacibus à liminibus S. Eccleſiæ ſeparatus obijciatur ſicut Antichriſtus, & inuaſor, & deſtructor totius Chriſtianitatis, nec aliqua ſuper hoc ei audientia reſeruetur, ſed ab omni Eccleſiaſtico gradu in quocunq. fuerat prius ſine retractione deponatur, cui quiſquis adhæserit, vel qualemcunque tanquam Pontifici reuerentiam exhibuerit, aut in aliquo eum defendere præſumpſerit pari ſententia ſit mancipatus. Quod ſi quis huius noſtræ ſanctæ Decretalis ſententiæ temerator extiterit, & Romanam Eccleſiam ſua præſumptione confundere, & perturbare contra hoc ſtatutum tentauerit perpetuo anathemate, & excommunicatione damnetur, & cum impijs, qui non reſurgent in iudicio reputetur, Omnipotentis iram contra ſe ſentiat,*

& SS.

Digitized by Google

& SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, quorum Eccleſiã præſumit confundere in hac vita, & in futura terrorem ſentiat; fiat habitatio illius deſerta, & in tabernaculis ſuis non ſit qui inhabitet; fiant filij eius orphani, & vxor eius vidua. commotus commoueatur ipſe, vel filij eius mendicent, & eyciantur de habitationibus ſuis, ſcrutetur etiam fœnerator omnem ſubſtantiã eius, & diripiant alieni labores eius. Orbis terrarum pugnet contra eum, & cuncta elementa ſint ei contraria, & omnium Sanctorum quieſcentium merita illum confundant.

19. Contra verò non ſeruantes decretum Alexandri III. in Concil. Lateranen. nimirum contra intruſum, ex eo quod non electus à duabus partibus Cardinalium ſe intruſerit in Sedem Apoſtolicam lata fuit excommunicatio nulli reſeruata, & priuatio totius eccleſiaſtici ordinis. Et eadem pœna lata eſt contra talem intruſum recipientes, vt patet ex *cap. Licet de election.* ibi. *Si quis autem de tertiæ partis nominatione confiſus, quod de ratione eſſe non poteſt ſibi nomen Epiſcopi vſurpauerit, tam ipſe, quam ij, qui eum recipient excommunicationi ſubiaceant, & totius ſacri Ordinis priuatione mulctentur, ita ut viatici etiam eis (niſi tantum in vltimis) communio denegetur, & ſi non reſipuerint cum Dathan, & Abyron, quos terra viuos abſorbuit accipiant portionem. Præterea ſi à paucioribus quam à duabus partibus aliquis electus fuerit ad Apoſtolatus officium, niſi maior concordia interceſſerit nullatenus aſſumatur, & prædictæ pœnæ ſubiaceat, ſi humiliter noluerit abſtinere.*

20. Contra autem intruſum quia fuerit per ſimoniam electus in Conſtitutione Iulij Secundi *Cum tam diuino*, ſtatuta eſt primò nullitas electionis. Secundo, quod contra talem electionẽ poſſit opponi, & excipi ſicut de vera, & indubitata hæreſi. Tertio, quod à nullo, vt Pontifex habeatur. Quarto, quod ſit ipſo facto priuatus Cardinalatu, honore, dignitatibus, beneficijs, & penſionibus. Quinto, quod vt Apoſtaticus, & Hæreſiarcha habeatur. Sexto, quod ad prædicta omnia inhabilis habeatur. Septimò, quod eius electio non poſſit conualidari vllo vnquam tempore. Octauo, quod liceat omnibus ab eius obedientia diſcedere, prout latius in dicta Conſtitutione continetur. Supra autem latius tractatum fuit de pœnis Cardinalium eligentium, & de mediatoribus ſimoniacæ electionis. Nono etiam in §. *Inhibentes* lata eſt excommunicatio latæ ſententiæ in omnes, & ſingulos Cardinales, qui præfatæ conſtitutioni contrauenire, vel contra eam attentare præſumpſerint, &c. Vnde cõtra intruſum non eſt lata excommunicatio niſi pro quanto ſi ipſe ſit Cardinalis poſſet dici, quod incurrat hanc excommunicationem tanquam is, qui Sede vacante contraueniat ſtatutis in illa Conſtitutione.

21. Tandem contra intruſum ex non ſeruata forma ſtatuta à Gregor. XV. ſtatuta eſt primò excommunicatio latæ ſententiæ *Papæ* reſeruata, quam incurrunt tam ipſe, quam eius fautores, & complices. Secundo, vt ipſe habeatur tanquam Apoſtaticus. Tertio, vt cum fautoribus, & complicibus ſit ipſo facto ſubiectus anathemati, alijſque pœnis, & cenſuris inuaſoribus Sedis Apoſtolicæ impoſitis. Quarto, vt à legitimo Pontifice alijs pœnis grauiſſimis puniatur. Vt habetur in Conſtitut. *Aeterni Patris*, §. *Quod ſi electio*, ibi: *Quinimò non Apoſtolus, ſed Apoſtaticus ſit, & habeatur, & tam ipſe, quam eligentes, eiuſque fautores, & complices ſententiam excommunicationis, & anathema, aliaſque cenſuras, & pœnas inuaſoribus Sedis Apoſtolicæ a ſacris Canonibus, & Conſtitutionibus Apoſtolicis impoſitas pariter ipſo facto incurrant, à qua ſicut ab alia quacunque in hac Conſtitutione impoſita, & irrogata, ſeu infra imponenda, & irroganda pœna excommunicationis tam ipſi, quam quilibet alius, ſiuè S. R. E. Cardinalis, quam alia perſona cuiuſcunque gradus, conditionis, dignitatis, & præeminentiæ à nullo, neque etiam à maiori Pœnitentiario cuiuſcunque facultatis vigore, præterquam à Romano Pontifice, niſi in mortis articulo, abſolui poſſit, & tam ipſe eiuſque complices, & fautores, quã alij quicunque, etiam S.R.E. Cardinales, huius Conſtitutionis in aliquo tranſgreſſores, alijs grauiſſimis pœnis teneantur, futuri Pontificis canonicè intrantis arbitrio irrogandis.*

22. Inter alias verò pœnas latas contra inuaſores Sedis Apoſtolicæ adeſt excommunicatio 17. lata in Bulla *Cœnæ* contra vſurpantes iuriſdictionem, fructus, redditus, & prouentus, ſpectantes ad Summum Pontificem, & excommunicatio 20. contra inuadentes terras Eccleſiæ Romanæ, & in illis Supremam Iuriſdictionem vſurpantes.

F I N I S.

Digitized by Google

I N D E X
RERVM NOTABILIVM.

Primus numerus denotat folium, ſiuè paginam, alter vero numerum marginalem.

A.

Acceſſus.

QVid ſit acceſſus 136. 77. eſt omninò neceſſarius ib. Præter ea, quæ ſeruanda ſunt in ſcrutinio, aliqua vlterius ſeruanda ſunt in acceſſu ibid. Ex nullitate acceſſus non inualidatur ſcrutinium 137. 81. Non licet accedere niſi ad nominatum in ſcrutinio, & ad quemcunque nominatum in ſcrutinio licet accedere ibid. 84. Semel tantum licet accedere in quolibet ſcrutinio ibid. Nec licet plures nominare ibid. Quæ conuenientia ſigillorum, & ſignorum requiratur ad valorem voti acceſſus, 138. 88. & ſeq. Quid dicendum ſi votum ſcrutinij, & acceſſus nullum ſignum habeat, 139.92.

Ambitus.

Ambitio in malum ſumitur, 80.37. Ambire Paparum ſemper eſt malum, ibid. Per conſtitutionem Pauli IV. non prohibetur ambitus Papatus vniuerſaliter, ſed quia procurator ſede nondum vacante, ibid. Prohibetur tamen per alias Conſtitutiones ibid.

Accuſantes, & Reuelantes.

Reuelantes illos, qui tractant, ac tentant de electione Pontificis nondum Sede vacante præmiari debent, 81. 43. Si ſit principalis, aut complex habet impunitatem, ibid.

B.

BOnifacius II. nominauit ſibi ſucceſſorem Vigilium 10.25. Retractauit tamen decretum iſtud, & combuſſit, ibid.

C.

Cardinales.

CArdinales Temporibus D. Petri erant, quoad officium, 17. 45. Cardinales ſunt oculi, & lucernæ Eccleſiæ, 26.29.

Cardinales peccarent grauiſſimè ſi in electione Papę forte eligerent compromiſſarios, 4. 5. Eligendo non dant Pontifici poteſtatem, ſed deſignant perſonam cui immediatè à Chriſto poteſtas traditur, 15. 39. Ex eo, quod Papam eligant, non ſunt quid maius Papa, 17. 47. Vbi ſolis Cardinalibus deuoluta eſt electio Pontificis, ceſſarunt ſchiſmata, 26. 29. Non competit ipſis de iure diuino eſſe electores Pontificis, 30.12. Modò dignitati Cardinalitiæ annexum eſt munus eligendi Papam, 32. 20. Officium Cardinalium incæpit in Eccleſia à Petro Apoſtolo, imò à Chriſto, 34. 2. Sunt Conſiliarij Pontificis in negotijs, & cauſis arduis Eccleſiæ, ibid. Sunt Apoſtoli noui Teſtamenti, ibid.

Cardinales ſuccedunt Apoſtolis in aſſiſtentia, & adminiſtratione totius vniuerſalis Eccleſiæ ibidem.

Illi ſoli ſunt legitimè Cardinales, qui ad hanc dignitatem ſunt aſſumpti à Summo Pontifice 36.6. Quilibet Cardinalis poteſt introducere duos ſeruos in Conclaue. Infirmos autem etiam tres. 51. 2.

Cardinales, qui ſunt in Conclaui non poſſunt loqui cum his, qui ſunt extra, 58. 20. Nec ſcribere, aut mittere nuncios, ibid. Loquentes peccant mortaliter, 59. 24.

Cardinales non intrantes Conclaue tempore debito, vel inde egredientes abſque legitima cauſa priuantur voce actiua, 67. 2.

Si omnes Cardinales ſimul, vel ſucceſſiuè exeant è Conclaui, debent compelli ad redeundum, & tunc procedere debent ad electionem, 68.3.

Tenentur Cardinales præſentes expectare abſentes per decem dies, ſed non tenentur eos citare, vel vocare, 84. 4. An ſint monendi vt iter arripiant? affirmant aliqui; ſed hoc non eſt de neceſſitate, ibid.

Quibus pœnis, ſubijciantur ſimoniacè eligentes Papam, 97.41. & ſeqq.

Cardinalis non Diaconus non admittitur ad electionem, niſi habeat priuilegium, 109.5.

Cardinales aduenientes poſt clauſum Conclaue admittuntur ad electionem in eo ſtatu, & terminis, vt electio reperitur, 121.26.

Cæremoniarum Magiſter.

Magiſtri Cæremoniarum in Conclaui ſunt etiam Notarij, 47. 85. Spectat ad ipſos præparare

Digitized by Google

ſchedulas pro ſcrutinio,& ponere eas in menſa coram altari, 122. 4.

Clemens.

D.Clemens non fuit immediatus ſucceſſor D. Petri, 11. 27. Nec S. Petrus illum in ſuum ſucceſſorem elegit, 12.30. & ſeqq. Hiſtoria Epiſtolæ de ordinatione Clementis in Papam apocrypha eſt,14.37. D.Petrus elegit Clemẽtem in ſuum Coadiutorem cum poteſtate ſibi ſubordinata, 15.39.

Clerus.

Clero Romano per ſe loquendo non competit de iure diuino poſſe eligere Papam,28.7.

Ad Clerum Romanum ſpectaret electio Pontificis caſu quo omnes Cardinales deficerent, 31. 16.

Clauſura.

Violatur clauſura Conclauis per miſſionẽ ſcripturarum,& ſignorum,& per locutionem cum exteris de rebus ſpectantibus ad electionem Papæ, 54. 1.& ſeqq.

Non ſunt prohibitæ collocutiones, & ſcripta, quæ ordinantur ad bonam electionem futuri Pontificis, 56.8.

Occultatus in Conclaui, ignominioſè debet expelli, beneficijs priuari, & infamia notari 64. 1.

Intrans furtiuè Conclaue, & aliundè quam per oſtium acerrimis eſt pœnis puniendus, 64. 2. Peccat etiam mortaliter, n. 4.

Coactio.

Coactio ad exercitium electionis relicta illis libertate eligendi, quem placuerit non vitiat electionem,88.6. Poſſunt indirectè cogi Cardinales diſcordantes, ad hoc vt concordent ibid. Quid de coactione iniuſta ad certum genus perſonarum, an vitiet electionem? ibid. 7. & ſeq.

Coactio ad electionem alternatiuam aliquorum determinatè irritat electionem, ibid.

Coadiutor.

In quo caſu poſſit eligi Coadiutor Papę, 106. 15 Quæ forma ſeruanda in eius electione, ibid. An electio Coadiutoris eſſet electio Papæ, ibid. 17.& ſeq.

Collegium Cardinalium.

Collegium Cardinalium non poteſt creare Cardinales, 36.7. Ad Collegium ſpectat vt faciat exequi omnia ad electionem Papæ ordinata, & per Papam diſpoſita, 49. 6. Ad idem Collegium ſpectat decernere an conueniens ſit differre ingreſſum Conclauis poſt decem dies; vel exire è Conclaui, vel ad illud redire, 70. 18. Vnico tantum remanente Cardinali in Conclaui, ipſe poteſt validè eligere, vel compromittere alteri electionem nomine totius Collegij, 69. 25. Imminente grauis damni periculo Sacrum Collegium habet iuriſdictionem Pontificiam, & poteſt mutare locum electioni, 71.24.

Collegium Cardinalium habet poteſtatem in ſingulos Cardinales, 154.2. Non tamen poteſt compellere electum, vt conſentiat electioni de ſe factæ in Pontificem, 157.16. Poteſt tamen electo præfigere tempus competens in quo ad ſui libitum vel conſentiat, vel diſſentiat, 158.17.

Collegium Cardinalium non eſt Iudex competens vt cauſam intruſi in Papatum decernat, 168. 2. Quomodo poſſit Collegium excommunicare intruſum per violentiam, 170. 6. & ſequ.

Concilium.

Ad Concilium ſpectat dirimere litem, & ſchiſma inter plures electos in Papam 4. 3. Concilio Generali determinatè nõ competit poſſe eligere Papam de iure diuino 28. 7.

Non fuit conueniens quod electio Papæ, vel huius electionis directio committeretur Concilio 29. 11.

Nullus vnquam Pontifex fuit electus à Concilio poſt D. Petrum, etiamſi Concilio congregato vacauerit ſedes 29.11. Concilium non poteſt mutare leges factas à Papa pro electione Pontificis, etiam ſede vacante 30. 11. Caſu quo nullus eſſet, qui ex iure Pontificio eſſet certus elector Pontificis, directio electionis ſpectaret ad Concilium 32. 18. Concilium legitimè congregatum ad tollendum ſchiſma, vel magnam Eccleſiaſticæ pacis perturbationem, poſſet ad tempus, non verò in perpetuum auferre à Cardinalibus poteſtatem eligendi Papam 33. 22.

Concilium non poteſt creare Cardinales 36, 6. an Concilium ſit verus Iudex intruſi in Papatum 169. & ſeq.

Conclaue.

Poſſunt aliqui Cardinales compelli vt intrent conclaue 41. 29. non poſſunt intra conclaue Cardinales comedere vnus in Camera alterius ibid. Tenentur veſpere & mane conuenire ad ſcrutinium ſub pæna excommunicationis ibid.

Conclaue eſt habitatio clauſa, & cuſtodita vbi includuntur Cardinales ad electionem Pontificis 45. 1. Quæ ſpectent ad ſtructuram conclauis 45.

Conclaue exterius eſt cuſtodiendum à Prælatis, Rectoribus officialibus, oratoribus, & Illuſtribus viris, qui à Collegio Cardinalium fuerint electi. 48. 2.

Poteſt quilibet Cardinalis introducere duos ſeruos in Conclaue, & infirmus tres. 51. 2.

Poſt decem dies à morte Pontificis tenentur Cardinales intrare Conclaue 70. 16. & fol. 83.1. nec poſſunt eligere ante decem dies niſi omnes Cardinales ſint præſentes 84. 6. Poſſunt tamen præueniri decem dies ſi adſit iuſta cauſa. ibid. & eadem ratione poteſt ingreſſus differri vltra decem dies. ibid. 10.

An conclaui non clauſo vitietur electio, etiam per inſpirationem 110.4. & ſeq.

Conclauiſta.

Famuli ingredientes conclaue debent eſſe familiares,

liares, domeſtici & continui commenſales Cardinalis cui inſeruiunt 52. 6.
Debent inſeruiiſſe per annum Cardinali ante ingreſſum Conclauis 52. 6. Regulares religioſi poſſunt eſſe Concl auiſtæ 51. 4.
Conclauiſtæ debent eſſe viri induſtres, ſagaces, ſolertes, prudentes, manſueti &c. domino ſuo fideles &c. 54. 13.
Non poſſunt admitti in conclauiſtas, mercatores, miniſtri Principum, domini temporales neque fratres aut nepotes Cardinalium 51. 3.
Conclauiſtæ loquentes cum externis de pertinentibus ad electionem Pontificis peccant mortaliter 61. 34.
Conclauiſtæ non poſſunt exire a conclaui niſi ratione infirmitatis, & tunc amplius non poſſunt intrare 67. 1.

Condicta.

Condicta, conuentiones, intendimenta &c. prohibentur in electione Papæ 98. 1. & ſeq. Quę ſit differentia inter condicta, & intendimenta ibid.

Complices.

Complices in tractatu & tentatione de eligendo ſummo Pontifice nondum ſede vacante ſubduntur eiſdem pænis quibus ipſimet tractantes & tentantes 81.41. & ſeq. pariter fauentes conſulentes, perſuadentes &c. ibid. non recedentes ab obedientia intruſi vt complices habentur 165. 31.

Compromiſſio.

Compromiſſio electionis Papæ poteſt fieri in vno tantum 118. 12. ſi duo compromiſſarij non conſentiant compromiſſum expirat ibid. 13. non eſt de ſubſtātia electionis quod compromiſſarij ſint Cardinales. ibid. 15. non poſſunt tamen eſſe laici. ibid. nec clerici excommunicati non tolerati. ibid.
In electione Papæ nō habet locum electio mixta ex ſcrutinio, & compromiſſo 120. 22. non poteſt à Cardinalibus determinari perſona eligenda per compromiſſarios. ibid. 25.
Tenentur compromiſſarij bis in die procedere ad electionem 121. 26. ad reuocandum compromiſſum ſufficit maior pars Cardinalium ibid. an compromiſſarij debeant præſtare iuramentum ibid. niſi arctentur in compromiſſo poſſunt eligere non Cardinalem ibid. Vbi compromiſſarij eligerent indignum an electio eſſet nulla. ibid.

Conſenſus.

Eſt neceſſarius conſenſus electi in quacumq; electione, etiam Papæ 154. 1. an vero Collegium Cardinalium poſſit præcipere electo vt quam primum accepter vel reſpuat ibid. 2. & ſeq. diſtinguitur conſenſus à diſſenſu & reſiſtentia. 155. 5. non poteſt Pontifex viuens per modum legis vniuerſaliter mandare vt electus conſentiat ibid. 6. Quid de Superiori regulari reſpectu ſui ſubditi 156. 8. & ſequ. Poteſt electo præfigi tempus in quo ad ſui libitum conſentiat vel diſſentiat. 158. 17.
Statim ac electus conſentit eſt Pontifex potens adminiſtrare Pontificatum ibid. 2.

Conuenticula.

In conuenticulis priuatis decernere vel deliberare aliquid de electione futuri Pontificis eſt prohibitum 73. 5. ſub quibus pænis. ibid.

Conuentiones.

Quæ conuentiones prohibeantur in electione Papæ 98. 1 & ſeqq.

Cuſtodes.

Cuſtodes conclauis tenentur præſtare iuramentum 49. 8. Item tenentur defendere conclaue ne vis aliqua fiat clauſuræ 49. 10.
Debent diligenter inſpicere ac perſcrutari cibos, res perſonas intrantes & exeuntes conclaue 49. 9.
Subduntur grauiſſimis pænis ſi muneri ſuo deficiant 51. 16. fol. 66. 8. Cuſtodes conclauis ſunt Prælati Rectores officiales oratores & Illuſtres viri qui à Collegio Cardinalium ſunt electi. 48. 2. actiones ad quas tenentur iſti Cuſtodes ſæculares ſunt adhibere diligentiam vt ſtatuta à Pontificibus circa cuſtodiam conclauis ſeruentur. Item abſtinere ab omni fraude, & dolo in prædictis. 66. 5.

E.

Eccleſia.

Eccleſia fuit ſub ſeruitute tempore Theodorici, & Theodati 22. 18. Iuſtinianus Imperator tributum indixit Eccleſiæ pro conſecratione ſummi Pontificis 22. 18.
Eccleſia vniuerſalis non habet determinatè à Chriſto ius eligendi per ſe Pontificem. 28. 8.

Electio.

Electio per ſortem eſt prohibita 3. 1. non tamen ſi eligantur prius aliqui optimi, ex quibus per ſortes deinde vnus eligatur ibid. non eſt dabilis caſus, in quo plures ſint legitimè electi in Papam, 4. 3. non poſſunt eligi compromiſſarij per ſortem in electione Papæ, nec etiam quinque, vel ſex ex quibus deinde vnus ad libitum eligatur per ſcrutinium, 4. 5. Ius eligendi Pontificem eſt in Eccleſia ex diuina inſtitutione, 7. 14. tempus electionis Papæ non eſt niſi dum Papa mortuo Eccleſia eſt viduata, 8. 15. & ſeq.
Electio Pontificis adhuc Pontifice viuente eſſet perniciosa, & multorum ſcandalorum, & perturbationum occaſio, 9. 20. & bono Eccleſiæ regimini contraria ibid.
Electio Papæ non poteſt ſpectare ad vllos laicos 18. 3. Idem mos eligendi Pontificem non fuit ſemper in Eccleſia, 21. 14. non fuit conueniens, quod electio Papæ committeretur Concilio Generali, 29. 11.
In electione Pontificis non habet vocem, qui caret vſu libertatis expedito, qui non eſt diaconus, qui non eſt præſens in Conclaui, & qui aliquem eligit ſimoniace, 40. 22. & ſeq. ſi intra decem dies Cardinales non eligant datur ipſis cibus parcior, 41. 29.
Electio Papæ debet fieri in illa Ciuitate aut diæceſi vbi Papa moritur, ſi ibi ſuam reſidentiam

Z 2 ſoli-

Digitized by Google

ſolitus ſit habere, 42. 1. niſi aliter Papa ante obitum ſtatuerit ibid. 3. abſolutè tamen habenda eſt electio vbi manet audientia cauſarũ, & litterarum apoſtolicarum, 43. 12.

Electio Papæ facta cum conſtat non eſſe clauſum Conclaue eſt nulla, 48. 16.

Spectat ad ſolos Cardinales exiſtentes in Conclaui, 51. 15. abſens non poteſt eligere per Procuratorem, 68. 5. vno ſolo Cardinali remanente in Conclaui ille ſolus poteſt eligere Papam, 69. 12. non poteſt Cardinalis eligere ſe ipſum, idid. 13.

Caſu quo eſſet vnus ſolus in Conclaui poteſt cõpromittere electionem in aliquem, à quo ipſe eligatur. ibid. 15.

Electio habita Papa viuente, credito tamen mortuo nulla eſt 72. 12. De iure diuino, & ſub pœna excommunicationis non poteſt eligi Pontifex niſi ſede vacante Pontificatu, ibidem. Nec poteſt eligi ante decem dies à ſede vacante, niſi omnes Cardinales ſint præſentes, 84. 6. Poſſunt tamen præueniri decem dies ſi ad ſit iuſta cauſa, ibid. an verò tempus decem dierum vacantiæ ſedis ſit de ſubſtantia electionis? indiget hoc autoritatiua determinatione, ibid. 11. & ſeq. ſi tamen duæ partes exiſtentium in Conclaui eligerent, & iſtæ eſſent numerus ſufficiens adhuc computatis abſentibus, electio eſſet valida, ibid. Nec poſſent in tali caſu abſentes reclamare de contemptu, ibidem.

Electio Papæ poteſt fieri de nocte 86. 18.

Ad electionem admittendi ſunt Cardinales aduenientes poſt clauſum conclaue, in eo tamen ſtatu, & terminis in quibus electio reperitur 121. 26.

Electio poteſt eſſe nulla, vel ex parte electi. vel ex parte eligentium, vel ex parte electionis. 159. 4. Vide exceptiones.

Electionis locus.

Locus electionis Papæ eſt illa Ciuitas aut Diœceſis vbi Papa moritur 42. 1. ſi tamẽ ibi ſuam reſidentiam ſolitus ſit habere. ibid. niſi aliter Papa ante ſuum obitum ſtatuerit 42. n. 3. abſolutè tamen locus electionis eſt vbi manet audientia cauſarum, & litterarum apoſtolicarum. 43. 12

Electio Papa non poteſt fieri in Ciuitate interdicta, vel ſi ſit rebellis ſedi apoſtolicæ, vel ſi in illa timeatur de impræſſione. 44. 13.

Ob Eccleſiæ bonum & pacem, & ad quietam electionem poteſt Cardinalium Collegium mutare locum electionis. 71. 24.

Electionis Forma.

Quænam eſſet forma antiquitùs eligendi Papam 102. 1. aliqua circa illam ſunt innouata, aliqua vero non ibid.

Triplex forma electionis, per inſpirationem per cõpromiſſum, & per ſcrutinium 110. 1. Non omnia quæ continentur in conſtit. Gregorij æterni Patris ſunt de ſubſtantia electionis Pontificis 104. 2. aliqua ſunt de ſubſtantia, aliqua vero non, licet omnia ſint ſub præcepto ibid. 6.

Electio Papæ facta à duabus partibus Cardinalium non ſeruata ſolemnitate formæ Canonicæ eſt ſuſtinenda de iure naturali in foro conſcientiæ 107. 22. non peccat electus retinens Papatum ibid. Talis tamen electio per forum externum eſt reuocabilis ibid. 23. Et ſeqq. iuſtum impedimentum excuſat ſi omittatur aliquid de forma ibid. 28.

Multa ſunt præmittenda electioni Pontificis 108. 1. & ſeq.

Electio per inſpirationem.

Pontifices electi per inſpirationem 109. 1.

Quid, & quotuplex ſit electio per inſpirationem 110. 1. & ſeq.

Quatuor ſunt neceſſaria de ſubſtantia ad hanc electionem. 1. quod fiat conclaui clauſo 2. quod nullus tractatus illam præcedat 3. quod ſit concors omnino 4. quod fiat per verbum eligo. ibid. an verò omnibus iſtis conditionibus deficientibus, vel ſaltem aliqua illarum electio per inſpirationem ſit nulla. ibid. n. 4. & ſequentibus.

Electio per compromiſſum.

Pontifices electi per compromiſſum 116. 1. Quę conditiones requirantur ad ſubſtantiam electionis per compromiſſum ibid. 1.

Quid ſit electio per compromiſſum ibid. 2. nulla forma pręſcripta eſt Cardinalibus ad electionẽ compromiſſariorum vnde ſufficit vti forma alias de iure valida ibid. requiritur neceſſario publicũ inſtrumẽtum de compromiſſo 117. 5. & ſeq. an vero omnes conditiones requiſitæ ad electionem per compromiſſum ſint de ſubſtantia electionis 118. 12. & ſequentibus. Non poteſt compromiſſarius ſe ipſum eligere 119. 17.

Electio per ſcrutinium.

Electio per ſcrutinium in tres actiones principales diuiditur, 122. nu. 2. ante ſcrutinium quæ requirantur, & quoad ſubſtantiam, & quoad ſolemnitatem ibid.

Electio per ſcrutinium debet eſſe non ſolum ſecreta, ſed per ſchedulas ſecretas, 123. 9. nec poteſt fieri per fabas, aut lupinos. ibidem. Quid requiratur vt electio ſit ſecreta, 123. 11 & ſeq. Quid in caſu quo aliquis ſuam ſchedulam alteri legendam tradiderit, 126. 24. Quid etiamſi aliqui ſuum votum publicè dederunt. ibid.

Debet Cardinalis ſcribere in ſchedula propria manu nomen eligentis, & electi, 127. 31. An omnia quæ præſcribuntur vt requiſita ante ſcrutinium ſint de ſubſtantia electionis, 127. 31. & ſeq.

Cardinalis qui poteſt alterare ſunt characterem tenetur id facere ſub pena excommunicationis, 128. 35. an ſi non ſcribatur alteratè ita quod cognoſcatur manus ſcribentis electio vitietur, ibid. 36.

Si plures inueniuntur ſchedulæ quam ſint Cardinales iterandum eſt ſcrutinium, 133. 65. Quid agendum caſu quo ſchedulæ ſint in minori numero, ibid. & ſeqq.

Elector.

Soli Cardinales ſunt Electores ſummi Pontificis. 34. 1.

Car-

Cardinalis amens tempore fatuitatis validè nõ eligit, 40. 22. qui non eſt promotus ad ordinem Diaconatus non eſt elector Papæ, 40. 23.

Qui non eſt præſens & intra Conclaue non eſt Elector, ibid. 24.

Simoniacus non habet vocem, & eſt Cardinalatu priuatus, ibid. 25.

Eligendi qualitates.

Quas qualitates debeat habere eligendus in Papam, 147. Fæmina incapax eſt ibid. 2 requiritur vſus rationis ib. ætas requiſita quænam ſit, ibid. 5. requiritur baptiſmus, & de iure diuino, ibid. 7. requiritur fides; quid vero ſit dicendũ de hæretico volẽte perſeuerare in hæreſi, ibid. 8. & ſequ. Quæ ſcientia requiratur, 149. 12. requiritur morum ſanctitas, & honeſtas, ibid. Non debet neceſſario eſſe Cardinalis, ſed tantum ex decentia, & honeſtate, 150. 14. & ſeq.

Electus.

Electus in Papam poteſt ſtatim renunciare 156. 8. nõ poteſt ab aliquo cõpelli, vt Pontificatum acceptet ibid. 10. & ſeq. electo poteſt præfigi tempus in quo præbeat aſſenſum, vel diſſenſum electioni, 158. 17. Vide exceptiones.

Electio ſimoniaca.

Quænam ſit electio habita per ſimoniam, 90. 3. prohibetur ſub grauiſſimis pœnis à Iulio Secundo, 89. 1. non ſolum realis, ſed etiam conuentionalis, ibid. 6. requiritur, quod ſit conſummata ex parte rei ſpiritualis vt irritet electionem, ib 7. Vbi aliquod votum ſit venditum, ſi ex vi illius voti electio non ſubſiſtat, non irritatur electio, ibid. 9. vbi ſimonia ſe habet antecedẽter, & electo inſcio non irritatur electio ibid. nu. 10. & ſequentibus. Vt electio ſimoniaca ſit nulla requiritur, quod ſimonia non ſolum ſit notoria, & manifeſta, ſed etiam indubitata, 92. 12. & ſequ. Plures caſus receuſentur in quibus ſimonia notoria & publica non irritat, ibid. 21. & ſeq. an electus per veram ſimoniam, ſed occultam ſit verus Papa, 94. à num. 25. vſque ad 40. Pœnæ contra Cardinales ſimoniacè eligentes, & contra mediatores, 97. 41. & ſequ.

An poſſit dari exceptio criminis ſimoniæ contra electum à duabus partibus, 159. 7.

Epiſcopus.

Non poſſunt Epiſcopi eligere ſibi ſucceſſores, 7. 13. & 21. poſſunt tamen ſibi eligere coadiutorem cum ſpe ſucceſſionis, 17. 46. & hoc ex ſpeciali facultate Papæ, ibidem.

Epiſcopi aliquando conueuerunt ad electionem Pontificis, 22. 16. Epiſcopus ex nominatis ab examinatoribus debet eligere digniorem, 130. 5.

Epiſtola.

Epiſtola cõtinens hiſtoriam de ordinatione Clementis in ſucceſſorem Petri eſt apocrypha, & continet falſitates, & hæreſes 14. 37. 43. & 44.

Epiſtola 10. III. aduerſos Corepiſcopos apocrypha eſt, & ſpuria 16. 45.

Mittentes epiſtolas in Conclaue; vel ex Conclaui ad alios qui ſunt extra excommunicantur 58. 21.

Deferentes epiſtolas, litteras aut ſcripta tractantia de pertinentibus ad electionem Pontificis intra, vel extra Conclaue ſunt ſeuere puniendi 61. 30.

Exceptiones contra electionem Papæ.

Quid ſit exceptio 158. 1. duplex iudicialis, & extraiudicialis, quid requiratur ad vtramque ibid. contra electionem, & electum in Papam non datur exceptio propriè dicta ibid. 2. Exceptiones poſſunt dari, vel ex parte electi, vel eligentium, vel electionis 159. 4. Quæ nam ſint iſtæ exceptiones ibid & ſeq. Quid de exceptione hæreſis, & ſimoniæ. ibid. 6. & 7. Vbi nullitas electionis eſt notoria, dum eſt tempus excipiendi poteſt excipi, & poteſt eijci electus de ſede, ſi pacifice non velit papatum deponere. 160. 13.

Excommunicatio.

In quibus caſibus incurratur excommunicatio ob non ſeruatam formam electionis Papæ 144. enumerantur plures caſus, in quibus excommunicatio incurritur ibid. nullus ſiue epiſcopus ſiue regularis poteſt abſoluere ex priuilegio ab iſtis excommunicationibus niſi in articulo mortis 146. non in omni caſu, in quo habet locum excommunicatio, habet locum nullitas electionis 123. 10

H.

Hæreticus.

HAereticus de iure diuino eſt ineligibilis in Pontifice, 148. 10. Poteſt contra electionẽ Papæ dari exceptio hæreſis, & ſchiſmatis, & irrita eſt electio illius, quẽ apparuerit aliquãdo fuiſſe hæreticum, 159. 5. Quid dicendũ de Conſtitutione Pauli IV. circa Papam communiter receptum de quo cõſtet ante ſuam electionem aliquandò fuiſſe hæreticum, 163. 26. & ſeqq.

I.

Infirmus Infirmarij.

TRes infirmarij debent extrahi, qui accedant ad infirmos, vt eorum ſchedulas recipiant, 122. 5.

Quomodo ſe gerere debeant infirmarij in recipiendis ſchedulis infirmorum, 129. 43. Si infirmus ſcribere non valeat, poteſt committere alteri quod ſcribat, 131. 55. Nec requiritur, quod ille alter ſit Cardinalis, ibid. Quicumque ille ſit tenetur præſtare iuramentum de ſecreto ſeruando, ibid. 57.

Infirmarij debent oſtendere Collegio capſulam quam ferunt ad infirmos eſſe vacuam, 129. 43. Deindè Claui obſerare, ibid. Et clauem relinquere ſuper altari, ibid. & num. 58. Quid iuris ſi Cardinalis non infirmus ſe infirmum fingeret. 132. 61.

Intruſus.

NOn electus ex concordi electione duarum partium Card. exiſtentium in Conclaui, ſi Papatum gerat eſt intruſus, 161. 14. Prohibetur ipſi dari obedientia, ibid. Vt excommunica-

nicatus, & hæreſiarca eſt vitandus, 165. 31.
Quomodo poſſit excipi contra intruſum, ibid.
Intruſus per violentiam quomodo poſſit excommunicari à Cardinalibus, 170. 6. & ſeq.
Quænam pœnæ ſint latæ contra intruſum in Papatum, 171. & ſeqq.

Iuramentum.

Præbere iuramentum de huius, vel illius electione eſt prohibitum, 73. 5. Et ſub quibus pœnis num. 6.
Tenentur Cuſtodes præſtare iuramentum de defenſione Conclauis, ne vis aliqua fiat clauſuræ, 49. 8. Sponſiones ſuper vita, morte, aut electione Pontificis etiam iuramento firmatæ nullæ ſunt, 82. 3.
Cardinales iurant ſe eligere in Papam, quem ſecundum Deum iudicant digniorem, 130. num. 50.

L.

Laici.

NVllus ex Laicis habet ius eligendi Summum Pontificem, 18. 3. Hoc tamen ipſis non prohibetur iure diuino, 19. 7.
Laici habebant ius ferendi teſtimonium in electionibus Epiſcoporum, 20. 8.
Non tamen ipſis competit habere ſuffragium electiuum, 20. 10.
Imperator habuit aliquando votum in electione Pontificis ex Papæ priuilegijs, & diſpenſatione, 21. 20.
Laicis eſt prohibitum præſtare fauorem alicui pro Pontificatu Papa adhuc ſuperſtite, 73. 5.
Laicus non poteſt eſſe cõpromiſſarius in electione Papæ per compromiſſum, 119. 15. 1
Laicus eſt eligibilis in Pontificem, 150. 14. & ſeqq.

Libertas.

Libertas eſt naturalis forma electionis, quia ceſſante ceſſat electio, 87. 1.
Quæcumque pacta, promiſſiones, obligationes, condicta, intendimenta, &c. quæ aliquo modo neceſſitant Cardinalium voluntatem irritantur, 99. 11. etiam ſi ſint iuramento, aut alio vinculo firmata ibid.

M.

Metus, Vis, Coactio.

ELectio facta per metum cadentẽ inconſtantem virum reddit nullam electionem, 87. 3. metus leuis nõ irritat ib. nec etiam metus incuſſus à cauſa naturali, vel à Deo 88. 5. Quid prouiderit Concilium Conſtantienſe in caſu electionis factæ per metum cadentem inconſtantem virum, 89. 12.

P.

Papa Pontifex.

PApa legitimè electus eſt verus Papa, etiamſi alias ſit malus homo, 1. n. 2.
Non amittit Pontificiam poteſtatem niſi ob crimen hæreſis, ibid. n. 4.
Non poteſt ab hominibus deponi, iudicari, aut puniri, ſed à ſolo Deo, ibid.
Non eligitur à ſolo Deo, ibid. n. 5. Sed canonica electione mediante ex hominibus aſſumitur. ibid.
Pontificis Romani ſucceſſio non debuit ſucceſſione carnali propagari, 2. n. 1. & 2. & 3.
Iure canonico, & diuino fuit neceſſe, vt electio Papæ non fieret per ſortes 3. n. 1. ſicut nec etiã quod compromiſſarij ſorte eligantur, 4. n. 5.
Papa poteſt diſpenſare in omni lege poſitiua 7. 13.
Ad Papam ſpectat præſcribere locum tempus, & formam eligendi, & determinare Perſonas quibus electio Papæ conueniat, 7. 14.
Pontifex non poteſt validè ſibi ſucceſſorem eligere, 4. 11. & 15. & hoc de iure diuino, 10. 23.
Pontifex habet adminiſtrationem Eccleſiæ, non vt Dominus, ſed vt miniſter, & Vicarius Chriſti. 11. 26.
Pontifex poteſt tractare cum electoribus de ſucceſſore eligendo, merita alicuius proponendo, 12. 30.
Papa poteſt ſtatuere ſuper electione ſucceſſoris abſque conſenſu Cardinalium, 29. 9.
Papa viuente non poteſt licite de eius electione tractari, 72. 1.

Poteſtas.

Poteſtas iuriſdictionis & ordinis ſupponit neceſſario gratiam in ſubiecto. 1. num. 2.
Non amittitur poteſtas Pontificia, ob aliud crimen quam hæreſis. ibidem num. 4.
Poteſtas eligendi Papam data eſt immediate toti Eccleſiæ 17. 47.
Poteſtas eligendi formaliter eſt Eccleſiæ vt diſtinctæ contra Papam; at verò poteſtas directiua electionis eſt Papæ ibidem.
Poteſtas eligendi Papam non eſt in vllo laico 18. 3.
Poteſtas eligendi Papam illis ſolis competit, quibus a Pontifice hæc talis poteſtas conceditur. 28. 7.
Non eſt maior poteſtas ordinis, & iuriſdictionis in tota Eccleſia ſimul cum Papa, quam in ipſo ſolo Papa 29. 9.
Poteſtas eligendi Papam de iure diuino nulli determinatæ Perſonæ aut Collegio competit. 30. 12.
Collegium Cardinalium habet poteſtatem in ſingulos Cardinales. 154. 1.

Prælatus.

Prælatis competit diligenter inſpicere, & perſcrutari cibos res, perſonas intrantes, & exeuntes conclaue, 49. 9.
Tenentur iurare ſe inuiolabiliter, & ſine fraude munus ſuum exequturos, 65. 1.
Prælati negligentes in perſcrutandis epulis ſunt excommunicati, alijſque pœnis ſubduntur, 65. 4.

Procurator.

Non poteſt eligi Papa per Procuratorẽ 86. 17.

Promiſſio.

Promittere quod mortuo Papa ſubſcribet electioni huius, vel illius eſt prohibitum 73, 5. Item promittere pictatia ibid. Item promittere ſuffragium ad fauorem alicuius ibid. ſub quibus pænis hoc ſit prohibitum ibid. 6.

Digitized by Google

R.

Renuntiare.

POteſt aliquis Cardinalis renunciare voci ſuæ in electione Papæ, 41. 28. ſi tamen poſt renunciationem pæniteat admittendus eſt ad electionem, ibid.

Omnes Cardinales non poſſunt renunciare electioni Papæ, ibid.

Per renunciationem Pontificatus, tunc vacat Papatus vbi, & quando Papa declarat ſe illi renunciaſſe, 44. 15.

Electus in Papã poteſt ſtatim renunciare, 156. 8.

Religioſus Regularis.

Poteſt aſſumi in Conclauiſtam, 51. 4. an poſſit compelli à ſuo ſuperiore, vt epiſcopatum, vel Papatum acceptet, 156. 8. tenetur petere licentiam à ſuo ſuperiore, vt epiſcopatum acceptet, imo non poteſt licitè ſine licentia ſuperioris conſentire electioni de ſe factæ in Põtificem, 157. 13. & ſeq.

Roma.

Communiter electio Pontificis debet fieri Romæ vbi eſt ordinaria Põtificis habitatio. 41. 1.

S.

Schedula.

QVales debeant eſſe ſchedulæ requiſitæ ad electionem per Scrutinium 122. 4. non poſſunt Cardinales ſcribere ſchedulas in ſua camera, ſed in menſa coram omnibus parata 123. 6.

Complicatio ſchedularum quomodo fieri debeat 123. 7. Schedulæ debent eſſe ſecretæ ibid. 9. Non poteſt vnus alteri oſtendere ſchedulam 124. 16. Schedulæ debent eſſe impreſſæ, aut ſaltem eadem manu ſcriptæ 126. 26. Quid dicendum ſi ſchedula non ſit ſigillata, neque complicata. 129. 40 Si plures inueniantur ſchedulæ quam ſint Cardinales comburendæ ſunt, & iterandum Scrutinium 133. 65. Quid faciendum caſu quo ſchedulæ inueniantur in minori numero ibidem.

Scrutatores.

Extractio ſcrutatorum quomodo fieri debeat 122. 5. ſi extrahatur infirmus, vel impeditus debet extrahi alius loco ipſius 127. 28. Quid ſi aliquis nollit fungi offitio ſcrutatoris ibidem. 29.

Scrutinium.

Sub pœna excommunicationis tenentur Cardinales intra Conclaue exiſtentes conuenire mane, & veſpere ad ſcrutinium. 41. 29.

Quinam actus requirantur ad Scrutinium. 129. 43. et ſeq. & an omnes ſint de ſubſtantia electionis. ibid.

Iterandum eſt ſcrutinium ſi plures inueniantur ſchedulæ quam ſint Cardinales 133. 65. in ſcrutinio ſi plures nominentur votum eſt nullum. 137. 85.

Scrutinij publicatio.

In electione Papæ diuerſo modo publicatur ſcrutinium ac in electionibus inferiorum Prælatorum. 135. 72. In quo conſiſtat hæc Scrutinij publicatio ibid An ante ſcrutinij publicationem liceat Cardinalibus variare ibid. 73. & ſequ. & an totum Collegium variare poſſit ibid.

Poſt ſcrutinium.

Quid agendum poſt ſcrutinium, 136. 76. Quid agendum ſi in ſcrutinio euaſit electus Pontifex à duabus partibus ibid. Quid etiam ſi in Scrutinio nullus euaſit electus. ibid. Quid agẽdum habitis votis duarum partium 142. 109. actus neceſſarij poſt ſcrutinium & acceſſum 142. ibid. & ſequ.

Secretum.

Secretum multis modis dicitur 123. 11. Quod nam ſcrutinium ſit neceſſarium ad electionem 124. 14.

Sede vacante.

Sede non vacante tractare de electione Pontificis per ſe vel per alium eſt prohibitum, & ſub quibus pœnis. 73. num. 9. vſque ad 38. pariter etiam tentare ibid. eſt grauiſſimum peccatum ibid.

Sede vacante permittitur tractatus de eligendo omnium optimo 100. 16. & ſequentib.

Sede vacante non datur exercitium iuriſdictionis papalis 169. 3. Collegium Cardinalium non poteſt abſolutè vti iuriſdictione papali Sede vacante niſi in terminis ſibi conceſſis. ib. Irritum eſt quidquid fecerit Collegium ſi talem iuriſdictionem vſurpet ibid. 4.

Sortes.

Sortes in electionibus ſunt prohibitæ 3. 1. etiam in magiſtratibus ſæcularibus creandis. ibid.

Electio præcedens vſum ſortium non eſt prohibita ibid. 2.

Non licet ſorte dirimere litem quæ ſit de titulo Papatus 4. 3. niſi in caſu quo eſſet contentio de loco, & tempore Concilij deputando ibid. 4.

Non poſſunt eligi per ſortes Compromiſſarij in electione Papæ. 4. 5.

Sponſiones Depoſitiones.

Quid ſint 82. 1. Prohibentur fieri ſuper electione futuri Pontificis, item ſuper vita, & morte Pontificis, & etiam creatione Cardinalium ibid. 2. Quibus pœnis ſubdantur ſic ſpondẽtes, ibid. 3. extenduntur iſtæ pœnæ ad omnes tam Eccleſiaſticos quam laicos quacumque dignitate fulgentes ibid. 4. tenentur reſtituere; & pecunia applicatur locis pijs ibid. in articulo mortis non poſſunt abſolui ab excommunicatione niſi præuia reſtitutione ibid. num. 6.

Superior.

Superiori legitimè inſtituto debetur obedientia licet ſit malus, 1. nu. 2.

Superior regularis non poteſt præcipere ſubditis vt Epiſcopatum accipiat, 155. 7. Quid de Papatu ibidem, an poſſit præcipere vt diſſentiat, 156. 10. & ſeqq.

T.

Tentare.

TEntare quid ſit. 78. 30. ſola aggreſſio ad habendum aliquid etiamſi effectus non

ſub-

ſubſequatur eſt tentatio ibidem.
Cardinales tentantes de aliquo eligendo in Papam etiamſi non deliberent ſubduntur pœnis ſtatutis à Paulo IV. ibidem.
Quid ſit eſterna tentatio,& quot ſint modi illius 33.& ſeqq.

Tractatus tractare.

Tractatus de electione Pontificis ipſo ſuperſtite eſt prohibitum, & eſt veluti crimen læſæ maieſtatis 73.8. & ſeqq. Quid intelligatur per ly tractare ibid. ſpeculatiuus tractatus non eſt prohibitus per conſtitutionem Paulinam; ſed tantũ tractatus practicus 75. 15. & ſeqq. tractare de eligendo omnium optimo non eſt prohibitum per dictam conſtitutionem ibid. 22. An verò tractatus de excluſione alicuius determinatæ perſonæ cõprehendatur ſub hac Paulina? Putant aliqui quod non; ſed verè dicitur quod ſit comprehenſus & prohibitus 77. 33.& ſeq.
Tractatus ambitioſus, pactionalis ſeu conditionalis, aut aliquo modo ſimoniacus eſt prohibitus etiam Sede vacante 78. 26.
Nec excuſatur etiam ſi tractetur de electione digni vel dignioris vel optimi. ibid. 27. pariter nec excuſatur ſi tractatus ſit vel abſolutus vel conditionatus ex parte obiecti ibid. 28.
Tractatus aliquis eſt permiſſus in electione Pontificis ſede tamen vacante 100. 16. & ſeqq.
Tractatus qui ſit diſcuſſio & deliberatio de optimo eligendo eſt permiſſus. 102. 23.
Qualis tractatus prohibeatur in electione per inſpirationem. 113. 13. & ſequentibus.

V.

Votum.

POteſt Imperator, vel alius laicus ex diſpenſatione Papæ habere votum in electione *Pontificis* cum iuxta adeſt cauſa 23. 20.
Votum electi non numeratur in duabus partibus vototum ex quibus reſultat electio 136. 76. & fol. 142. nu. 106. & ſeqq.
Votum eſt nullũ ſi plures in ſcrutinio vel acceſſu nominentur, 137.85. Vota alternatiua conditionalia, & incerta non ſunt numeranda, 142. 103. & ſeqq. Vota etiam ex quacunque cauſa nulliter data non numerantur ibidem. 106. Sicut nec votum electi ibidem.

ERRATA.				*CORRIGE.*
Fol. 3.	col. 2.	lin. 9.	Virtutis, ſed Chris.	Virtutis, Chris.
4.	1.	30.	Papam	Papa.
4.	2.	12.	Compromiſſarijs	Compromiſſarij.
6.	1.	56.	Bonifacius II. elegit	Bonifacius II. dicitur quod elegit
6.	2.	20.	quia quod Papa	quia Papa
7.	2.	17.	Martini Papæ 8.	Martini Papæ cap. 8.
8.	2.	29.	concludat non eſſet factum.	Concludat eſſe factum.
8.	2.	56.	quantum	quorum.
10.	1.	47.	regimendi	regimini.
10.	2.	35.	fuerunt	ferunt.
13.	2.	60.	ſecundo	viginti.
16.	2.	31.	&	ex
18.	1.	25.	Ppa	Papa
18.	2.	11.	Dominicis	Dominis
19.	1.	40.	monachi	monachos.
20.	1.	51.	procerettur	præficeretur.
22.	1.	33.	metropolitam	metropolitani
22.	1.	52.	Cleri	Clerus.
22.	2.	41.	Pænitentialem	Pænitentiali
26.	1.	36.	conceſſione poſſunt	conceſſione aliquandò poſſunt.
27.	2.	20.	ſuccederunt	ſuccederint
26.	2.	54.	inquam	vnquam
31.	2.	30.	concilium cum eſſet	concilium non eſſet
31.	2.	31.	vel cum poſſet	vel non poſſet
36.	2.	38.	n.	enim
43.	2.	29.	Auenione	Anconæ
49.	1.	62.	exequuntur	exequantur.
55.	2.	36.	hec bis	hæc lis
59.	2.	52.	Deo	duo
62.	1.	21.	liberæ	litteræ
69.	1.	40.	Viennenſis	Viennenſe
72.	2.	vlt.	Gratus, conditionis	gradus, conditionis.
80.	2.	57.	ſic	ſit
80.	2.	58.	ambitu	ambitum
86.	1.	1.	contentu	contemptu
87.	2.	25.	lucis	leuis
112.	1.	1.	turnatim	turmatim

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Goog